EXERCITATIO THEOLOGICA
DE LOCIS, SEU FONTIBUS
THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ

A REV. PAT. FR.

CAROLO THIL

ORDINIS EREMIT. S. P. AUGUSTINI

AD COMMUNEM USUM
AUGUSTINIANAE JUVENTUTIS
TYPIS VULGATA

VOLUMEN II.

ROMÆ MDCCCXX.
APUD FRANCISCUM BOURLIÉ

Superiorum permissu.

„ *Bonorum ingeniorum insignis est indoles in ver-*
„ *bis verum amare, non verba: quid enim prodest*
„ *clavis aurea, si aperire quod volumus non potest?*
„ *aut quid obest lignea, si hoc potest? quando ni-*
„ *hil quaerimus, nisi patere, quod clausum est?*

S. P. Augustinus lib. 4. de Doctr. Christ. cap. 10.

IMPRIMATUR

Si videbitur Rmo P. Magist. Sac. Palat. Apost.
Candidus Maria Frattini Archiep. Philipp.
Vicesgerens

IMPRIMATUR

Fr. Philippus Anfossi Ord. Praedic. Sac.
Palatii Apostolici Magister.

EXERCITATIO THEOLOGICA
DE LOCIS SEU FONTIBUS THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ.

SECTIO III.

DE ECCLESIA CHRISTI.

CAPUT I.

De summa Catholicæ Doctrinæ circa veram Christi Ecclesiam.

Ecclesia est vocabulum græcæ originis a Verbo ἐκκαλέω, quod congregare, seu convocare significat, derivatum; & spectata vi nominis nihil aliud innuit, quam congregationem, cœtum, vel societatem vocatorum, & adhibetur non incongrue etiam ad significandam quamcunque hominum unionem tam in bonum quam in malum finem simul conjunctam, sicuti fit psal. 25. v. 5. ubi vox ista aptatur ad congregationem impiorum, & sceleratorum hominum in eo, quod ibi legimus *odivi Ecclesiam malignantium, & cum impijs non sedebo.*

Quoniam autem hic sermo esse debet, non de Ecclesia quacunque; sed de Ecclesia Christi: hinc relictis alijs tanquam ad hanc exercitationem nulla ratione pertinentibus, Ecclesia Christi duplici modo spectari potest: nempe *primo* sub notione universali, & secundum solam & nudam vim nominis: &

secundo, significatione quadam strictiori, & secundum illam formam, quam Christus illi in nova lege attribuit.

Si Ecclesia Christi spectetur primo modo, tunc definiri commode potest, *Societas a Deo vocatorum, sub capite Christo Deo ipsi servientium*.

Dicitur primo *societas* ad significandum, quod loquamur de Ecclesia viva, non autem de locis materialibus, in quibus fideles congregantur ad celebrandum divina mysteria, & quæ vulgo ab omnibus simpliciter Ecclesiæ appellantur.

Dicitur secundo *A Deo vocatorum*, ut ostendatur non tam ex arbitrio hominum, quam a Deo ipso repetendum esse, ut quis ad istam societatem pertineat.

Dicitur tertio *sub capite Christo Deo servientium*, ad demonstrandum, quod nemo unquam ad societatem istam a Deo vocatus est, nisi per fidem in Christum; de quo ait Apostolus in Epistola ad Colossens. cap. 1. v. 18. *& ipse est caput corporis Ecclesiæ*.

Sicut autem regnum Christi est *regnum omnium sæculorum* psal. 144. v. 13. *quod in æternum non dissipabitur* Daniel. cap. 2. v. 44. ita etiam Ecclesia Christi hoc modo spectata, est Ecclesia omnium temporum, ad eamque pertinent omnes justi, quicunque in hoc mundo aliquando vixerunt, & victuri sunt usque ad illius finem: sicut præclare testatur S. Gregorius Magnus homil. 15. in Evang. dum de Creatore rerum omnium inquit, *qui habet vineam, universalem scilicet Ecclesiam, quæ ab Abel justo usque ad ultimum electum, qui in fine mundi nasciturus est, quot Sanctos protulit, quasi tot palmites misit*, & S. P. Augustinus in 1. Retract. libro cap. 13. num. 3. dum ait *res ista, quæ nunc christiana religio nuncupatur, erat apud antiquos, nec defuit ab initio generis humani,*

quousque ipse Christus venisset in carne, unde vera Religio, quæ jam erat cœpit appellari christiana: profecto autem non ob aliam rationem, nisi quia *omnes qui ab initio sæculi fuerunt justi, caput Christum habent; illum enim venturum esse crediderunt, quem nos jam venisse credimus:* ut explicat modo laudatus Sanctus Parens serm. 3. in psal. 36. num. 4.

Et quia sub capite Christo Deo deserviunt, non solum justi & fideles, qui actu vivunt in mortali corpore super terram, sed etiam illi, qui corpore mortali jam exuti, vel intuitiva Dei visione in cœlesti patria jam perfruuntur, vel charitate confirmati, eandem adhuc præstolantur, & expectant in Purgatorio, intelligitur, quomodo Christi Ecclesia universim spectata dividi solet imprimis in Ecclesiam militantem, Purgantem, & triumphantem: quæ sunt veluti tres partes hujus Ecclesiæ, seu societatis, quæ sub capite Christo Deo deservit: & e quibus postrema antecessit, & æterna pace cum Christo capite jam plene perfruitur, altera vero constituta quidem jam est in termino, & propterea etiam sicut illa, quæ jam beata est, mereri vel demereri nihil amplius potest, nihilominus tamen adhuc patitur, quousque a nævis, quæ in hac vita contraxit, plene purgata assumatur in gloriam: prima autem sequitur utramque, donec etiam ipsa in fine sæculorum consumetur.

Si Ecclesia Christi spectetur stricte, & secundum illum statum, quem in nova lege a Christo ipso accepit, tunc ut omnia complectamur, quæ ex Christi ipsius institutione ad ejus essentiam pertinent, definiri debet, *Societas hominum viatorum & baptizatorum, a Christo instituta ejusdem fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione sub regimine legitimorum Pastorum ac præsertim romani Pontificis visibilis in terra Christi Vicarij Deo deserviens.*

Dicitur primo *Societas hominum viatorum*: quia Ecclesiam militantem in terra, non triumphantem in cœlo, neque patientem in purgatorio describimus.

Dicitur secundo *baptizatorum*; quia per baptismum, qui etiam propterea janua Ecclesiæ appellatur, ad societatem istam adscribimur.

Dicitur tertio *a Christo instituta*: quia omnis societas quæ vel non vocatur ab hoc nomine, vel originem suam ab alio, quam a Christo accepisse convincitur ‘ non potest esse vera Christi Ecclesia.

Dicitur quarto *ejusdem fidei professione*, *& eorumdem Sacramentorum communione*: per quæ ab ista societate, sive a vera Christi Ecclesia excluduntur omnes illae sectæ, quæ vel a vera fide desciverunt, vel non eadem, quæ Christus instituit participant sacramenta.

Dicitur quinto *sub regimine legitimorum Pastorum*: ad ostendendum necessariam subordinationem, & dependentiam erga illos, a quibus societas ista ex Christi institutione regitur, & gubernatur.

Dicitur sexto, *& præsertim romani Pontificis Deo deserviens*: quibus ostenditur caput visibile, & centrum unitatis, cum quo societas ista sub Christo tanquam invisibili capite sic Deo deserviens, simul colligata, in unum veluti corpus compacta existit.

Quamvis autem modo allata definitio Ecclesiæ Christi jam fere communis sit in scholis, non desunt tamen, qui illam carpunt, & tanquam vitiosam abjiciendam esse contendunt, ex duplici præsertim capite; primo nempe, quia externam tantum Ecclesiam describit, nulla facta mentione interioris, & quæ in interiori fide, spe, & charitate præcipue consistit: & secundo quia, ut isti putant, regimen Pastorum; & in specie illud romani Pontificis, non pertinet ad constitutionem, & essentiam Ecclesiæ Christi: sed

immerito prorsus: nam primo Ecclesia considerata in eo statu, quem Christus illi in nova lege attribuit, & de qua hic loquimur, cujusque auctoritatem, dignitatem, & intrinsecam constitutionem adversus Lutheranorum, & Calvinistarum machinamenta in tuto reponere oportet, est necessario, & essentialiter societas exterior, & visibilis; adeoque proprie nonnisi per externa signa, quibus fideles omnes, qui societatem istam, sive veram Christi Ecclesiam efformant, & constituunt, exterius invicem conjunguntur; idest per externam fidei professionem, & eorundem Sacramentorum communionem, atque per debitam erga legitimos Pastores subjectionem, definienda, & describenda est: de cætero autem supponitur per se, quod eadem etiam intus divino Spirito ducta, & animata sit, & esse debeat: nam cum sit *Corpus Christi* ad Colossens. cap. I. v. 24., & alibi passim, necesse est, ut etiam Spiritu Christi interius animata existat, idest, ut in ipsa vigeat, tam fides interior, quam spes christiana, & charitas, quæ per dilectionem operatur.

Deinde quidquid a Christo institutum est, pertinet sine dubio ad naturam, & essentiam Ecclesiæ: porro autem, quod regimen Pastorum, & præsertim romani Pontificis, constitutum sit a Christo ipso, patet manifestissime: nam nihil fere est manifestius in Scriptura sacra, quam quod Ecclesia Christi sit *Civitas super montem posita*: Math. cap. 5. v. 14., & ovile Christi Joan. cap. 10. v. 16. Item, ut modo dictum fuit ex Epist. ad Colossens. cap. I. v. 24. etiam *Corpus Christi*: jam vero neque Civitas potest esse sine suis rectoribus, nec ovile sine suo Pastore, & corpus, non solum physicum, sed etiam morale, cujusmodi est Ecclesia pluribus constans membris simul conjunctis, necessario, & essentialiter exigit,

ut a capite aliquo regatur, & moderetur: ergo regimen Pastorum, & præsertim romani Pontificis, tanquam supremi Pastoris, & rectoris; & tanquam Capitis supremi, a quo totum corpus, & omnia membra reguntur, pertinet ad naturam, & essentiam Ecclesiæ Christi: quod adeo exploratum est apud Sanctos Ecclesiæ Patres, ut S. Cyprianus non aliter Ecclesiam definiendam, & describendam esse putaverit, quam ex hac tantum parte, idest quatenus fideles Pastoribus suis conjuncti sunt: unde in Epist. 69. ad Florentium Pupianum *de Obtrectatoribus* inquit, *Ecclesia est plebs Sacerdoti adunata, & pastori suo grex adhærens* (1).

His ita constitutis vincula, quibus fidelium societas simul colligata est, & quibus Christo capiti suo cohæret, sunt in duplici classe, nimirum alia sunt externa, & sensibilia, scilicet ejusdem fidei professio, eorundem Sacramentorum communio, & debita legitimis Pastoribus, præsertim vero erga romanum Pontificem, obedientia, atque subjectio, ut ex defi-

(1) Quæ hic de regimine Pastorum dicuntur non pertinent directe ad controversias cum hæreticis, sed ad eas magis, quas movent intemperantiores critici, quibus non placet Ecclesiam Christi per externa vincula definiri: de cœtero enim licet Novatores, ut suo loco videbitur, in romano Pontifice nullam agnoscant supra cæteros Episcopos præminentiam, fatentur tamen etiam ipsi, regimen Pastorum ad constitutivum Ecclesiæ necessarium esse: nam ut refert Bartholomæus d'Astroy *in Armamentario Augustiniano adversus hæreses* in Methodo probativa cap. 5. in Calvinistarum Catechismo dominica XV. Ecclesia vocatur *Societas fidelium* & dominica XLV asseritur manifeste *necessarium esse ut sint Pastores* imo etiam in confessione fidei reformatæ art. 29. inquiunt prætensi Reformatores, *quod ad veram Ecclesiam attinet, credimus eam regi debere juxta politiam a Domino nostro Jesu Christo constitutam: hoc est ut sint Pastores.*

nitione Ecclesiæ superius allata manifestum est: alia vero sunt interna, & invisibilia; nempe fides interior, spes, & charitas: utraque autem pertinent ad essentiam veræ Ecclesiæ Christi, cum hoc tamen discrimine, quod prima constituunt per se, & manifestant cætum illum, quem Christus ipse in nova lege Ecclesiam suam esse voluit; altera autem constituunt id, quo iste ipse cætus fidelium interius animatus est, atque cum Christo capite proxime cohæret, atque conjunctus est.

Hinc intelligitur, qua ratione in scholis Ecclesia considerari solet sub duplici respettu, nimirum relate ad corpus, & relate ad animam: consideratur relate ad corpus, quando spectatur secundum exteriorem formam, seu quatenus a Christo in terris constituta fuit; idest quando spectatur relate ad vincula externa, seu quatenus est societas visibilis, ejusdem fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione sub regimine legitimorum Pastorum, præsertim romani Pontificis Christi in terris Vicarij, simul colligata: consideratur autem relate ad animam, quando spectatur relate, ad vincula interna, quibus interius societas ista etiam cum Christo capite proxime conjuncta est, seu quando spectantur dona Spiritus, idest fides interior, spes, & charitas, quæ nonnisi in ista societate diffunduntur a Spiritu Sancto in cordibus nostris, & quæ præcise & in se spectata efformant id, quod vulgo nominamus Spiritum veræ Ecclesiæ Christi.

Quia vero societas fidelium, eo modo, quo dictum est, inter se & cum Christo ipso capite colligata spectari iterum potest, vel secundum physicam, vel secundum moralem suam & politicam relationem & habitudinem, hinc est quod etiam hoc modo diversas sortitur in scholis denominationes: nam si primo modo spectetur, idest secundum physicam suam habitu-

dinem, seu relative ad diversas orbis partes, ad quas societas ista pertingit, atque diffunditur, tunc dicitur Ecclesia vel orientalis, vel occidentalis, prout fideles vel ad orientem, vel ad occidentem positos complectitur, & e quibus unaquævis sub regimine legitimornm Pastorum cum romano Pontifice tanquam capite visibili totius Ecclesiæ communicantium in fide & Sacramentorum usu doctrinam Christi profitetur, diversis tamen ritibus, illa quidem communiter fere ritu greco, ut ajunt, ista vero tota ritu latino: unde etiam aliter vel græca, vel latina Ecclesia vocantur.

Si autem spectetur secundo modo, idest relative ad politicam suam habitudinem, tunc dividitur, primo, in Ecclesias nationales, ut vocant, quales sunt in Oriente v. g. Armena, Syriaca, Æthiopica &c. & in occidente Hispanica, Gallica, Germanica &c. & secundo in Ecclesias mere particulares; sicuti sunt in Oriente v. g. Ecclesia Smyrnensis, Corinthiaca, Thessalonicensis &c., & in occidente Veneta, Mediolanensis, Florentina &c. quæ iterum omnes, dum in fide, in sacramentorum usu, & in regimine legitimorum Pastorum sub capite romano Pontifice simul conjunctæ sunt, suas tamen quælibet sibi proprias habet observantias, & consuetudines.

Præterea nomen Ecclesiæ in sacra scriptura sæpe accipitur ad significandum, non tam communem societatem fidelium, quam Pastores & Rectores Ecclesiæ: ut dum Math. cap. 18. Christus ipse loquens de correctione fraterna, postquam ad eam legitime exequendam jussisset, ut primum fieret inter fratrem, & fratrem solum, postea vero adhiberentur testes, unus, vel duo, subjungit vers. 17. dicens, *quod si non audiverit eos, dic Ecclesiæ*: ubi profecto nomine Ecclesiæ intelligi nullatenus potest societas ipsa fidelium, sed tantum Pastores, vel totius Ecclesiæ, vel particularium Ecclesia-

rum, quibus denuntiandus est, qui correctionem fraternam testibus confirmatam non receperit.

Hinc vero sequitur, quod Ecclesia universim iterum spectari possit veluti duabus constans partibus, quarum una in scholis appellatur Ecclesia *docens*, & altera *Audiens*: Prima, quæ etiam Ecclesia *repræsentans* sive repræsentativa vocatur, coalescit ex Pastoribus & Rectoribus Ecclesiarum particularium, sive dispersis, ut ajunt, idest separatim spectatis, sive etiam in Concilio generali cum ipsorum supremo Capite & Pastore totius Ecclesiæ romano Pontifice simul adunatis: altera autem, quæ etiam *discens* & *repræsentata* dicitur, componitur ex privatis reliquis fidelibus: ad primam pertinet exclusive omne id, quidquid innuit docendi, vel pascendi, vel regendi, & gubernandi munus: ad alteram vero debitæ subjectionis & obedientiæ officium.

Ex his autem intelligitur primo, quomodo in particulari statuta & definitiones Conciliorum generalium vocantur statuta & definitiones Ecclesiæ, tametsi revera non procedant, nisi a Pastoribus Ecclesiarum particularium, idest ab Episcopis: nempe quia isti cum Romano Pontifice simul in Concilium congregati Ecclesiam universam repræsentant.

Intelligitur secundo, quomodo ipsa singularia decreta de fide, & moribus Romanorum Pontificum dicuntur decreta Ecclesiæ: nam cum Romano Pontifici in persona Petri, cujus ille successor est, a Christo singulariter collata fuerit potestas pascendi agnos & oves suas Joan. cap. 6. vers. 17. & impositum onus generale confirmandi fratres Lucæ cap. 22. v. 32. propterea Romanus Pontifex repræsentat per se totam Ecclesiam, & potest sensu non malo etiam absolute Ecclesia nominari, ita quidem, ut quæcunque in scholis tradi solent de Ecclesia universim, singulari hoc

titulo, nimirum propter plenitudinem potestatis Apostolicæ, possint & debeant suo quæquæ modo, etiam enuntiari de Romano Pontifice.

Intelligitur tertio, quomodo Summus Pontifex, & reliqui inferiores Ecclesiarum Rectores universim vocantur, & vocandi sint Ministri Ecclesiæ; nimirum ita vocantur non utique, quia sacramenta administrant, & reliqua perficiunt officia singulis propria, nomine, & auctoritate accepta ab Ecclesia, quatenus hæc est societas fidelium, ut quidam falso arbitrantur, sed quia hanc ipsam fidelium societatem, sive Christi Ecclesiam docent, regunt, atque gubernant, nomine, & auctoritate accepta a Christo ipso, unusquisque in gradu suo, secundum propriam vocationem & ordinem, quem in Hierarchia Ecclesiastica tenet, & occupat. (vid. Sect. 2. cap. 3. Nota 1.)

Quia autem diversæ sunt sectæ, & societates, quae se Christianas nominare amant: sicuti sunt primo haereticorum omnium v. g. Lutherana in Germania, Calvinistica in Helvetia, Protestantica in Anglia, Arminiana in Hollandia, & aliae alibi. Et secundo etiam illae Schismaticorum, ut Moscovitica, Rutena, & Graeca &c. hinc, ut vera Christi Ecclesia a societatibus istis discernatur, de fide tenendum est ex Concilio generali Constantinopolitano 1. cujus auctoritatem permulti etiam Pseudochristiani admittunt, quod nulla societas possit esse vera Ecclesia Christi, nisi fuerit *una Sancta, catholica, & Apostolica.*

Deinde de vera ista una, Sancta, catholica, & Apostolica Ecclesia de fide quoque tenendum est, quod extra illam salus aeterna obtineri nullo modo possit: unde S. P. Augustinus in sermone de gestis cum Emerito inquit: *Salutem nemo habere potest nisi in Ecclesia catholica; extra Ecclesiam totum potest, præter salutem; potest habere honorem, potest habere*

Sacramentum, potest cantare alleluja, potest respondere amen; potest Evangelium tenere; potest in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti fidem habere, & prædicare, sed nusquam nisi in Ecclesia catholica potest salutem invenire.

Praeterea de eadem Ecclesia credendum est, quod in fide & morum doctrina errare non possit, & quod usque ad mundi finem visibilis existere, & perdurare debeat.

Jam vero ad hanc veram Christi Ecclesiam pertinent, & sunt vera illius membra, primo, neque omnes, neque soli praedestinati: ut existimavit Calvinus, sed etiam reprobi, quousque sub legitimis Pastoribus fidem Christi profitentur, & Sacrameuta participant: etenim Math. cap. 3. v. 12. Joannes Baptista significans Christum Judicem inquit *cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibili*: profecto hoc loco ***Area*** significat Ecclesiam, *triticum* praedestinatos, & *paleæ*, quae comburendae praenuntiantur, significant reprobos: ergo sicut non solum triticum, sed etiam paleae snnt in ***Area***, ita etiam non soli praedestinati, sed etiam reprobi sunt in Ecclesia: unde tract. 45. in Joannum. 12. inquit S. P. Augustinus *secundum præscientiam & prædestinationem quam multæ oves foris, quam multi lupi intus.*

Dictum est neque omnes, neque solos praedestinatos esse membra verae Ecclesiae Christi: nam primo, multi ex praedestinatis inveniuntur quovis tempore, quod per saecula decurrit, qui vel in infidelitate, vel in Judaismo actu detinentur, neque perveniunt, ad Ecclesiam, nisi postremo vitae tempore, ac proinde, quoniam non participant fidem, spem, & charitatem, neque exterius profitentur fidem sub legitimis Pastori-

bus, necesse est, ut destituti sint anima & spiritu Ecclesiae, & simul ab ejus corpore separati existant: atque ideo sunt quidem aliquo sensu oves Christi, sed foris, non intus, ut ex S. P. Augustino dictum est, neque pertinent ad veram Christi Ecclesiam, nisi finaliter tantum.

Deinde Christus Dominus dum Joannis cap. 21. v. 17. Petro praecipit, dicens *pasce oves meas*, non designavit profecto solos praedestinatos, sed omnes indiscriminatim in se credentes: igitur etiam reprobos, quousque fidem Christi sub regimine legitimorum Pastorum profitentur, & Sacramenta Ecclesiae suae participant: & revera: si enim Petro commisisset curam Praedestinatorum tantum, profecto jussisset rem impossibilem, siquidem Praedestinati non sunt cogniti, nisi soli Deo, ac proinde non potuissent a Petro pasci: ut per se patet.

Secundo neque soli justi, ut docent Lutherani, sed etiam peccatores sunt vera membra Ecclesiæ: nam Math. cap. 18. v. 17. Jubet Christus ad tribunal Ecclesiæ deferri magnos peccatores, atque si contumaces fuerint, tunc demum removeri ab ejus sinu, & haberi inter ethnicos, & publicanos: atqui nemo ex aliqua societate ejicitur per sententiam juridicam, nisi prius fuerit verum illius membrum: ergo etiam peccatores, & quidem non solum ordinarij, sed etiam graviores, sunt vera membra Ecclesiæ, licet, quod hic notandum est, jam per peccatum mortua, & dummodo vel per hæresim voluntariam; vel per schisma manifestum, vel etiam per excomunicationem ab ea separati non existant.

Dictum est *licet per peccatum jam mortua*: quia eo ipso, quod sint magni peccatores, non participant de Spiritu Ecclesiæ, idest non habent fidem il-

lam interiorem, quæ per dilectionem operatur, & quæ potissimum animam Ecclesiæ constituit.

Tertio neque hæretici publici, neque schismatici manifesti, neque Apostatæ a fide, sunt membra veræ Ecclesiæ Christi: nam de hæreticis publicis ait Paulus in Epist. ad Titum cap. 3. v. 10. *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita, sciens quia subversus est, qui ejusmodi est; & delinguit, cum sit proprio judicio condemnatus.* Profecto autem vitandus ab Ecclesiæ membris uullam potest habere cum illis communem societatem: ergo hæretici publici non sunt membra veræ Ecclesiæ: idem patet de schismaticis manifestis: siquidem manifesti dici non possunt, nisi quia in aperto charitatem scindunt, & detrectant legitimis Pastoribus debitam obedientiam: ex quo fit, quod hoc ipso ab Ecclesia separati existant: unde tam de istis, quam de hæreticis S. P. Augustinus in lib. de Fide, & Symbolo cap. 10. pronuntiat dicens, *Quapropter nec hæretici pertinent ad Ecclesiam catholicam, quæ diligit Deum, nec schismatici, quoniam diligit proximum.* Apostatæ autem ejurant sua sponte, & abjiciunt ex animo deliberato, sicuti fidem, ita etiam omne vinculum Religionis, ac proinde ad Ecclesiam Christi, quæ religionem nutrit, & fovet, tanquam membra ejus, pertinere amplius non possunt.

Quarto si sermo sit, de hæreticis, schismaticis, & apostatis occultis, qui scilicet in professione veræ fidei, & Sacramentorum communione sub legitimis Pastoribus perseverant, isti non cessant esse membra Ecclesiæ, quamvis mortua censeri debeant, propter rationem quam supra de paccatoribus adduximus.

Quinto excommunicati excommunicatione majori

sive sint tollerati, sive vitandi, ut ajunt (2), non sunt membra Ecclesiæ: nam utrique privantur omni spirituali commercio, cum reliquis Ecclesiæ membris ex præcepto Christi Math. cap. 18. v. 17. dum inquit: *Si Ecclesiam non audiverit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus* recte propterea affirmat S. P. Augustinus in lib. de Unit. Eccl. cap. ultimo: *Quisque præciditur, cum visibiliter excommunicatur.*

(2) Notandum hic breviter est, quod juxta Constitutionem Martini V. quæ incipit *Insuper ad evitanda scandala*; quæ refertur in actis Concilij Constantiensis collectis ab Hermanno Hardt. Tom. 1. inter Concordata nationis Germanicæ ex manuscriptis Codicibus Cæsareis Vindobonensibus, & ducalibus Brunsuicensibus eruta part. XXIV. cap. 7. & etiam a S. Antonino in summa part. 3. tit. 25. cap. 3. nemo censeri debeat excommunicatus *vitandus*, nisi, ut habetur apud S. Antoninum loco citato sententia excommunicationis *fuerit lata contra personam, collegium, universitatem, Ecclesiam, communitatem, vel locum certum, vel certam, a judice publicata vel denunciata specialiter, & expresse*, sive ut explicant Canonistæ, nisi aliquis excommunicatus fuerit *nominatim* excepto tamen casu de notoria manuum injectione in personas Ecclesiasticas, cui annexa est excommunicatio major latæ sententiæ in Concilio II. Lateranensi Can. 15. *Si quis suadente diabolo*: & quisquis illam incurrit, est semper & stricto jure *vitandus* etiam post prædictam Martini V. Constitutionem.

En autem exemplar celeberrimæ hujus Constitutionis prout refertur a S. Antonino loco citato, & habetur paucis tantum voculis mutatis apud Hermannum Hardt.

„ Insuper ad evitandum scandalum & multa pericula, quæ conscientijs timoratis contingere possunt, Christi fidelibus tenore præsentium misericorditer indulgemus, quod nemo deinceps a communione alicujus sacramentorum administratione, vel susceptione, vel receptione, aut alijs quibuscunque divinis intus & extra prætextu cujuscunque sententiæ aut censuræ ecclesiasticæ a jure vel ab homine *generaliter*

Tandem Sexto etiam Catechumeni non sunt actu membra Ecclesiæ : quia scilicet baptismum, per quem ordinarie fit aditus in Ecclesiam, nondum suscepisse inveniuntur, & quia nec participant Sacramenta, nec stricto sensu subsunt regimini legitimorum Pastorum, licet jam fidei doctrinam ab ijsdem percipiant.

Dictum est autem *actu*, nam hoc ipso, quod fi-

,, promulgatæ teneatur abstinere, vel aliquem vitare, aut interdictum ecclesiasticum observare, nisi sententia, vel censura hujusmodi fuerit lata contra personam, Collegium Universitatem, Ecclesiam, Communitatem, vel locum *certum* vel *certam* a Judice publicata, vel denuntiata *specialiter* & *expresse* Constitutionibus Apostolicis & alijs in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque, salvo si quem pro sacrilega manuum injectione in Clericum sententiam latam a Canone adeo notorie constiterit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, nec aliquo suffragio juris excusari, nam a communione illius, licet denuntiatus non fuerit, volumus abstineri juxta canonicas sanctiones.

Porro autem quod Constitutio ista Martini V. authentica sit, & intelligenda in sensu supra exposito consentiunt omnes: potest tamen moveri dubium, utrum sit universalis, & perpetuo valitura? an vero sit particularis tantum, & ad certum tempus limitata; nam primo Hermannus Hardt, ut vidimus supra sequens manuscripta Vindobonensia & Brunsvicensia, ponit eam aperte inter Concordata facta in Concilio Constantiensi cum natione germanica; deinde eo ipso in loco cap. 9. producit ex ijsdem manuscriptis aliam Constitutionem ejusdem summi Pontificis in eodem Concilio promulgatam, cui præfixit titulum *De horum Concordatorum Papæ Martini V. et Nationis germanicæ valore*: ex qua colligitur non tantum quod universalis non fuerit, sed etiam quod non fuerit perpetua, sed temporalis tantum, idest ad quinquennium valitura, ita enim habet altera modo laudata Constitutio.

dei doctrinam voluntarie audiant, & baptismum quoque suscipere animum paratum jam habeant, dubitari non potest, quod saltem voto, & desiderio atque ex cordis affectu ad illam pertineant: ex quibus fit, quod dubitari etiam non possit, quin cum tali voto, & efficaci desiderio ante susceptum baptismum aquæ ex hac vita migrantes, salutem consequantur æternam: neque tamen inde inferri debet,

„ Idem Sanctissimus Domi-„ nus noster Papa & inclyta „ natio germanica consense-„ runt, & protestati sunt, „ quod omnia & singula su-„ pradicta durare, & tollerari „ debeant ad quinquennium „ duntaxat, a data præsentium „ numerandum . . . sed lapso „ dicto quinquennio, quæli-„ bet Ecclesia, & persona præ-„ dicta liberam facultatem ha-„ beat utendi jure suo, non „ obstantibus supradictis &c.

Verum dubia ista parvo negotio dissolvi possunt ex ijs, quæ immediate post allatam superius Constitutionem subjungit Sanctus Antoninus dicens: *Nota quod quidam dicebant, istam Constitutionem fuisse in Concilio propositam, sed non acceptatam, præcipue ab italica natione: alij dicebant fuisse temporalem, scilicet per quinquennium usque ad Concilium sequens, quod Senis fuit celebratum; sed nullum horum est verum. Nam duo venerabiles viri famosi in vita et scientia, quorum unus doctor in Theologia, alter in jure, et Episcopus, scilicet dominus Nicolaus de Dincksbuchel, et dominus Andreas postea Episcopus Bosoniensis in Polonia, qui fuerunt præsentes in Concilio Constantiensi, ubi facta fuit dicta Constitutio, dixerunt ipsam acceptatam ab omnibus, et perpetuam, et unam de Concordatis: Magistri etiam Universitatis Parisiensis acceptaverunt ipsam constitutionem, quia in eis dicitur omnibus Christifidelibus: sed et dictus dominus Andreas Bosoniensis Episcopus post celebratum Concilium Senis, cui etiam interfuit, vadens ad curiam ad visendum Martinum V. Papam cum ipse putaret dictam Constitutionem fuisse temporalem, scilicet per quinquennium tantum, et sic jam expirasset, loquens cum Papa petivit ab eo, ut concederet sibi ex gratia uti tali sententia sine dispensatio-*

quod extra veram Christi Ecclesiam salus æterna obtineri valeat: nam etsi catechumeni isti non sint actu membra Ecclesiæ, quia tamen jam habent fidem Ecclesiæ, sunt etiam virtute jam membra illius, neque omnino salvantur, nisi per Ecclesiam, hoc ipso quia salvantur per fidem illius: pro qua re notandum hic est, quod triplex sit baptismi genus, nimirum ***Fluminis***, ***flaminis***, & ***Sanguinis***, hoc est ***Aquæ***, ***Desiderij***, & ***Martyrij***: & dum primum, quod fit per ablutionem aquæ, & quod vulgo janua Ecclesiæ appellatur, in exitu vitae suscipi non potest sine propria culpa, sufficit alterum, vel tertium, ut quis ad Ecclesiam, si non actu, & effective, saltem virtute, & affective spectare, & per fidem Ecclesiae salutem aeternam consequi valeat: nam ut inquit S. P. Augustinus in lib. 13. de Civit. Dei cap. 7. *Quicumque non percepto regenerationis lavacro pro Christi confessione moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismatis: qui enim dixit, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in regnum cælorum; alia sententia istos fecit exceptos, ubi non minus generaliter dixit, qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam propter me.*

ne, quam continebat illa Constitutio, respondit Papa, vos scitis illam unam esse de Concordatis: et cum ipse Episcopus quinquennalem objiceret; dixit Papa, ego volo, quod semper duret. dominus Julianus auditor Cameræ Apostolicæ via jure peritus et famosus postmodum Cardinalis effectus, super hoc consultus dixit, tale indultum datum non solum germanicis verum etiam omnibus Christianis, et de jure esse perpetuum, quia ista est natura Constitutionis ipsius, nisi revocetur: non fuit autem revocata, sed in Concilio Basiliensi confirmata ante sui dissolutionem.

CAPUT II.

De Notis veræ Ecclesiæ Christi.

Nota alicujus rei in genere nihil aliud est, quam signum characteristicum, seu manifestativum rei ipsius; & duo sunt, quae ad ejus essentiam requiruntur: nempe primum, ut ipsa sit magis cognita, & magis obvia, quam res illa per ipsam manifestata: secundum autem, ut etiam rem manifestatam ab omni alia discernere faciat.

His positis dum sermo est de notis verae Ecclesiae Christi, quibus, scilicet tanquam signis manifestativis, & characteristicis vera Christi Ecclesia in particulari non solum facile cognosci, sed etiam a falsis quibuslibet Christianorum sectis certo discerni, atque distingui valeat, ad eas constituendas quatuor concurrere debent, nempe primo, ut ipsæ sint notiores, & magis obviae quam Ecclesia: secundo ut verae Christi Ecclesiae evidenter conveniant: hoc est, ita, ut nulli alteri convenire ostendantur: & tertio ut sint manifestae, & proportionatae captui omnium hominum, etiam rudium, cum omnes veram Ecclesiam ingredi teneantur, omnesque Deus salvos fieri velit; ac tandem quarto, ut sicut Ecclesia, ita etiam ipsae sint a Christo ipso institutæ.

Disserunt autem de Notis Ecclesiae etiam haeretici: & quidem Calvinus, atque Centuriatores Magdeburgenses (1), assignant pro Notis verae Ecclesiae

(1) Ita vocantur a famosa historia Ecclesiastica quam Magdeburgi circa annum 1552. in Centurias, idest in sæcula distributam in publicum emiserunt, et in qua toti sunt, ut

Christi, primo rectam, & sinceram verbi Dei praedicationem: & secundo legitimum, & rectum usum Sacramentorum.

His consentit etiam Martinus Lutherus, qui tamen ulterius progreditur, atque ad memoratas modo Calvinistarum Ecclesiae notas adjicit alias quinque, inter quas memoratu magis dignæ sunt primo, Rectus usus clavium; secundo recta electio ministrorum Ecclesiae; & tertio Psalmodia, Catechismus, & Oratio publica in lingua vernacula.

Verum ut breviter dicamus, nulla plane ex his omnibus assumi jure potest pro nota verae Ecclesiae Christi: nam primo quod spectat ad illas a Calvino, & Magdeburgensibus assignatas, omisso interim quod Christus nullibi statuerit pro vera, & genuina nota distinctiva Ecclesiae suae, vel rectam verbi praedicationem, vel rectum Sacramentorum usum; omisso etiam, quod Calvinistae universim non alia agnoscunt Sacramenta, quam Baptismum, & Eucharistiam, quae sicut a Lutheranis, ita etiam ab ipsis sacra Cœna denominatur, & quam nihil aliud esse docent, quam purum symbolum Corporis, & Sanguinis Christi; sane duae illæ notæ neque manifestant per se veram Christi Ecclesiam, neque secernunt eam a falsis: nam licet in vera Christi Ecclesia necessario vigere debeat recta, & sincera praedicatio verbi Dei, & legitimus Sacramentorum usus, attamen universim neque iste potest esse legitimus, neque illa recta, at-

ex factis undique collectis, & rebus gestis sæpe ad libitum confictis, Ecclesiam romanam a Patrum antiquiorum fide defecisse ostenderent; ubique tamen frustraneo prorsus conatu: sunt autem sequentes nempe Mathias Flaccius Illiricus, Joannes Wigandus, Mathæus Judex, & Basilius Faber: quibus postea se adjunxerunt Nicolaus Gallus, Andreas Cervinus, & Thomas Holter, omnes Protestantes.

que sincera, nisi in vera Ecclesia Christi, nam ut recte notat Tertullianus de Praescriptio. cap. 21. *Quid prædicaverint Apostoli, quid Christus illis revelaverit, non aliunde probari debet nisi per easdem Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt*, ergo prior semper est Ecclesia, quam vel certa, & sincera verbi Dei praedicatio, vel legitimus sacramentorum usus: praeterea nulla plane est in mundo secta Christiana, quae non contendat penes se permanere sicuti veram fidem, ita etiam sinceram verbi Dei praedicationem, & legitimum usum Sacramentorum: igitur generatim duae istae notae neque manifestant per se veram Christi Ecclesiam, neque secernunt illam a falsis, ac proinde perperam plane assignantur pro notis verae Ecclesiae Christi.

Idem judicium ferri debet de notis, quas addit Lutherus: nam ut a prima exordiamur, certe rectus usus clavium, sive recta administratio Sacramenti Pœnitentiae, quam exclusa semper Confessione auriculari haereticus iste inter Sacramenta aliquando connumeravit, non potest fieri nisi in vera Ecclesia Christi: ergo etiam nota ista non est notior, & magis obvia, neque prius cognita, quam vera Ecclesia Christi, adeoque etiam ista non manifestat per se veram Ecclesiam.

Praeterea tam electio ministrorum Ecclesiae, quae ex sententia Lutheri nec legitima, nec recta esse contenditur, nisi facta a Magistratu saeculari, quam celebratio publici cultus religiosi, scilicet Psalmodia, Catechismus, & Oratio publica, quae fit v. g. in Sacrificio Missae, & alijs Ecclesiae ministerijs, in lingua vernacula, certissime non sunt secundum, sed potius contra Christi institutionem, & contra omnem primitivae Ecclesiae usum ac consuetudinem: nam primo certissimum est, quod Christus non saeculi

Principibus, nec civili Magistratui, sed Apostolis, & illorum successoribus Episcopis attribuerit jus, & auctoritatem commiserit fundandi per orbem Ecclesias, & ordinandi Praesbyteros: ideo enim Paulus in Epistola ad Titum, quem ipse Cretae Episcopum reliquerat cap. I. v. 5. scribit ad illum dicens, *Hujus rei gratia reliqui te Cretae, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi*, & in Epist. ad Galatas cap. 1. v. 1. affirmat seipsum constitutum Apostolum: *Non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, & Deum Patrem*: ut ostenderet ministerium Ecclesiae Christi esse omnino independens a quacumque civili, & politica auctoritate: praeterea in canone 2. inter Apostolicos, qui sane antiquissimi sunt, atque si non immediate ab Apostolis, ut fert probabilior opinio, sane non multo post tempora Apostolica, vel a Clemente Romano, vel ab alio primi saeculi Ecclesiastico scriptore conditi, in Canone inquam 2. Apostolico statuitur, ut *si quis Episcopus sæcularibus potestatibus usus per eas Ecclesiam adeptus fuerit, deponatur, & segregetur, & omnes ei communicantes*.

Deinde nihil notius est, quam quod populis occidentalibus omnibus, sicuti Christus, ita etiam Evangelium ipsius, & cum Evangelio omnia Christianae fidei mysteria, cujusmodi sunt praesertim Missae sacrificium, & sacramenta, non in alia lingua primitus innotuerint, & annuntiata sint, quam in latina, ac propterea quod usus linguae latinae in illis celebrandis, & in Orationibus publicis universim absolvendis, in tota occidentali Ecclesia antiquissimus sit, & jam ab ipsis Apostolis atque ab immediatis illorum successoribus solemniter consecratus; ex quo manifeste consequitur, quod usus linguae vernaculae

in Psalmodia, in Missa, in administratione Sacramentorum, & in publica oratione universim, uon tam veram, quam falsam potius, ab Apostolis minime institutam, & propterea abortivam Christi Ecclesiam denotare videatur, eo ipso, quia in celebratione mysteriorum Ecclesiae, non antiquam, & a primitiva Ecclesia ex Apostolorum institutione derivatam, Sanctis Ecclesiae Patribus probatam, observantiam, sed novam, & primis Christianis non usitatam in Ecclesiam introducere convincitur: ac proinde adversus hæreticos, qui usum istum in Ecclesiam, praesertim in Missae celebratione introducere pertentant, merito prorsus Concilium Tridentinum Sess. 22. definivit: *Non esse conveniens, ut Missa lingua vernacula celebretur*; quanquam etiam istud hic prætermittendum non est, quod lingua vernacula in celebratione mysteriorum potest esse æque communis apud sectas omnes, quæ falso veræ Ecclesiæ Christi nomine gloriantur; ut per se patet, ergo nota ista a Luthero excogitata est etiam indifferens ad quamvis Ecclesiam significandam, ut adeo non possit veram a falsis discernere.

Itaque generatim notæ caracteristicæ, quæ scilicet, & notiores sunt, quam Ecclesia, omnibus obviæ, & manifestæ, & a Christo ipso institutæ, & quæ propterea simul sumptæ veram Christi Ecclesiam ab omni alia palam secernunt, aliæ non sunt, quam illæ superiori capite jam memoratæ, nimirum quod vera Christi Ecclesia debeat esse simul, *una Sancta Catholica*, & *Apostolica*, & quidem eo sensu, quem mox declarabimus.

Dictum est autem *simul sumptæ*: nam licet nulla ex prædictis notis, maxime eo sensu, quo mox explicabimus, alicui ex falsis christianorum sectis vere, & proprie conveniat, ac proinde etiam quæ-

libet ex illis seorsim spectata, capax quoque sit veram Christi Ecclesiam certo quodam modo manifestare, eamque a falsis secernere, nihilominus ut eadem evidenter discernatur, necesse est, ut omnes simul concurrant; neque satis est ad concludendum, quod societas aliqua sit vera Christi Ecclesia, si ostendatur, v. g. Quod sit *una* sed requiritur, ut ostendatur etiam, quod simul sit *Sancta*, *Catholica*, *& Apostolica*.

Præterea, quod hic probe notandum est, dum dicimus, quod notæ modo memoratæ simul sumptæ evidenter discernunt veram Christi Ecclesiam ab omnibus alijs, quæ falso nomine christianæ vocantur, hoc ita intelligi debet, non quia *efficiunt evidenter verum ipsam esse veram Dei Ecclesiam*, sed quia *efficiunt id evidenter credibile*, ut explicat Bellarminus lib. 4. de Eccles. cap. 3. ubi etiam hanc adducit rationem, *nam evidenter verum dicitur*, *quod vel in se*, *vel in suis principijs videtur* (supple clare, & perspicue) *evidenter credibile illud dicitur*, *quod non videtur nec in se*, *nec in suis principijs* (clare, & perspicue) *habet tamen tot*, *& tam gravia testimonia*, *ut quilibet vir sapiens merito id credere debeat*; his præmissis.

Propositio I. Veræ Christi Ecclesiæ nota imprimis est, quod sit *Una* 1. in Fide, 2. in Charitate, & 3. in Regimine idest in debita subjectione, & obedientia inferiorum erga Superiores (2).

(2) Veritas hujus propositionis descendit & elucet sua sponte ex definitione Ecclesiæ superius capite 1. allata: siquidem ex hoc ipso, quod Ecclesia Christi sit societas ejúsdem fidei professione, eorundemque Sacramentorum communione sub regimine legitimorum Pastorum Deo deserviens, sequitur necessario, quod hujus Societatis ubique eadem debet esse fides, eadem charitas, & idem regimen, idest ijdem ubi-

Probat. Illud imprimis est vera nota Veræ Christi Ecclesiæ, per quod ex Christi ipsius institutione Ecclesia sua omnibus fit manifesta, & ab omni alia falsa Ecclesia discernitur; at vero ex Christi institutione Ecclesia sua fit omnibus manifesta, & discernitur ab omni falsa per hoc, quod sit *una*, 1. in Fide, 2. in Charitate, & 3. in debita subjectione inferiorum erga superiores: & revera, nam primo, quod Christus voluerit Ecclesiam suam manifestam fieri, & a falsis Ecclesijs palam discerni per hoc, quod sit una in fide, patet manifestissime ex Christi ipsius sententia dum Joannis cap. 17. v. 20., & seq. Patrem alloquens inquit: *non pro eis tantum rogo, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me: ut omnes unum sint; sicut tu Pater in me, & ego in te, ut & ipsi in nobis unum sint, ut credat mundus, quia tu me misisti*: & ex altera consimili, quam ibidem vers. 23. subjungit dicens: *ego in eis, & tu in me, ut sint consumati in unum, & cognoscat mundus, quia tu me misisti*. Sane enim in utroque loco Christus instituit sermonem de unitate fidei, nam in priori loquitur expresse de illis, qui credituri sunt in ipsum per Verbum Apostolorum, in altero autem orat, ut sint consumati in unum, quod non fit, nisi per fidem; at vero utrobique est sermo de unitate ista fidei, quatenus hæc debeat esse signum characteri-

que Pastores, non quidem numero, sed missione, & ministerio: ex quo intelligitur ratio, obqnam tam hæretici quam schismatici sunt extra Ecclesiam: nempe quia ut ait S. P. Augustinus in lib. de fide & Symb. cap. 10. *hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant, schismatici autem discissionibus iniquis a fraterna charitate dissiliunt*: hoc est quia tam illi quam isti ab unitate veræ Ecclesiæ Christi sua sponte recedunt.

sticum, & nota qua cognoscenda erat, & discernenda illa societas, quæ Christi Ecclesiam constituit: nam in priori loco dicitur manifeste *ut credat mundus*: in altero autem *ut cagnoscat mundus*: idipsum non incongrue confirmari potest ex Epistola ad Ephesios cap. 4. v. 4. ubi legimus, *unum corpus, & unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ; Unus dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus, & Pater omnium* nam, ut per se patet, hoc loco monet Apostolus fideles, ut ipsis sit *unus Deus, & Pater omnium*, quasi diceret, ut una sit confessio divinitatis, & unus de vero Deo omnium sensus, item *unus dominus* idest, ut credatur unus Christus, qualis in se est, & generatim *una fides* non ob aliam rationem nisi ut appareat quod sint *unum corpus*, & *unus spiritus*: sive vera Ecclesia Christi: Secundo patet etiam quod ex Christi institutione vera ejus Ecclesia manifestanda erat, & distinguenda a falsis ex eo, quod sit una in charitate tanquam vinculo caracteristico, quo ex Christi voluntate fideles inter seinvicem uniendi erant; nam Joan. cap. 13. v. 35. inquit Christus *in hoc cognoscent omnes, quod discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem*: etenim quod hic agatur de charitate, quatenus est vinculum mutui amoris unius ad alterum, negari non potest: inquit enim Christus *si dilectionem habueritis ad invicem*: quod autem dilectio ista ex Christi institutione haberi debeat pro nota characteristica, qua Ecclesia sua manifestanda erat, & ab omni alia discernenda, est plane evidens, nam Christus ait *in hoc cognoscent omnes*: & explicans quid cogrituri erant, subjungit expresse, *quod discipuli mei estis*, quasi diceret, quod Ecclesiam meam constituitis. Tandem tertio; quod vera Christi Ecclesia ex Christi institu-

tione innotescere debeat, & discerni ab omni alia, ex unitate regiminis, seu ex debita inferiorum erga legitimos Pastores subjectione, & obedientia, dubitari nullatenus potest: nam Christus ipse Joan. cap. 8. v. 47. inquit: *qui ex Deo est verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis*: ad quæ verba respicit idem laudatus Evangelista, & Apostolus in prima sua Epistola cap. 4. v. 6. ubi inquit: *Qui novit deum audit nos, qui non est ex Deo non audit nos; in hoc cognoscimus Spirirum veritatis, & Spiritum erroris*: profecto vera Christi Ecclesia est illa, quæ novit, & audit Deum, seu quæ ex Deo est, sicut econtrario falsæ Christianorum sectæ sunt illæ, quæ non audiunt Deum, seu quæ non sunt ex Deo: atqui per præfata verba character sive nota singularis illorum, qui sunt ex Deo, & mediante quo ab illis discernuntur, qui non sunt ex Deo, consistit in eo, quod illi audiant Apostolos, & proinde etiam illorum successores, isti autem nequaquam; idest in debita subjectione, & obedientia inferiorum erga superiores: ideo enim eo loci emphatice concludit Apostolus dicens: *in hoc cognoscimus Spiritum veritatis, & Spiritum erroris*, igitur nota caracteristica veræ Christi Ecclesiæ est imprimis quod sit una in fide, in charitate, & in regimine, idest, in debita subjectione, & obedientia inferiorum erga superiores, ut adeo recte concludi possit cum Sancto Cypriano in lib. de Unit. Eccl. versus finem, ubi inquit: *Deus unus est & Christus unus, & una Ecclesia ejus, & fides una, & plebs in solidam corporis unitatem concordiæ glutino copulata.*

Solvuntur contraria argumenta .

Opp. 1. Vera Ecclesia Christi innotescit, & discernitur ab omni alia per hoc, quod in societate aliqua creduntur articuli fundamentales: ergo nota illius non est collocanda in eo, quod sit una in fide: antecedens patet : nam vera Ecclesia Christi innotescit, & discernitur ab alia in eo, quod societas aliqua habeat Christum, qui est fundamentum suæ Ecclesiæ: atqui omnis societas, quæ credit articulos fundamentales habet Christum ergo &c.

Respond. Ad primum *dist. ans.* Vera Ecclesia Christi innotescit per hoc, quod in aliqua societate creduntur articuli fundamentales idest articuli omnes ab Ecclesia ad credendum legitime propositi *conc.* idest graviores tantum, ut explicant cum Claudio Jurieu novatores; *nego*. Quod in Vera Christi Ecclesia vigere debeat unitas fidei, idest quod in illa debeat esse unum commune symbolum, una communis expositio, & interpretatio omnium credendorum, non autem illorum dumtaxat, quae ad articulos fundamentales pertinent, sicut post Claudium Jurieu Calvinistam contendunt novatores, nullo modo dubitari potest: siquidem una fides, quam Christus in sua Ecclesia esse voluit, nullatenus potest consistere, vel cum multiplici symbolo, vel cum diversa illud explicandi ratione: & licet verum sit, quod inter articulos fidei alij sint alijs graviores, si considerentur ratione objecti circa quod proxime, & immediate versantur, neque inficiari possit, quod non sit necesse, ut omnes, & singuli ab omnibus explicite teneri, & credi debeant: necesse tamen est, quod quisque vere fidelis paratum habeat animum, & promptum, omnes, & singulos credere,

statim ac ab Ecclesia omnibus ad credendum legitime propositi fuerint; nam omnes fuerunt a Deo revelati, & omnes fuerunt ab Apostolis tanquam divinitus revelati Ecclesiae concrediti, ut adeo ratione originis omnes sint inter se aequales, & propterea in eodem pretio haberi debeant & censeri fundamentales: neque ulla excogitari potest ratio, cur unus sit, vel esse possit magis credibilis, quam alter, & cur unus potius, quam alius fundamentalis dici debeat: ac proinde sicut vera Christi Ecclesia non potest perfecte consistere sine integra fide, ita etiam non potest manifestari, & discerni a falsis per aliquos tantum fidei articulos, quos fundamentales vocant haeretici.

Ad probat. *dist.* Societas quae retinet articulos fundamentales habet fundamentum Ecclesiae, sive Christum sed divisum *conc.* integrum, & quatenus ad verum Ecclesiae fundamentum requiritur *nego*. Utique fundamentum fidei nostrae, praeter quod, ut ait Apostolus in I. ad Corinth. cap. 3. v. 11. *Nemo aliud ponere potest*, est Christus ipse: sed ut intelligatur quo sensu istud accipi debeat, principio praemitendum hic est, quod Christus in Evangelio universim sibi fieri, & facta reputat, non solum quae ipsum proxime, & immediate tangunt, sed etiam omnia illa, quaecumque, vel pro Ecclesia, vel contra illam fiunt, vel facta inveniuntur, sic, ut aliqua referamus, Math. cap. 10. v. 40. inquit ad discipulos suos, *Qui recipit vos, me recipit*, & cap. 18. v. 15. *Qui suscipit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit*, & cap. 25. v. 40. refertur in extremo judicio dicturus electis suis: *Amen, amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis mihi fecistis*: sic etiam econtra Math. cap. 10. v. 40. ait ad discipulos suos, *qui autem vos spernit, me spernit*, quæ iterum repetit Lucae cap. 10.

v. 16., & in actibus Apostolorum cap. 9. Paulus dum actu persequeretur Ecclesiam Christi virtute Dei prostratus, postquam audita voce dicente sibi, *Paule Paule quid me persequeris?* sollicite interrogasset, dicens, *quis es Domine?* accepit divinum responsum, *ego sum Jesus quem tu persequeris*. Deinde Christus respective ad Ecclesiam considerari debet sub duplici respectu, nempe quatenus est ejus caput, & quatenus etiam est illius fundamentum: consideratur ut caput, si spectetur tantum, ut est verbum *caro factum* quod *habitavit in nobis* Joan. cap. 1. v. 14. Consideratur autem ut fundamentum, quando spectatur Christus totus, idest non solum, ut est caput, sed ut est caput, & corpus simul, sive quatenus effecit, ut Ecclesia quam acquisivit sanguine suo, esset etiam corpus suum, ad Ephes. cap. 4. v. 12., & ad Colossens. cap. 1. v. 24., eo modo sicut explicat S. P. Augustinus in tractatu I in Epist. 1. Joan. num. 2., quatenus, *illi carni* (in qua verbum caro factum est) *adjungitur Ecclesia*, *& fit Christus totus caput*, *& corpus*: igitur ut societas aliqua retineat fundamentum fidei *quod positum est* in I. ad Corinth. cap. 3. v. 11., sive Christum ipsum, quatenus est fundamentum Ecclesiæ, necesse est, ut absolute non erret contra Christum etiam in suo corpore, idest contra Ecclesiam suam, & retineat Christum ipsum totum, & minime divisum, hoc est prout est caput, & corpus suum: unde docet S. P. Augustinus enarrat. in psal. 56. num. 1. *Quia ergo totus Christus caput est*, *& corpus ejus*, *propterea in omnibus psalmis sic audiamus voces capitis*, *ut audiamus*, *& voces corporis*; ac proinde quæcunque, vel societas, vel particularis persona pervicaciter evertit articulum aliquem ab Ecclesia ad credendum fidelibus legitime propositum, sive sit fundamentalis, ut loquntur hæretici, sive non fun-

damentalis , idest sive fuerit ex illis gravioribus, quæ sunt de necessitate medij, sive ex illis, quæ sunt tantum de necessitate præcepti, ut scholæ loquuntur, evertit hoc modo etiam fundamentum fidei, neque propterea servat amplius unitatem, imo vero amittit cum fundamento fidei, etiam integram fidem: sicuti dictum est Sect. 1. cap. 2. ad finem (3).

Opp. 2. Ad unitatem Ecclesiæ sufficit fides, qua Christiani sumus; atqui per solam confessionem, & fidem articulorum fundamentalium sumus Christiani, ergo ut consistat una Ecclesia, non est necessaria in fide unitas: major patet, nam omnes sectæ Christianæ, licet in articulis minus principalibus valde a seinvicem discrepent, retinent baptismum, per quem

(3) Ex his fiunt perspicua duo summa principia generalia, quæ in tota Theologia maximo usui sunt; præsertim in concertationibus polemicis, quæ Ecclesiam respiciunt: nimirum primum sect. 1. cap. 2. Propos. IV. jam firmatum, scilicet quod medium unicum, quo fidelibus omnibus certo & infallibiliter innotescunt omnes & singuli articuli fidei, est auctoritas Ecclesiæ proponens aliquid ad credendum: alterum autem quod quilibet articulus fidei fidelibus ad credendum ab Ecclesia legitime propositus est semper articulus fundamentalis, quæ ambo brevissime complexus est S. P. Augustinus in lib. de Symb. ad Catechumenos cap. 13. dicens *non habebit Deum Patrem qui Ecclesiam noluerit habere matrem*: & paulo prolixius atque distinctius in lib. de unit. Eccl. cap. 4. ubi inquit *totus Christus caput et Corpus est; Caput Unigenitus Dei filius, et corpus ejus Ecclesia; Sponsus et Sponsa; duo in carne una; quicunque de ipso capite ab Scripturis sanctis dissentiunt, etiamsi in omnibus locis inveniantur, in quibus Ecclesia Dei designata est, non sunt in Ecclesia: & rursum quicunque, de ipso Capite Scripturis sanctis consentiunt, et unitati Ecclesiæ non communicant, non sunt in Ecclesia, quia de Christi corpore quod est Ecclesia ipsius Christi testificatione dissentiunt.*

ad veram Ecclesiam Christi pervenitur; præterea retinent quoque characterem baptismi; imo etiam valide baptizant, & baptizando generant tam Christo, quam Ecclesiæ suæ filios: huc accedit quod illi qui ex Judæis erant *æmulatores legis* act. cap. 21. v. 20. post definitionem Concilij Apostolici, de quo fit sermo art. cap. 15. non servabant strictam unitatem fidei, & tamen spectabant ad veram Christi Ecclesiam, siquidem ut legitur ibidem cap. 21. v. 20. *erant credentes*: ergo a pari etiam sectæ omnes Christianæ confitentes articulos fundamentales, spectant ad veram Ecclesiam.

Respond. Ad primum *nego maj.* Nam generatim ad hoc, ut salva sit unitas veræ Ecclesiæ Christi, præter fidei confessionem, requiruntur duo alia, nempe unitas charitatis, & unitas regiminis, sive debita subjectio, & obedientia erga legitimos Pastores: ex quo fit, quod non solum hæretici, sed etiam schismatici evertunt unitatem Ecclesiæ.

Ad primam probat. *dist.* Sectæ Christianæ retinent baptismum per quem ad Christi Ecclesiam venerunt, & discrepando a fide etiam ab ea recesserunt *conc.* secus *nego*. Utique baptismus est Sacramentum fidei, quo in veram Christi Ecclesiam inserimur, & inter illius membra connumeramur: verum aliud est quemquam habere Sacramentum fidei aliud vero est, eundem habere etiam effectum Sacramenti, sive fidem ipsam, & generatim loquendo, ut quis servet unitatem veræ Ecclesiæ Christi, & perseveret esse membrum illius, satis non est, ut fuerit baptizatus, sed requiritur insuper, ut postquam per baptismum in Ecclesiam Christi insertus fuit, & in adulta ætate constitutus per voluntariam hæresim ex illa non discedat, sicuti discedunt sectæ omnes, qui a fide Ecclesiæ pervicaciter dissentiunt: nam

etiam Apostatæ manifesti sunt baptizati ; & tamen quis sanæ mentis dixerit eosdem manere in unitate Ecclesiæ , & esse membra veræ Ecclesiæ Christi , cujus fidem palam , & deliberate ejuraverunt ? igitur etiam omnes illæ sectæ Christianæ quæ discordant in fide christiana , non servant amplius istam unitatem nec sunt membra veræ Ecclesiæ , quia hoc ipso quod a fide ejus dissentiunt per voluntariam hæresim ab ea recedunt .

Dictum est per voluntariam hæresim : nam qui involuntarie in hæresi aliqua detinentur , sicuti sunt primo infantes omnes ante usum rationis , & secundo etiam illi , qui invincibiliter ignorant suæ sectæ falsitatem (Vid. hic infra propos. V. in Resp. ad Opposit. 2.) scilicet *qui* (ut verbis utamur S. Parentis Augustini in Epist. 43.) , *Sententiam suam , quamvis falsam , atque perversam , nulla pertinaci animositate defendunt , præsertim , quam non audacia præsumptionis suæ pepererunt , sed a seductis , atque in errorem lapsis parentibus acceperunt : quærunt autem cauta sollicitudine veritatem , corrigi parati , cum invenerint* , isti inquam si baptizati sunt cum debita verborum forma , nec in adulta ætate jam constituti detineantur in secta aliqua , quæ aliquid doceat , vel contra legis naturæ præcepta , vel contra primaria Religionis Christianæ dogmata , idest contra illa quæ sunt de necessitate medij ad salutem , & quæ a debite baptizatis omnibus ignorari nullatenus possunt , sicut *inter hæreticos nequaquam sunt deputandi* ut loco citato concludit S. P. Augustinus , ita etiam conservant unitatem fidei , & propterea non cessant esse membra veræ Ecclesiæ Christi .

Ad alteram probat. *dist.* Sectæ christianæ discordantes in fide retinent characterem baptismi illegitime

conc. legitime *nego*, nempe tam baptismus, quam character baptismi potest haberi in anima impressus & retineri legitime, & illegitime, idest secundum, & contra legem Christi, quatenus nimirum quis eo utitur, vel secundum legem Christi, quam in susceptione baptismi palam professus est, vel contra, profitendo scilicet fidem priori huic professioni contrariam, sicuti faciunt sectæ omnes Christianæ, quæ vel per hæresim manifestam, vel per schisma voluntarie a fide veræ Ecclesiæ dissentiunt, de quibus propterea jure affirmari debet cum S. P. Augustino lib. 5. de baptismo cap. 7. *Baptismum legitimum habent, sed non legitime habent.*

Ad tertiam probat. *dist.* Omnes sectæ Christianæ valide baptizant, baptismo Ecclesiæ *conc.* baptismo proprio *nego* (4), Ut baptismus validus sit, non

(4) Quod baptismus sectariorum proprius, idest, qui apud aliquos subinde confertur vel in alia materia vel sub alia forma Verborum, quibus vera Christi Ecclesia illum conferre consuevit, sicut erat ille, quem conferebant sectatores Pauli Samosateni baptizantes sine expressa invocatione Sanctissimæ Trinitatis, & quem expresse damnat Concilium Nicænum I. canone 19. validus non sit, consentiunt theologi omnes: hinc intelligitur quod turpiter erraverint hæretici *flagellantes*, nec valide baptizaverint sanguine, quem flagellis ex baptizandorum corporibus eliciebant, nixi testimonio in Epist. 1. Joannis cap. 5. v. 6. scilicet *hic est qui venit per aquam et sanguinem, Jesus Christus, non in aqua solum sed in aqua et sanguine*, quasi verba ista intelligenda essent de administratione baptismi, cum intelligi debeant de Christo cruci affixo, de cujus latere exivit sanguis & aqua: intelligitur etiam quod ad casum illum particularem, quem refert Nicephorus in lib. 3. hist. Eccles. cap. 37. nimirum, quod Judæus quidam infirmus, & arena baptizatus, illico de infirmitate sua convaluit in gratiam suscepti baptismatis, respondendum est, quod miraculum istud adscribi debeat, non Sacramento

requiritur, nisi ut sit baptismus veræ Ecclesiæ Christi, idest ut collatus fuerit cum debita materia, & forma, & cum intentione Ministri, ex Concil. Trident. Sess. 4. can. 9., & Sess. 7. can. 11. non autem ut etiam in sinu Ecclesiæ conferatur, nam infideles quoque, & pagani, qui profecto nullam cum vera Ecclesia Christi partem habent, valide baptizant ex decreto Eugenij IV. pro instructione Armenorum, ubi inquit Summus Pontifex *in casu necessitatis, etiam paganus baptizare potest*: & ratio est quia baptismus in debita materia, & sub debita verborum forma, & intentione faciendi, quod facit Ecclesia collatus, sive denique conferatur in Ecclesia, sive extra illam, est semper baptismus non paganorum, non Judæorum, non sectariorum, sed baptismus Christi.

Hinc patet quid respondendum sit ad sequentem

quod revera nullum fuit, sed potius bonitati & misericordiæ Dei, atque fervori ac pietati Judæi illius, qui in simplicitate cordis sui etiam in arena potius baptizari voluit, quam spreto simpliciter baptismo ex hac vita decedere; ut vel exinde patet, quia Dionysius Alexandrinus teste Nicephoro in loco citato eundem jussit baptizari in aqua: atque hic breviter notare oportet, quod materia propria baptismi est aqua omnis, quæ ex communi usu aquæ nomine vere significatur: sicuti est aqua marina, fluvialis, fontana, pluvia, sive frigida, sive calida, sive pura, sive impura, & mixta sine mutatione naturæ suæ: item ea, quæ ex lapidibus defluit, & ea, quæ ex glacie, vel ex grandine & nive resolvitur: non tamen vel roseacea, vel quæ de arboribus & vitibus manat: imo ex probabiliori sententia neque *lixivium*, quia licet istud ad lotionem adhibeatur, & cum ablutione, quæ fit in baptismo analogiam quandam habeat, non vocatur tamen nomine aquæ: atque ideo in eo baptizare, sicuti etiam in aqua roseacea, & illa quæ ex arboribus & vitibus manat peccaminosum est, & illicitum, excepto tamen casu necessitatis, & quando nullo modo haberi potest alia ex illis supra memoratis.

probationem, nempe omnes sectæ Christianæ generant per baptismum Christo, & Ecclesiæ suæ filios quatenus conferunt baptismum Christi *conc.* quatenus conferunt baptismum suum proprium *nego*. Responsio patet ex dictis: quamquam quod hic ulterius notandum est, effectus baptismatis sicuti etiam reliquorum Sacramentorum proprie loquendo, non est tribuendus ministro Sacramenti, sive probus sit, sive improbus; sive fidelis, sive infidelis, sed Christo ipsi, qui Sacramenta instituit: sicuti de baptismo singillatim explicat S. P. Augustinus tract. 6. in Joannem ubi loquens de columba, quæ de Cœlo descendit Joannis cap. 1., & super Christum mansit cum in Jordane baptizaretur a Joanne Baptista vers. 32., & ostendens quid Baptista Christi per columbam istam didicerit inquit illum didicisse, *quandam proprietatem in Christo talem futuram, ut quamvis multi ministri baptizaturi essent, sive justi, sive injusti, non tribueretur Sanctitas baptismi, nisi illi super quem descendit columba, de quo dictum est, hic est qui baptizat in Spiritu Sancto*. Tum vero subjungit immediate dicens: *Petrus baptizet! hic est, qui baptizat; Paulus baptizet hic est qui baptizat; Judas baptizet! hic est qui baptizat*. Igitur generatim sectæ omnes Christianæ, quæ in fide discordant, sunt semper extra unitatem veræ Ecclesiæ Christi, licet generent Christo, & Ecclesiæ suæ filios, quia illos non generant de suo, sed de Christi baptismate, quod secum extra veram illius Ecclesiam deportaverunt.

Ad alteram difficultatem *dist.* Judæi qui jam crediderant observantes legem Moysis post Concilium Apostolicum act. cap. 15. non servabant unitatem fidei, supposito, quod legem observaverint tanquam ad salutem necessariam *conc.* Supposito quod illam

observaverint simplicer tanquam bonam a Deo institutam, atque tunc jam indifferentem, & minime necessariam *nego*. Ut intelligatur, quomodo Judæi, de quibus actor. cap. 21. v. 20. legitur: *Vides frater quot millja sunt in Judæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores legis sunt*: ab unitate fidei non recesserunt, non obstante, quod essent æmulatores legis etiam post celebratum jam Concilium ab Apostolis actor. cap. 15. in quo discussa fuit quæstio, an opporteat: *præcipere quoque servare legem Moysis* ibidem vers. 5., & præscriptum vers. 9. *Non inquietare eos, qui ex gentibus convertuntur ad Deum, & nihil ultra imponere oneris, quam hæc necessaria ut abstineant se ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione* sicut habetur vers. 29. ut inquam istud intelligatur, imprimis notandum est, quod lex vetus cum esset *umbra futurorum bonorum*, ad hebr. cap. 10. v. 1., & ad Colossens. cap. 2. v. 17., in morte Christi tota evanuerit: hoc tamen ita accipi debet, quod tunc facta sit *mortua*, sed tamen non *mortifera*, ut explicat, & docet S. P. Augustinus in Epist. 82. idest non amplius necessaria ad salutem, sed tamen etiam non nociva, neque noxia: deinde lex ista, quantum ad præsentem materiam attinet, considerari debet sub duplici respectu; nempe primo, quatenus a Deo ipso instituta fuit; & secundo quatenus sic instituta Judæis erat ad salutem necessaria: si primo modo spectetur, erat bona in se etiam post mortem Christi: ac proinde sub hoc respectu non solum fuit aliquamdiu permissa ab Apostolis, sed etiam pro opportunitate temporum, locorum, & personarum religiose sæpe observata: ut omnes norunt: nam hoc modo Paulus circumcidit imprimis Timotheum actor. cap. 16. v. 3. *Propter Judæos, qui erant in illis lo-*

eis : *sciebant enim omnes quod Pater ejus erat gentilis* : deinde totondit seipsum in Cenchris Corinthiorum portu ad Sinum Saronicum, ***habebat enim votum*** : act. cap. 18. v. 18., & facto calvitio, atque expletis diebus purificationis obtulit oblationem in Jerusalem: act. cap. 21. v. 26. igitur nihil plane repugnat, quod omnes, vel sicut verosimilius apparet, ferme omnes illi, qui ex Judæis crediderunt essent *æmulatores legis*, etiam post concilium Apostolicum, in quo observantia legalium declarata fuit tanquam non amplius necessaria, & hoc non obstante ab unitate fidei in Concilio isto definitæ non recesserint: siquidem poterant legalia observare, atque esse æmulatores legis, quatenus in se bona erat, & hæreditario jure divinitus ipsis concessa, & interim spem salutis reponere, quemadmodum reponenda erat, non in observantia legis, sed in fide in Christum, in qua eandem repônendam tum Paulus, tum cæteri Apostoli eosdem continue docebant, & exhortabantur.

De cætero autem si quispiam obstinate contendat aliquos ex illis observasse legalia, non tanquam signa indifferentia, sed tanquam necessaria ad salutem, de illis sicut inficiari non potest, quod post solemnem illam Apostolorum definitionem in fide erraverint, ita quoque fatendum erit, quod hoc ipso non permanserint amplius in unitate fidei Christianæ, ac propterea etiam non pertinerent amplius ad veram Ecclesiam Christi, siquidem tunc de eis verificabitur quod Paulus in Epist. ad Galatas cap. 5. v. 2. eisdem aperte denuntiat dum ait : ***Ecce ego Paulus dico vobis si circumcidamini Christus vobis nihil proderit***, ac proinde, ex facto isto Judæorum nihil plane deduci potest ad ostendendum quod ad ser-

vandam unitatem veræ Ecclesiæ satis sit credere articulos fundamentales.

Propositio II. Altera nota veræ Ecclesiæ Chrirticonsistit in eo, quod sit Sancta præsertim 1. Sanctitate doctrinæ 2. Sanctitate vitæ, & 3. sanctitate miraculorum.

Probat. Quod vera Christi Ecclesia debeat esse sancta absolute, & simpliciter, nullum plane potest esse dubium: quoniam, ut Paulus testatur in Epist. ad Ephes. cap. 5. v. 25. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, ut sit sancta, & immaculata*: & quamvis multiplici titulo appellari queat sancta, nempe, vel ratione suæ vocationis, quatenus, ut modo vidimus ex Apostolo tota ad sanctitatem ordinata fuit a Christo; vel ratione suæ fidei, & Sacramentorum, quibus fidelium sanctificatio, vel perficitur, vel augetur, vel etiam ratione sui Capitis, sive Christi domini, a quo in illam derivatur omnis sanctitas, nihilominus proprie loquendo, Sanctitas, quatenus est nota verae Ecclesiae ex Christi institutione constituenda est primo in sanctitate Doctrinae de qua Christus ipse Joan. cap. 8. v. 31. inquit, *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis*: quibus aperte innuit, quod character distinctivus discipulorum suorum, sive Ecclesiae suae in eo praesertim eluceat si in sermone ejus permanserint: unde etiam ibidem cap. 17. v. 19. testatur, quod seipsum sanctificaverit, ut discipuli ejus sanctificati essent in veritate dicens: *pro eis sanctifico meipsum, ut sint & ipsi sanctificati in veritate*: & secundo in Sanctitate vitæ membrorum Ecclesiæ: unde Math. cap. 5. v. 16. jubet Christus dicens *sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra, & glorificent Patrem vestrum qui in Cælis est*, & Math. cap. 7. v. 20. testatur dicens: *ex fructibus eorum cognoscetis eos*, sane enim utrobique fit sermo de sanctitate

vitae, ut patet ex verbis: *ut videant opera vestra*, & ex *fructibus eorum*: quod autem opera ista, & fructus isti habeant rationem signi caracteristici, quo vera Christi Ecclesia manifestanda esset, & ab omnibus falsis discernenda, patet manifeste imprimis ex verbis *ut videant*, *& glorificent*, & deinde ex aperta sententia, quae secundo loco occurrit, nempe *cognoscetis eos*. Tandem nota qua Ecclesia dicitur Sancta constitui debet etiam, & quidem praecipue in sanctitate miraculorum, ut patet primo, ex cap. 16. Marci vers. 17., ubi Christus inquit, *signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient, serpentes tollent, & si quid mortiferum biberint non eis nocebit*, ubi sermonem fieri de veris miraculis, patet ex sola lectione: neque ulla ratione dubitari potest, quod miracula ista perpetranda posita sint pro nota caracteristica, & distinctiva verae Ecclesiae Christi; siquidem expressis verbis asserit Christus, quod futura sint signa illorum, qui crediderint: ubi tamen animadvertendum est quod promissio ista Christi non debeat restringi ad hos, vel illos credentes in particulari, vel ad hoc, aut illud tempus aliquod particulare, & determinatum, sed ad totam societatem fidelium in communi, & ad omnia tempora: nam ut patet ex naturali sonu verborum, non est promissio determinata, sed indefinita, & respicit credentes ipsos in genere: deinde idem evincitur ex perspicua consimili fere sententia, quae extat apud Joan. cap. 14. v. 12. ubi Christus manifeste promittit dicens: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & majora horum faciet*: igitur altera nota verae Christi Ecclesiae est, quod sit sancta: 1. sanctitate doctrinae, secundo sanctitate vitae, & 3. sanctitate miraculorum.

Solvuntur opposita argumenta.

Opp. Sanctitas vitiæ non potest esse nota veræ Ecclesiæ Christi, nam ita sane se habet sanctitas vitæ ad Ecclesiam veram, sicut improbitas ad Ecclesiam falsam: atqui improbitas vitæ non est nota Ecclesiæ falsæ; ergo etiam sanctitas non est nota Ecclesiæ veræ: deinde sanctitas vitæ haberi potest apud omnes sectas, & etiam inter infideles ipsos, apud quos sæpe inveniuntur viri insigni pietate & justitia præditi; ergo sanctitas vitæ perperam assignatur pro altera nota Ecclesiæ Christi.

Respond. ad primum *nego ans.* ad probat. *dist. maj.* ita se habet sanctitas vitæ ad Ecclesiam veram sicut improbitas ad falsam, si loquamur de sanctitate & improbitate absoluta, & quatenus est omnium *conc.* si loquamur de sanctitate & improbitate aliquorum *nego* & *dist. min.* improbitas relativa & aliquorum non est nota falsæ Ecclesiæ *conc.* improbitas absoluta, & omnium *nego* tam sanctitas, quam improbitas vitæ alicujus societatis dupliciter spectari potest, nimirum absolute, & quatenus est omnium illorum, qui societatem ipsam constituunt, & relative, sive quatenus est multorum quidem, sed non omnium: si primo modo spectentur, nullum plane est dubium, quin ita se habeat sanctitas vitæ ad veram Christi Ecclesiam, sicut se habet improbitas ad Ecclesiam falsam: nam sicuti dubitari non potest, quod societas aliqua sancta sit, in qua omnes, qui societatem illam efformant vitæ sanctitate præditi sunt, ita etiam si tota aliqua societas impia fuerit, & improba, idest si vel impia dogmata profiteatur, & non recte de fide sentiat, sicuti sunt societates omnes hæreticorum, vel etiam præcepta sequatur a cha-

ritate aliena, & discindat in partes Ecclesiam Christi, sicuti sunt societates schismaticæ, nemo plane est, qui non videat, quod societates istæ non possint formare, nisi Ecclesias falsas: non ita tamen discurrendum est, si sanctitas & improbitas vitæ spectentur relative, & quatenus multorum sunt, sed non omnium: tunc enim inter unam, & alteram dispar plane est ratio: prout nempe dispar plane est relatio & habitudo utriusque ad totam societatem: & revera nam generatim, sicut in corpore physico, ita etiam in morali, cujusmodi est omnis tam justorum quam impiorum hominum societas, possunt dari, & inveniri membra jam mortua, quin corpus ipsum etiam jam mortuum fuerit, econtra autem non possunt dari, nec inveniri membra viva, quin corpus ipsum vivum fuerit, eo quia membra singula non vivunt, nisi per vitam corporis, & moriuntur semper per mortem propriam: quamobrem sicut ex vita membrorum corporis physici, etiam minus præstantium semper recte concluditur corpus ipsum vivere, ita etiam in corpore morali idipsum jure ac merito concludi debet; ac proinde licet ex improbitate quorundam membrorum alicujus societatis universim concludi nequeat societatem ipsam improbam esse, nihilominus tamen ex sanctitate membrorum recte semper concluditur societatem ipsam debere esse sanctam, eo quia fieri non potest, ut inveniantur membra sancta, nisi in societate aliqua, quæ tota impia non est, & improba: atque ideo etiam nota, qua vera Christi Ecclesia discernitur a falsis rectissime statuitur consistere in sanctitate vitæ.

Ad alterum *dist.* sanctitas vitæ haberi potest apud omnes sectas etiam inter infideles, si tales sint materialiter tantum *conc.* si tales sint formaliter *subdist.* & tunc sanctitas ista est pure philosophica, & fucosa *conc.* est vera & christiana *nego*. Nullus plane

est, qui in secta aliqua a vera Christi Ecclesia aliena, vel in infidelitate voluntarie detentus vera vitæ sanctitate præditus sit, imo nec esse potest, præsertim si de illa sanctitate loquamur, quæ miraculis confirmata est, cum enim miracula vera fieri nequeant in confirmationem erroris, ut sect. 1. cap. 1. vidimus: fieri non potest, ut in secta aliqua, vel in infidelitate voluntarie vivens vitæ suæ rectitudinem miraculis confirmet: quapropter si qui probi subinde viri inveniuntur, vel inter sectarios, vel inter infideles, isti vel sunt tantum materialiter tales, vel si sunt tales formaliter, vivunt vitam solummodo philosophicam, quæ de Deo, veraque virtute nihil plane sollicita est, & quæ proinde ad veram vitæ sanctitatem, quam exigit Christus, & quæ sola vocari & haberi debet tanquam nota characteristica & distinctiva veræ Ecclesiæ Christi, nullatenus pertinet; nam ut in Epist. 141. num. 5. observat S. P. Augustinus *quisquis a catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimet, hoc solo scelere, quod a Christi unitate disjunctus est, non habet vitam, sed ira Dei manet super illum*, & magis explicite atque diffusius enarrat. in psalm. 83. ubi inter alia, quæ huc pertinent idem S. Pater num. 7. inquit *quanti videntur præter ecclesiam bona operari, quam multi etiam pagani pascunt esurientem, vestiunt nudum, suscipiunt hospitem, visitant ægrotum, consolantur inclusum; quam multi hoc faciunt? quasi videtur parere turtur, sed non sibi invenit nidum: quam multa multi hæretici non in ecclesia operantur? non in nido pullos ponunt; conculcabuntur, & conterentur; non servabuntur, non custodientur . . . non ubicumque turtur inveniat nidum sibi, ubi ponat pullos suos. In fide vera, in fide catholica, in societate unitatis Ecclesiæ ponat opera sua.*

Propositio III. Tertia nota veræ Ecclesiæ Christi est quod sit catholica sive universalis 1. in fide & 2. in sua diffusione per totum orbem saltem moraliter.

Probat. Quod vera Christi Ecclesia debeat esse catholica sive universalis in fide, ita ut fides illius non solum sit omnium locorum, sed etiam omnium temporum, patet primo ex eo, quod debeat esse una in unitate fidei, ut propositione prima ostensum fuit, & secundo etiam ex eo quod ex promissione Christi durare debeat usque ad mundi finem; ut sequenti capite demonstrabitur: quod autem debeat esse diffusa per totum orbem, patet primo ex innumeris ferme prophetijs, quibus diffusio ista in veteri testamento prænuntiata est: sic, ut unam vel alteram proferamus Malachiæ cap. 1. v. 11. legitur aperte *ab ortu solis usque ad occasum sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda*, & Isaiæ cap. 11. v. 9., & 10. *repleta est terra scientia domini, sicut aquæ maris operientes, in illa die radix Jesse, quæ stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur:* quæ verba expendens S. P. Augustinus in lib. de unit. Eccl. cap. 7. inquit: *dicat Isaias ubi Ecclesiam Deo revelante præviderit, ut in verbis futura dicentis, jam nunc præsentia videamus. Repleta est inquit universa terra, ut cognoscat dominum, ut aqua multa operiat mare, & erit in illa die radix Jesse, & qui exurget principium habere in nationes, in eum gentes sperabunt*. Idem consequitur etiam manifeste ex eo quia Christus jussit prædicare Evangelium suum, misitque discipulos suos in mundum universum Marci cap. 16. v. 15. dicens: *euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ!* deinde quod diffusio ista Evangelij, sive fidei Evangelicæ ad universum orbem a Christo constituta fuerit, ut esset nota caracteristica veræ Ec-

clesiæ suæ, manifestum est primo quidem ex modo allatis Scripturae testimonijs, & speciatim ex illo Isaiae cap. 11. v. 10. in eo quippe aperte affirmatur quod radix Jesse per totum orbem diffusa, ***stat in signum populorum***: & secundo idipsum manifestius adhuc evincitur ex Math. cap. 24. v. 14. ubi Christus Dominus expresse promittit praedicandum Evangelium suum in universo orbe dicens: ***& prædicabitur hoc evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus***. Sane enim diffusio per universum orbem ponitur hoc loco expresse, quod autem diffusio ista habeat rationem signi, sive notae distinctivae patet ex verbis, ***in testimonium omnibus gentibus*** neque enim testimonium istud, quod omnibus gentibus innotescere debebat, de alio intelligi potest, quam de praedicatione in universo orbe (5), ergo tertia nota verae Ecclesiae Christi est,

(5) Quanquam sint, qui cum Sancto Hieronymo & Ven. Beda existimant, nonnisi sub finem mundi gentes omnes ad veram Christi fidem perventuras; & prædicationem Evangelij Math. cap. 24. v. 14. prædictam a Salvatore nostro ***in universo orbe*** esse etiam signum dominici adventus, & consumationis sæculi, de qua eodem loco ipse Dominus subjungit dicens ***et tunc veniet consumatio***: attamen nihil impedit, imo vero videtur etiam probabile quod promissio ista Christi de prædicando Evangelio regni in universo orbe jam semel impleta fuerit, complenda iterum plenarie, & finaliter in fine mundi, & quod Apostoli ipsi non solum orbi cognito sed etiam omnibus nobis incognitis nationibus Evangelium Christi jam semel annuntiaverint, sicut docere videntur inter alios S. Joannes Chrysostomus, & S. Hilarius hom. 76. in Math. sane enim verba illa Christi Marci cap. 16. v. 15. dicentis ad discipulos suos ***euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ***, non videntur esse merum consilium sed præceptum potius, & æquum plane est credere, quod Apostoli jussioni huic obtemperaverint, quantum ex

quod sit catholica, sive Universalis: 1. in fide, & 2. in sua diffusione per totum orbem saltem moraliter.

Dictum est *saltem moraliter*; nam ut diffusio ista verae Ecclesiae Christi per universum orbem salva consistat, satis est, ut fides, & doctrina Evangelica, quibus vera Christi Ecclesia formatur, & instituitur, pertingat ad universum orbem, ita ut nullum sit regnum, vel imperium cognitum, in quo illa perfecte ignota, & incognita maneat.

Solvuntur opposita Argumenta.

Opp. Nulla est vel fuit unquam Ecclesia Christiana per totum orbem diffusa, neque tamen inficiari potest, quod existat aliqua vera Ecclesia Christi:

ipsis erat, atque ad eam adimplendam, cum istud naturaliter & proprijs viribus facere non possent, divinitus quoque adjuti fuerint, ita ut ad literam quoque verum sit, quod de illis in spiritu prænuntiavit regius vates psal. 18. v. 15. dicens *in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terræ verba eorum* profecto Georgius Moebius in dissert. *An Apostoli Americanis Evangelium annuntiaverint* habita in Gymnasio Marisburgensi anno 1660. inter alia in hanc rem tum veterum tum sui temporis scriptorum testimonia, producit ex Tertulliano, qui secundo Ecclesiæ sæculo floruit, insignem locum desumptum ex lib. adversus Jodæos cap. 4. in quo hæc habentur: *crediderunt Christo Getulorum varietates, et Maurorum multi fines: hispanorum omnes termini, et Galliarum diversæ nationes, et Brittanorum inaccessa romanis loca, et Sarmatarum, et Dacorum, et Germanorum, et Scytharum, et abditarum multarum gentium, et Provinciarum, insularum multarum nobis ignotarum, et quæ enummerare non possumus*: ad quæ auctor laudatæ dissertationis tanquam de suo adjungit dicens *quibus verbis Tertullianus quasi digitum ad Americanos intendere videtur, quando dicit multas abditas gentes, quas enummerare non posset Evangelio credidis-*

deinde notae rerum coexistunt rebus ipsis; atqui proprietas ista, quod Ecclesia Christi sit catholica non coexistit verae Ecclesiae, siquidem Ecclesia ista, sicuti a Cristo fundata fuit, non continebatur in principio, nisi inter angustos Palestinae limites, ergo proprietas ista quod debeat esse catholica, non potest esse nota verae Ecclesiae.

Respond. Ad primum *dist.* nulla est, vel fuit unquam Ecclesia Christiana per totum orbem diffusa, si sermo sit de diffusione mathematice accepta *conc.* si sermo sit de diffusione morali *nego*. Quod vera Ecclesia Christi deberet esse societas, & communio quaedam omnium gentium in una fide, & in una spe, & charitate sub regimine legitimorum Pastorum Deo servientium, istud, & Prophetae praenuntiarunt ut supra vidimus, & expresse docuit etiam Christus: interim tamen ut societas ista sicut praenuntiata fuit, & promissa, subsistere quoque intelliga-

se: nec videtur cur ea, quae hic de Americanis dici creduntur ex Tertulliano, etiam ad alias nobis usque modo incognitas nationes referri non valeant: nam licet modus, quo istud contigerit certo determinari nequeat, quia tamen in materia religionis *sermo noster et prædicatio nostra* constitui debet *non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* ut inquit Paulus in 1. ad Corinth. cap. 2. v. 4. & quia fides nostra collocari non debet *in sapientia hominum sed in virtute Dei* ut vers. 5. ibidem subjungit Apostolus, nihil plane impedire videtur, quin credamus, quod Apostoli ab eodem spiritu, cujus ope *cœperunt loqui varijs linguis* act. cap. 2. v. 4. & qui Philippum rapuit, ne illum amplius videret Eunuchus Reginæ Candacis postquam ab ipso baptizatus, & in fide Jesu instructus fuit act. cap. 8. v. 39. ad regiones illas incognitas perducti fuerint, quas sola humana industria peragrare non poterant, atque ita Evangelium & fidem Christi ad universum orbem per seipsos revera annuntiaverint.

tur, non est necesse, ut aliqua sit Ecclesia Christiana, quae in omnibus physicis terrae angulis nota fuerit, & mathematice quodammodo per totum orbem diffusa, sed satis est ut aliqua existat ita per orbem diffusa, ut nullum sit, & cognoscatur regnum, vel civile imperium aliquod integrum, in quo doctrina, & fides ejus penitus incognita maneat, ut paulo supra dictum fuit: cujusmodi esse Ecclesiam catholico romanam paulo infra demonstrabitur.

Ad alterum *dist.* Notae rerum coexistunt rebus singulae secundum proprium illarum modum *conc.* singulae aequaliter omnes *nego* Quod dicitur notas rerum coexistere rebus verum non est, nisi tantum secundum proprium illarum modum: nempe notae naturales, & intrinsecae, coexistunt totae simul cum rebus, quarum sunt notae; liberae autem, & extrinsecae secundum modum illius cujus nutu, & voluntate determinatae, & institutae fuerunt: porro autem universalitas diffusiva non convenit Ecclesiae Christi, nisi ex voluntate Dei; & quia voluntas Dei fuit, ut ipsa ex parvis initijs incrementum suum susciperet, & certis quibusdam progressibus ab uno loco in alium, & postea etiam ad universum orbem paulatim excurreret, mirum esse non debet, si ab initio non fuit catholica, & universalis hoc sensu, quod esset ubique terrarum diffusa, nam ad istam universitatem pertingere debebat ex Christi institutione non simul, sed successive: praeterea, quod hic notandum superest: licet Ecclesia Christi in exordio suo non esset ubique diffusa, ac propterea stricto sensu, ut modo dictum est, catholica nuncupari non posset, erat tamen catholica sensu quodam ampliori: nimirum quia palam, & coram omnibus statim post Christi ascensionem, & descensum Spiritus Sancti Apostoli *cœperunt loqui varijs*

linguis act. cap. 2. v. 4. idest linguis fere omnium gentium ita ut *Parthi*, *&* *Medi*, *&* *Aelamitæ*, *&* *qui habitant Mesopotamiam*, *Judæam*, *&* *Cappadociam*, *Pontum*, *&* *Asiam*, *Phrygiam*, *&* *Phamphyliam*, *Aegyptum*, *&* *partes libiæ*, *quæ est circa Cyrenen*, *&* *advenæ romani*, *Judæi*, *quoque*, *&* *Proselyti*, *Cretes*, *&* *Arabes*, audiverint eos loquentes proprijs illorum linguis *magnalia Dei*, ut legimus ibi vers. 9., & seqq. unde etiam factum est, quod viventibus adhuc Apostolis, sicut fides in Christum, ita etiam Ecclesia Christi ad universum orbem pervenerit, & per brevissimum tempus tantummodo inter angustos Palestinæ limites conclusa delituerit: quemadmodum expresse testatur etiam Paulus Apostolus in Epist. ad Rom. cap. I. v. 8. ubi ait, *gratias ago Deo meo per Jesum Christum pro omnibus vobis*, *quia fides vestra annuntiatur in universo mundo*, & in Epist. ad Colossens. cap. 1. v. 7., ubi inquit: *pervenit ad vos verbum veritatis Evangelij*, *sicut in universo orbe*, & apertius vers. 23. ubi de fide, & spe Evangelij affirmat dicens: *quod prædicatum est in universa creatura*, *quæ sub cælo est* (6).

(6) Ex hac Pauli sententia non parvum accedit robur ad opinionem, quam nota superiori probabilem diximus; nimirum quod Apostoli ipsi omnibus gentibus, quae tunc per totum mundum ubivis locorum existebant Evangelium Christi immediate psaedicaverint: licet enim interpretes tam verba ista, quam reliqua, quae in hanc rem proferuntur, & proferri possunt Pauli testimonia fere communiter exponant de orbe romano, si tamen in sensu obvio accipiantur, videntur sine dubio aliquid amplius innuere: neque enim supponi potest, quod Apostolus crediderit *universam creaturam quæ sub cælo est*, in sensu proprio indicare creaturam illam tantum, ad quam se extendebat suo tempore romanum impe-

Propositio IV. Nota quarta distinctiva veræ Ecclesiæ, est, quod sit Apostolica primo ratione doctrinæ, & secundo ratione suæ originis, id est in perpetua, & non interrupta Pastorum suorum successione ab Apostolis.

Probat. Quod vera Christi Ecclesia debeat esse Apostolica primo ratione suæ doctrinæ, evidens est, & consentiunt etiam hæretici: nam vera Christi Ecclesia stare non potest sine sincera doctrina Christi; atqui sincera doctrina Christi alia non est, neque esse potest quam illa, quæ tradita fuit ab Apostolis, quibus munus docendi a Christo commissum fuit, dum eis dixit: *docete omnes gentes*: Math. cap. 28. v. 19. deinde quod debeat esse Apostolica ratione originis suæ, idest in continuata, & non interrupta successione Pastorum suorum ab Apostolis manifestissimum est: nam vera Christi Ecclesia debet uti-

rium; deinde videtur etiam supponi non posse quod regius Psalmista, dum psalmo 18. v. 5. praenuntiat in spiritu Evangelij praedicationem perventuram in omnem terram dicens *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum*; per fines orbis terrae intellexerit solum orbem romanum, quippe tempore Davidis orbis iste romanus, qui primum descriptus fuit edicto Cœsaris Augusti Lucae cap. 2. v. 1. nondum existebat: & tamen Paulus interpretatur etiam ista in sensu obvio de praedicatione Evangelij per Apostolos suscepta & completa in Epist. ad Rom. cap. 10. v. 18. huc accedit quod sacri scriptores novi testamenti nihil fere expresse docuerint circa ea quae Apostoli gesserunt in praedicatione Evangelij: quod fatetur etiam doctissimus Calmet comment. in caput 24. v. 14. Mathaei ubi ait, *ex Pauli laboribus, et progressu, quos novimus, colligi potest quam multa præstiterint reliqui Apostoli, quæ ignoramus*, ut adeo non sit incongruum cogitare, quod vere ad orbem universum, idest universis late dispersis per orbem gentibus omnibus Evangelium Christi ipsi annuntiaverint.

que originem suam habere ab illis, quibus commissum, & attributum fuit jus fundandi, & instituendi Ecclesias: atqui jus istud commissum, & attributum fuit solis Apostolis, nam illis solis dixit Christus: *euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ*, Marci cap. 16. v. 15. Præterea Christus Dominus ita instituit Ecclesiam suam, ut voluerit, quod eadem regeretur, & gubernaretur a Pastoribus, quos ipse constituerat usque ad consumationem sæculi: etenim ut ait Paulus in Epistola ad Ephes. cap. 4. v. 11. Christus, *quosdam quidem dedit Apostolos . . . quosdam Pastores, & doctores, ad consumationem sanctorum in opus ministerij, in aedificationem corporis sui, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei*: quod autem in doctrina Apostolica, & in successione Pastorum non interrupta ab Apostolis collocari debeat ratio veræ notæ, seu signi distinctivi, quo vera Christi Ecclesia a falsis omnibus Christianorum sectis discerni valeat, evidentissimum est ex eodem Apostolo, nam loco modo laudato vers. 14. affirmat a Christo præter Apostolos, & prophetas atque Evangelistas datos esse Pastores, & Doctores, ut jam *non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris*. Profecto enim si hæc postrema Apostoli verba jungantur cum illis, quæ supra protulimus, clare videbitur, Pastores, & doctores datos a Christo, sicut Apostolos Prophetas, & Evangelistas in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, & quidem eousque, *donec occurramus omnes in unitatem* fidei, quæ manifeste ostendunt, & commendant non solum doctrinam Apostolicam, sed etiam continuatam successionem Pastorum in eo quod ait, *donec occurramus om-*

nes, & præterea quoque rationem signi distinctivi in eo, quod inquit: *ut jam non simus parvuli fluctuantes*: merito propterea Tertullianus hæreticos omnes perstringit in suo libro de præscriptionibus cap. 32. dicens: *edant origines Ecclesiarum suarum, evolvant ordinem Episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem, vel antecessorem.*

Solvuntur opposita Argumenta.

Opp. Origo Apostolica non distinguit veram Ecclesiam, nam etiam Lutherus, Calvinus, & Zuvinglius succedunt ad Apostolos, siquidem ille erat Sacerdos regularis legitime ordinatus, isti autem erant Parrochi, seu ut ajunt, Pastores secundi ordinis: præterea in lege veteri successio Sacerdotij non erat nota distinctiva legitimæ Ecclesiæ, nam Deus sæpe, suscitavit Prophetas extra ordinem Sacerdotij ad corripiendum, & docendum populum, ergo etiam in lege nova successio ista non distinguit veram Ecclesiam Christi.

Respod. Ad primum *dist.* Origo Apostolica simpliciter, & spectata seorsim non distinguit veram Ecclesiam *conc.* spectata in serie non interrupta, & simul cum alijs notis veræ Ecclesiæ Christi *nego* Principio dum loquimur de notis veræ Ecclesiæ, tametsi nulla ex illis, quas usque modo exposuimus, proprie conveniat, nisi soli veræ Ecclesiæ Christi: attamen ad plene discernendam Ecclesiam istam a falsis christianorum sectis, necesse est, ut omnes simul considerentur, & conveniant, quemadmodum ab initio hujus capitis notatum fuit, deinde quod pertinet ad Lutherum, Calvinum, Zuvinglium, &

si qui alij sunt hujus generis hæretici, qui scilicet in Ecclesia baptizati, & legitime ordinati, ad munus aliquod Ecclesiasticum in sinu illius obeundum charactere aliquo insigniti fuerunt, utique isti omnes habuerunt originem ab Apostolis, a quibus sacra ordinatio, & missio apostolica universim suum habet principium: verum sicut ex vi ordinationis eorum non acceperunt aliam missionem, & successionem, quam prædicandi, & docendi doctrinam Ecclesiæ Christi ab Apostolis ipsis acceptam, ita etiam dum novam doctrinam ab Ecclesia damnatam, scienter, & pervicaciter spargere ausi sunt, & propterea anathemate damnati, & ab Ecclesia juxta præceptum Domini Math. cap. 18. v. 17. inter ethnicos, & publicanos rejecti, ad eandem redire noluerunt, amiserunt hoc ipso originem, & missionem illam, quam in sacra ordinatione per successionem Apostolicam acceperant: atque per novam doctrinam ab Apostolis minime acceptam fabricaverunt sibi novam originem, quæ ab ipsis suum sumpsit exordium, ita ut merito de singulis dici possit, quod de Novatiano pronuntiat S. Cyprianus in Epist. ad Magnum dicens: *exijt Novatianus, in Ecclesia non est, & apostolica traditione contempta, nemini succedens, a seipso ortus est*: ex quibus etiam istud intelligitur quod ad salvandam successionem non interruptam ab Apostolis satis non est habuisse originem Apostolicam, sed requiritur etiam ut successio ista conjuncta semper maneat cum apostolica doctrina, ad hoc ut origo Apostolica haberi merito, valeat pro nota distinctiva veræ Ecclesiæ Christi.

Ad alterum *nego ans.* ad probat. *dist.* in lege veteri Deus sæpe suscitavit Prophetas, qui non erant de stirpe Aaron salvo tamen semper ordine Sacerdotij divinitus semel statuto *conc.* secus *nego*. Non

solum in nova, sed etiam in veteri lege successio Sacerdotij erat essentiale constitutivum Ecclesiæ: nam verba illa Apostoli ad hebr. cap. 5. v. 4. ***Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatus est a Deo tanquam Aaron***, pertinent tam ad novum quam ad vetus Sacerdotium, quamobrem dum Deus subinde, suscitavit Prophetas extra ordinem Sacerdotij, eosque vocavit, ut peccata populi sui corriperent, & emendarent, quod proprium erat Sacerdotum, hoc præstitit non sublato, sed servato semper ordine successionis Sacerdotij in stirpe Aaron; nullibi enim legimus, quod Prophetæ isti, vel vetus sustulerint, vel novum instituerint Sacerdotium: & generatim vetus Sacerdotium, & in eo successio Sacerdotum non cessavit nisi cum translatione legis, ut constat ex Apostolo ad hebr. cap. 7. v. 12. ubi inquit: *translato enim Sacerdotio, necesse est ut & legis translatio fiat*.

Ut autem doctrina de successione Apostolica probe intelligatur, notandum hic breviter est, quod successio ista fundamentum suum habeat in missione: porro missio universim est duplex, nempe ***ordinaria***, qua quis ad ministerium aliquod in Ecclesia obeundum vocatur, & constituitur ab illis, qui illud per continuam successionem ab Apostolis acceperunt, & ***extraordinaria***: qua quis ad ministerium aliquod hujusmodi vocatur, & instituitur immediate a Deo ipso, sicut in veteri lege vocati fuerunt Prophetæ, & in nova Paulus, quem Christus ad Apostolatum assumpsit per revelationem ut ipse de se testatur in Epist. ad Galatas cap. 1. v. 12., & licet successio apostolica vere haberi possit tam per unam, quam per alteram missionem, & possit Deus quovis tempore mittere, & vocare aliquem, vel aliquos, qui cum ministris ordinarijs munere Ecclesiastico fungantur; docent tamen communiter Theologi, quod

in praesenti providentia, secundum quam Christus Ecclesiam suam instituit, missio ordinaria pertineat ad constitutivum essentiale Ecclesiæ suæ, ita ut omnis ille, qui hoc modo a Deo extraordinariam missionem haberet, deberet continuo suscipere quoque ordinariam & præterea missionem extraordinariam comprobare eo modo, quo illam in veteri lege probabant Prophetæ, nimirum sanctitate vitæ & miraculorum.

Propositio V. Vera Ecclesia Christi alia non est quam Ecclesia catholica romana.

Probat. Vera Ecclesia Christi alia non est quam illa cui soli conveniunt tam separatim quam simul characteres illi sive notæ, quibus vera Christi Ecclesia ex institutione Christi prædita est, & esse debet in omni illo sensu, in quo illas usque modo descripsimus: atqui sola Ecclesia catholica romana, idest Societas illa, sive unio diversarum Ecclesiarum totius mundi, quæ in professione fidei & Sacramentorum usu sub regimine legitimorum Pastorum cum Ecclesia, quæ Romæ est, conjunctæ existunt, & nulla alia est hujusmodi, cui modo descriptæ notæ perfecte conveniunt: nam *primo* in ista sola societate est vera tam fidei, quam charitatis & regiminis unitas; siquidem in Ecclesia catholica romana omnes quotquot sunt in Europa, in Asia, in Affrica, & in America fideles, idem plane credunt & sentiunt circa Deum, circa Christum Dominum, circa Symbolum, circa Sacramenta, circa spem communis omnium vocationis, sicut præscribit Paulus in Epist. ad Ephes. cap. 4., ita ut quicunque in ista Societate vel unum aliquem articulum ab Ecclesia ad credendum legitime propositum pervicaciter negaverit, ille statim ab ea expellitur, & tanquam membrum putridum ab ipsa præsciuditur,

hoc ipso, quia non habet cum illa *eundem spiritum fidei* in 2. ad Corinth. cap. 4. v. 13. præterea in Ecclesia ista omnes ita charitate simul conjuncti sunt, ut simplices fideles ubique & immediate subjecti existant suis Pastoribus qui Parrochi vocantur, Parrochi autem Episcopis, Episcopi Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis, & Patriarchæ romano Pontifici, sub quo tanquam sub capite totum Ecclesiæ corpus per orbem dispersum compactum atque connexum est, ex quo fit ut in ea præter unitatem fidei, & charitatis vigeat quoque perfecta unitas regiminis seu debitæ subjectionis & obedientiæ inferiorum erga superiores, idest erga legitimos Pastores, & præsertim erga romanum Pontificem tanquam Petri successorem, totius Ecclesiasticæ unitatis centrum, & Ecclesiæ ipsius visibile caput: *secundo* in hac Ecclesia habetur etiam vera sanctitas; & primo quidem sanctitas doctrinæ: nam nihil docet nisi sanctum tam de Deo, quam de rebus divinis: nihil credit, & nihil credendum proponit, nisi quod vel in libris canonicis seu divinitus inspiratis continetur, vel constanti & perpetua traditione majorum ab Apostolis ad nos usque transmissum est; & nihil plane præscribit agendum vel omittendum, nisi quod a Christo, ab Apostolis & a majoribus suis agendum vel omittendum esse didicit: præterea in hac societate floret & floruit semper etiam sanctitas vitæ, & miraculorum: ut patet ex historia omnium temporum: & imprimis testantur acta Apostolorum, deinceps vero etiam tabulæ Ecclesiasticæ minime suspectæ, ex quibus liquido constat in hac Ecclesia & in nulla alia, sicut nunquam defuerunt ex utroque sexu permulti vera vitæ sanctitate conspicui, ita etiam vera semper perpetrata fuisse miracula, quæ in beatificatione & canonizatione ita scrupulose examinari

& cribari perpetuo consueverunt a viris ex omni cætu Ecclesiastico selectis, & in scientia religionis maxime conspicuis & consumatis, ut nulli deceptioni vel fraudi obnoxia esse possint. *Tertio* sola ista Ecclesia est etiam vere catholica seu universalis, tam ratione suæ fidei & doctrinæ, quæ ubivis locorum & omni tempore eadem est, & fuit; quam etiam ratione suæ diffusionis: siquidem societas ista sive Ecclesia romana habet professores suos in Europa, in Asia, in Affrica, & in America, & licet non ubique cum æquali splendore effulgeat, habet tamen ubique plurimos, qui eandem palam profitentur, ut innotescit ex indubijs monumentis, atque historicis gravioribus omnibus, dum interim reliquae sectae christianae ab Ecclesia romana discordes per loca tantum particularia, & per limitatas provincias se diffundunt: Tandem *quarto* illa sola est vere Apostolica: primo quidem ratione doctrinae, siquidem nulla unquam haeresi dogmata sua contaminavit; neque usque modo inventus est, qui de romana ista Ecclesia vel assignavit, vel provocatus etiam assignare revera potuit tempus vel locum, vel auctorem, in quo, vel a quo post Apostolorum aetatem originem habuerit, & existere caeperit sub alia forma ab illa, quam in prima sua institutione ab Apostolis ipsis accepit; neque a quopiam unquam convinci potuit, quod fidem & doctrinam ab Apostolis acceptam in aliquo mutaverit: deinde est etiam vere Apostolica ratione suae originis seu perpetuae & nunquam interruptae successionis suorum Pastorum ab Apostolis: nam Ecclesia, quae Romae est, & quae aliarum omnium per universum orbem latissime diffusarum magistra, centrum, & caput merito nominatur, habet perpetuum testimonium apud omnes scriptores etiam illos, qui haeresi vel schismate infecti ab ea separati

existunt, de serie continuata suorum Pontificum sibi legitime semper succedentium usque ad Petrum; reliquae autem Ecclesiae, quae cum ista communicant, & collective sumptae unam cum illa universalem Ecclesiam catholicam romanam efformant, enummerant etiam ipsae ita Pastores suos sibi perpetuo legitime succedentes, ut plures ex illis liquido ostendere possint seriem Episcoporum suorum pervenire vel ad aliquem Apostolorum, vel ad Apostoli cujusdam immediatum aliquem discipulum; reliquae vero quae tardius fundatae & institutae fuerunt, perveniunt denique omnes in illa enummeratione ad Romanum Pontificem, a quo tanquam a capite hujus Ecclesiae & tanquam a supremo illius Pastore primum ordinatum & missum acceperunt Episcopum; ergo vera Christi Ecclesia alia non est quam Ecclesia Catholica romana.

Solvuntur opposita argumenta.

Opp. 1. Ecclesia catholica romana non est una unitate fidei & doctrinæ: nam mira plane obtinet in ea Theologorum dissensio circa diversas quæstiones fidei: neque jure una dici potest unitate regiminis, saltem sub hoc respectu, quatenus unitas ista includit debitam subjectionem inferiorum erga superiores; neque enim intelligi potest, quomodo unitas ista consistat penes Pastores tam primi, quam secundi ordinis, & multo minus quomodo consistere possit penes romanum Pontificem, qui nullum superiorem agnoscit.

Respond. ad primum *nego ans* ad probat. *dist.* in Ecclesia Catholica Romana mira obtinet Theolologorum dissensio circa diversas quæstiones fidei in materia libera, & ab Ecclesia non definita *conc.* In

materia necessaria, & ab Ecclesia fidelibus ad credendum proposita *nego*. Imprimis doctrina fidei universim attendi debet non penes privatorum Theologorum opiniones, sed penes Ecclesiam ipsam: neque enim privatæ Theologorum sententiæ sunt regula, ad quam exigenda est fides, sed auctoritas Ecclesiæ, quæ sola, sicuti est legitimus controversiarum Judex, & sacræ scripturæ divinarumque traditionum interpres, ita etiam est medium unicum, & solum, quo nobis certo, & infallibiliter innotescunt omnia illa, quæ proprie & explicite ab omnibus credenda sunt; quemadmodum demonstratum fuit Sect. I. cap. 2. propos. 4. deinde quæstiones circa fidei doctrinam aliæ sunt in materia libera, quæ nempe nullo publico, & solemni Ecclesiæ judicio definitæ fuerunt: prout est v. g. ista utrum attributa Dei inter se invicem distinguantur formaliter propter diversas formalitates ut docent Scotistæ? An vero virtualiter tantum, & propter diversa connotata ut putant alii Theologi? & generatim sunt omnes illæ quæstiones, quæ in materia divinæ gratiæ, & prædestinationis discussæ, non tamen definitæ fuerunt in celeberrimis Congregationibus de *Auxiliis* sub Clemente VIII., & Paulo V. (7); aliæ

(1) Historiam hujus celeberrimæ Congregationis magis accuratam scripsit Hyacinthus Serry ex inclito Ordine Prædicat. Prima autem Congregatio fuit habita sub Clemente VIII. anno 1598. die 2. Januar. coram S. R. E. Card. Ludovico Madrutio; & postrema sub Paulo V. anno 1607. die 28. Augusti præsentibus S. R. E. Card. Congregationis S. O. Consultoribus: inter illius acta, quæ authentica asservantur in Bibliotheca nostra Angelica de Urbe collecta a Gregorio Nunnio Coronello Lusitano nostri Augustiniani Instituti earundem Congregationum a Secretis, reperitur Judicium Theologorum exhibitum Clementi VIII. die 29. Novemb. 1601. super propositiones XX. excerptas ex libro Ludovici Molinæ de Con-

vero in materia necessaria, idest circa illa quæ solemni judicio Ecclesiæ fidelibus ad credendum jam sunt proposita: jam vero evidens est, quod in his postremis Theologi Catholici omnes eadem plane sentiant, & omnes illorum dissensiones non versantur, nisi circa quæstiones primi generis, ac proinde unitati Fidei, & Doctrinæ Catholicæ non possunt officere: huc accedit quod licet Theologi diversarum scholarum, puta Thomistæ, & Scotistæ, Molinistæ & Augustiniani plurimum inter se dissentiant, præsertim in materia gratiæ, & prædestinationis divinæ, attamen omnes ita dispositi sunt, & esse debent, ut eadem plane sentire parati existant etiam relate ad controversias cuilibet scholæ proprias, statim ac innotescat, quod Ecclesia firmo judicio de una vel altera definitivam pronuntiaverit sententiam: ex quo fit quod non obstante mira dissensione, unam tamen omnes in substantia teneant, & agnoscant veram fidem veramque doctrinam, illam nimirum, quæ est fides & Doctrina Ecclesiæ.

Ad alterum *nego ans.* ad probat. *dist.* Intelligi nequit quomodo consistat unitas debitæ subjectionis

cordia, ad cujus calcem habetur addita quoque propositio XXI. nempe „ Parvuli reprobati post diem judicii, „ cum ipsorum animæ suis fuerint corporibus restitutæ, ab „ omnibus molestiis, & ærumnis quibus in hac vita mortali subjacemus, supernaturaliter liberabuntur, meliorem que in naturalibus vitam „ vitio omni mentis, & corporis immunem in perpetuas „ æternitates ducent, quam „ ullus unquam mortalium duxerit „ ad quam sequens appositum habetur judicium „ *hanc assertionem S. Augustinus inter errores Pelagii connumerat in libro de hæres. ad Quodvultdeum hæres.* 88. *quam etiam D. Card. Belarminus lib. 6. de amiss. grat. cap.* 1. *&* 2. *efficaciter demonstrat esse Pelagianam.*

penes Pastores qui præsunt, & præsertim penes Romanum Pontificem, qui nullum Superiorem agnoscit eo modo quo subjectio ista pertinet ad simplices fideles *conc.* modo cuilibet statui proprio *nego*. Sine dubio unitas regiminis in Ecclesia postulat non solum regimen, & auctoritatem superiorum erga inferiores, sed etiam debitam subjectionem, & obedientiam inferiorum erga Superiores: verum distingui debent certi gradus, quibus unitas ista in Ecclesia integra, & intacta servatur: & quidem primo fideles in communi conservant illam in eo, quia immediate adhærent suis Parrochis, iisque debitam obedientiam præstant: deinde Pastores Ecclesiarum particularium, qui fidelibus regendis præpositi sunt tam primi quam secundi Ordinis, idest tam Episcopi quam Parrochi, conservant illam in eo, quia inferiores secundum Ordinem Hierarchicum in Ecclesia institutum obediunt Superioribus, omnes autem simul Romano Pontifici, qui est caput, & centrum unitatis istius: Tandem quod ad Summum Pontificem attinet, qui omnibus præest, & nemini prorsus subjicitur, subscribendum videtur Wallenburgicis lib. I. de Unit. Eccl., & de Schismat. Protestant. cap. 4. ubi ajunt = *Si Episcopus Romanus in hæresim vel schisma incideret. recederet a decretis fidei, vel charitatis auctoritate universalis Ecclesiæ, cujus ipse primum membrum erat, legitime propositis, quibus & ipse Pontifex tenebatur obedire*, (subintellige quantum ad directionem) *nam quod de fide, & charitate ab universali Ecclesia propositum est, omnes ligat, & non magis quilibet de plebe, quam ipse Romanus Pontifex iisdem subjicitur; ut qui nullam habeat potestatem in destructionem, quamvis maximam habeat in ædificationem; hoc igitur sensu Ecclesia major est singulis membris, etiam regentibus: & hoc sensu ipse*

Pontifex Romanus tenetur legitimis Pastoribus obedire, atque respectu factorum decretorum se se ut inferiorem gerere; neque illud quidquam impedit, quominus eundem Pontificem agnoscamus supremum in terris Pastorem nullis inferiorem.

Opp. 2. Ecclesia Catholica Romana non est Sancta: nam in ea plures sunt mali & perversi, quam boni Christiani etiam inter Prælatos illius; imo quod majus est etiam in serie Romanorum Pontificum permulti numerantur non boni: ergo huic Ecclesiæ deest necessaria Sanctitas.

Respond. ad primum *nego ans.* ad probat. *transeat ans.* Licet enim in Ecclesia Catholica plures fortassis sint mali quam boni Christiani, quod tamen nemo, quam solus Deus certo scire potest, nihilominus tamen semper jure optimo sancta vocari debebit; nam ut est in proverbio denominationes fiunt semper a parte nobiliori: sic v. g. Civitas aliqua dicitur opulenta, quamvis in ea pauciores sint qui opibus præstant, & numerus egenorum numerum divitum longissime exuperet: igitur hoc modo etiam Ecclesia Catholica Romana recte semper vocabitur, & erit quoque reipsa semper sancta etiam sanctitate vitæ suorum membrorum, quamvis fortassis in ea plures sint mali quam boni Christiani, & ratio est quia sanctitas vitæ sive in paucis sive in multis haberi non potest, nisi in Ecclesia Sancta; eodem prorsus modo sicut vita membrorum corporis haberi non potest, nisi in corpore vivo: quemadmodum notatum est supra proposit. 2. in respons. ad primum: dictum est autem *transeat ans.* nam si quæstio ista discutiatur sine præventione, & ratio habeatur omnium, qui ad Ecclesiam istam pertinent, tunc numerus illorum, quibus vitæ sanctitas jure imputari potest, & debet, non videbitur adeo exiguus, ut numerum malorum

Christianorum, qui in gremio Catholicæ Ecclesiæ vitam agunt, vel superare, vel saltem æquare facile videri possint: nam primo ad Ecclesiam istam pertinent innocentes omnes infantes, non solum qui in Ecclesia ista, sed etiam illi, qui in hæresi, vel schismate baptizati nondum ad usum rationis pervenerunt, & qui per lavacrum regenerationis originalem justitiam adepti, inhærente ipsis ab intrinseco sanctitate præditi sunt: secundo ad hanc Ecclesiam pertinent quoque illi inter hæreticos, & schismaticos, qui in adulta ætate constituti invincibiliter ignorant suæ sectæ falsitatem, ut supra propos. 1. in Resp. ad 3. prob. dictum est, & qui errantes potius, quam formales hæretici vel schismatici vocari debent, & propterea etiam, nisi baptismi gratiam alia infidelitate, & positivæ divinæ legis transgressione, atque voluntaria aliqua jurium naturæ violatione amiserint, cujus generis hæreticos non parvo numero reperiri in remotis Norvegiæ, & Sveciæ regionibus existimat Bartholomæus d' Astroy in Methodo conversiva *Armamentarii Augustiniani* cap. 2., jure inter Sancta Catholicæ Ecclesiæ membra computantur, ex qnibus fit quod numerus bonorum Christianorum revera multo major sit, quam vulgo esse existimatur.

Ad illud quod sequitur *dist.*, & tam improbi Prælati quam mali Pontifices nocent sibi ipsis *conc.* nocent Sanctitati Ecclesiæ *nego*. Nimirum vitia, & mores pravi, atque perversi tam simplicium Prælatorum Ecclesiæ, quam Summorum Pontificum, si tamen vera sunt, quæ vulgo magis, quam authentice sæpe narrantur, non sunt nisi vitia personalia illis tantum propria, a quibus perpetrantur; ac proinde non possunt nocere, nisi illis tantum, quorum propria sunt.

Dictum est autem, si vera sunt quæ vulgo narrantur: nam licet absolute, & simpliciter negari non

possit subinde etiam malos Pontifices sedisse in Cathedra Petri (8), & Episcopos non omnes probos

(8) Revera autem numerus bonorum in infinitum fere excedit numerum malorum: imo inter ipsos quoque malos nullus ferme invenitur, qui aliqua laude dignus communiter non habeatur: sic exempli gratia Sergius III. quem Crocius hæreticus apud Wallenburgicos lib. IV. de Unit. Eccles., & Schismat. Protestant. cap. 12. num. 37. *nefandum hominem, vitiorum scelus, facinorosissimum omnium* appellat, & qui etiam a Catholicis Scriptoribus magnopere vituperatur, quia cadaver Prædecessoris sui Formosi, qui primus fuisse dicitur inter Summos Pontifices ab alia Sede Episcopali ad Romanam Cathedram translatus (nam antequam eligeretur in Summum Pontificem, erat Episcopus Portuensis), postquam erutum e Tiberi, in quam sævitia Stephani IV. projectum fuerat, pietate Theodori II. Pontificis Apostolica sepultura donatum jam esset, iterum exhumari, & profanari jussit: Laudatur tamen non immerito quod Lateranensem Basilicam ipse instauraverit, atque aureis argenteisque ornamentis liberaliter, & magnifice decoraverit: sic etiam universim loquendo, sæculo nono, & decimo Ecclesiæ, de quibus etiam Baronius ad annum 912. num. 7. conquæritur, quod in Cathedram Petri intrusi fuerint homines monstruosi, & perditis plane moribus, non defuerunt etiam alii summa laude dignissimi, sicuti sunt inter alios præprimis Sergius II., quo sedente XXVIII. scalarum gradus nominatissimi, quibus Christus Dominus Redemptor Noster Prætorium Pilati conscendit. & qui ætate Constantini Magni Romam advecti fuerant, honorifice ad Religiosum cultum ante Basilicam Latheranensem primum dispositi fuerunt, & quos postea Cœlestinus III., quod hic notare lubet, juxta porticum ejusdem Basilicæ, ac tandem Sixtus V. anno 1585. Pontifex renuntiatus, ante Capellam, quæ *Sancta Sanctorum* vocatur, collocare jussit: præterea in pessimis illis, ut vocant etiam Scriptores Catholici, Ecclesiæ nostræ sæculis floruerunt omni laude dignissimi præprimis Leo IV. inter Sanctos relatus, qui solo signo Crucis maximum incendium in Urbe extinxit, ut narrat Anastasius Bibliothecarius in illius vita: item Nicolaus I., quem propter flagran-

esse ut opporteret: incredibile tamen fere est, quot & quantas calumnias in Romanos imprimis Pontifices, & postea in Episcopos Ecclesiæ Catholicæ hæretici congesserint, & nunc etiam congerere non cessant, ut eosdem, si fieri posset, non tantum suæ sectæ proselytis, sed etiam generi humano odiosos, & execrabiles efficiant.

Opp. 3. Ecclesia Romana non est Catholica in fide, & doctrina; nam nostris temporibus in illa creduntur plura, quæ olim credita non sunt: nempe creditur Processio Spiritus Sancti a Patre, & Filio, creditur purgatorium, & alia quæ olim ignorabantur: deinde neque ratione suæ diffusionis; nam multæ sunt regiones apud quas Ecclesia illa non obtinet, vel quia fides ejus ad illas nunquam pervenit, uti sunt regiones omnes incognitæ, vel etiam quia fidem ejus semel antea susceptam jam diu ejuraverunt, & iterum abjecerunt; uti sunt Hollandia, Svecia, Norvegia, Dania, & aliæ, ergo Ecclesia Catholica Romana nulla ratione vocari potest Catholica.

Respond. ad primum *nego ans.* ad primam probat. *dist.* Nostris modo temporibus creduntur in Ecclesia, quæ olim credita non fuerunt, relate ad uberiorem explicationem, & explicite *conc.* Relate ad substantiam fidei *nego*. Eadem semper ab initio mundi, est, & erit usque ad finem illius in Ecclesia Catho-

tissimum, quo exarsit, Religionis zelum, & invictum animum, quo Sanctum Ignatium Constantinopolitanum defendit, & Photium condemnavit, complures cum Elia, Phinees, & Daniele comparare non dubitarunt: nec minori encomio laudis digni sunt, ut alios prætereamus, Hadrianus II. immediatus Nicolai tam in Pontificatu, quam in vitæ integritate successor, & Anastasius, quem virum probum, & integerrimum fuisse historici omnes testantur.

lica Fides, & Doctrina; neque enim Ecclesia ista alium unquam agnovit suæ fidei auctorem præter Jesum Christum, neque quidquam fidelibus ad credendum unquam proposuit præter id, quod ab Apostolis accepit; ut adeo affirmari jure ac merito de illa possit cum S. P. Augustino Tract. 45. in Joannem *Tempora variata sunt non fides*: & generatim novæ fidei, & morum definitiones, quæ pro temporum, & rerum circumstantiis subinde prodeunt, & fiunt, in substantia non sunt, nisi unius ejusdemque fidei uberiores expositiones; quoniam, ut Sect. I. cap. 2. sæpe dictum fuit, per eas non conduntur, neque efformantur novi articuli, sed occasione insurgentium hæresum explicantur, & proponuntur iterum explicite ad credendum, quæ jam olim ab omnibus credita fuerunt: sic quod pertinet ad processionem Spiritus Sancti a Patre, & Filio tanquam ab uno activæ Spirationis principio, atque ad purgatorium, in quo animæ fidelium nondum plene purgatæ in hac vita, detinentur, sane ambo isti articuli jam ab initio credebantur in Ecclesia; nam nisi res ita se haberet, & in Ecclesia non fuissent habiti tanquam veri & genuini articuli nostræ fidei, quomodo illum impugnare poterat Photius sæculo octavo, istum autem Lutherus, & Calvinus sæculo decimo sexto Ecclesiæ? Et quomodo tam ille, quam isti improperare poterant Ecclesiæ Catholicæ, quod in illis credendis a recta fide desciverit, nisi jam certissime constaret, quod uterque iste articulus tanquam verum fidei dogma in Ecclesia jam esset receptus?

Quod autem hic dicimus de Processione Spiritus Sancti, & existentia purgatorii, affirmari debet de quovis alio articulo, qui tardius ab Ecclesia fidelibus ad credendum explicite propositus fuisse innotescit: nimirum licet hujusmodi articuli omnes non

ita cogniti essent, & non ita explicite ab omnibus crederentur, sicuti cognoscuntur, & creduntur postquam solemni Ecclesiæ judicio inter fidei dogmata relati fuerunt, simpliciter tamen, & quantum ad substantiam pertinet erant semper veri articuli fidei, atque ita falsum omnino est, quod nunc plura credantur a fidelibus, quam olim credita fuerunt.

Ad alterum *dist.* Ecclesia Catholica Romana non est ubique difusa, si sermo sit de diffusione omnimoda, & matematice accepta *conc.* Si sermo sit de diffusione morali *nego*. Principio aliud est dari actu diversas regiones in quibus veræ fidei in Christum nulla habetur cognitio: aliud autem quod ad illas Evangelium Christi, ac proinde etiam idea aliqua Religionis Catholicæ Romanæ nunquam pervenerit, quod aliquo modo hic jure negari posset; nam ut supra vidimus (Nota 5., & 6.) non caret sua probabilitate quod Apostoli ipsi sicut Americanis, ita etiam omnibus aliis populis hujus mundi tam cognitis nobis quam incognitis Evangelium, & fidem in Christum prædicaverint, licet modus quo istud contigit certo determinari nequeat: deinde fatemur quod multæ sint etiam integræ nationes, quæ cum Ecclesia Romana in fide non sunt conjunctae: sicuti sunt primo omnes illae, quae vel ad Austrum, vel ad aliam terræ partem usque modo, vel plane incognitæ existunt, vel etiam ita barbare vivunt, ut etiam externum atque civile commercium cum reliquis nationibus penitus devitent atque effugiant: & secundo etiam illae, quae Religionem Catholicam semel susceptam postea iterum abjecerunt, sicuti sunt, Angli, Dani, Sveci, Hollandi, & alii tam in Occidente quam in Oriente haeretici ac schismatici omnes; verum ex eo nihil aliud concludi potest, quam quod Ecclesia ista non sit ita diffusa, ut in omnibus physicis terrae angulis visi-

bilis, & perspicua existat: quod tamen nihil plane impedit, quin recte Catholica dici debeat, eo quia moraliter revera diffusa est ubique terrarum, ut in probatione visum est.

Praeterea quod attinet ad gentes incognitas, & ad barbaras nationes, licet ad illas fides Ecclesiae actu non perveniat, spes tamen certa affulget, eandem ad illas quoque perventuram esse statim ac detegantur, atque evadant mansuetiores in moribus, ita ut exterorum commercium admittant, sicut dictum est Sect. I. cap. 1. propos. 2, in Responsione ad alteram Confirmationem Oppos. 1. propter infallibilem promissionem Christi Joan. cap. 10. v. 16. dicentis *& alias oves habeo, quæ non sunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus pastor*; deinde quod spectat ad haereticos atque schismaticos: licet fides Romana seu Ecclesia Catholica factionibus haereticorum in Anglia, Dania, Svecia, Hollandia, & Germania, schismaticorum autem in Moscovia, & Graecia, magnam jacturam passa sit, si sermo fiat de Universalitate illarum nationum, certissimum tamen est, quod nullibi ita penitus extincta fuerit vera Religio, ut etiam magnus numerus recte credentium ubique non remanserit, qui sicuti in partibus Principum Catholicorum, ita etiam in illis regionibus sub regimine legitimorum Pastorum, & fidem Romanam profitentur, & Sacramenta participant: idem affirmari jure potest ac debet, etiam de partibus Asiae, & Affricae, in quibus vel Mahumetanismus, vel idolorum superstitio praevalet: nempe nulla plane in toto orbe est regio cognita, in qua Fides Catholica non vigeat, vel universim, vel saltem penes magnum numerum: ex quibus fit, quod Ecclesia Catholica Romana ubique diffusa merito dici valeat saltem moraliter.

Opp. 4. In Ecclesia Romana non est ita certa successio Apostolica, ut merito in dubium revocari non valeat: nam *primo* inter scriptores, qui de hoc argumento pertractant maxima est discordia in ordine ad successionem istam Romanorum Pontificum: *secundo* ad habendam successionem necessaria est missio sive vocatio inferiorum a Superioribus, at vero Romanus Pontifex nullum habet superiorem, a quo mitti valeat; ergo non potest habere legitimam successionem: *tertio* Sedes Romana sæpissime diutius sede vacavit: ergo sæpissime etiam interrupta dici debet Pontificum successio ab Apostolis: tandem *quarto*, omisso interim quod Romani Pontifices electi fuerunt modo ab Imperatoribus, modo a plebe, & modo etiam a Cardinalibus; quæ omnia, mutationi obnoxia, successionem ipsam mutabilem, atque ideo etiam incertam reddere possunt; sane non constat certo quod omnes legitime baptizati, & ordinati fuerint: & certissimum præterea est testimonio fere omnium historicorum, quod multi ex illis per Simoniam, & alia crimina in Sedem Petri intrusi fuerint: ergo certa non est illorum legitima & non interrupta ab Apostolis successio.

Respond. ad primum *nego ans.* adprobat. *dist.* Inter scriptores maxima est discordia relate ad successionem Romanorum Pontificum quantum spectat ad personas *conc.* quantum spectat ad successionem ipsam non interruptam *nego*. Tota discordia scriptorum in materia de successione Romanorum Pontificum in Cathedra Petri non est de serie non interrupta in successione Apostolica, ut falso contendunt perpauci hæretici: nam de hac consentiunt omnes etiam cordatiores ex novatoribus; sed est tantum de personis, & de tempore, quo præcise ad Pontificatum assumpti fuerunt: sic uterque Pagius docet tertium a Petro

in ejus Cathedra sedisse Clementem Romanum : at vero noster Panvinius Onuphrius contendit Clementem istum fuisse immediatum Petri successorem, ita ut Linus fuerit tertius, quem alii fere omnes secundum fuisse statuunt : præterea alii, qui magis, ut nobis videtur, authentica ipsius Romanæ Ecclesiæ monumenta sequuntur, affirmant illum in Ordine Pontificum fuisse quartum, ita ut primus Romæ sederit Petrus, secundus Linus, tertius Cletus, quartus Clemens, quintus autem Anacletus : qui ordo computandi seriem Summorum Pontificum communior est apud Scriptores : jam vero patet per se, quod sive quis unam sive alteram opinionem sequatur, salva semper consistere intelligatur, & non interrupta Romanorum Pontificum in sede Petri Apostolica successio : nam ut per se manifestum est, successio ista nulla prorsus ratione turbatur vel interrumpitur, sive denique post Petrum immediate, & primus sederit Linus, sive Clemens : quod idem affirmandum est de subsequentibus quoque Pontificibus, de quibus plene non constat, quo ordine, & quo tempore ad Summi Pontificatus apicem evecti fuerint.

Ad alterum concessa majori *dist. min.* Romanus Pontifex non habet superiorem a quo mitti valeat in ordine ad jurisdictionem, & auctoritatem sui Primatus *conc.* in ordine ad designationem personæ *nego* : Sine dubio missio ad munus quodcumque in vera Christi Ecclesia obeundum subsistere non potest, si facta sit a non habente petestatem mittendi (9), & sine dubio

(9) Ex his patet iterum evidentissime neque Lutheranorum neque Calvinistarum, neque aliorum quorum libet hæreticorum societatem posse esse veram Christi Ecclesiam, quia scilicet neque Lutherus, neque Calvinus, neque alius quisque hæresiarcha, postquam ab Ecclesia Romana pervicaciter secessit, &

quoque ad habendam successionem Apostolicam necessaria est legitima missio; nam duo ista missio, & successio Apostolica convertuntur ad seinvicem, neque una sine altera potest legitime subsistere: & generatim sicut vera Christi Ecclesia non potest esse sine legitimis Pastoribus, ita etiam Pastores non possunt esse legitimi sine legitima missione, nec missio legitima sine legitima successione, & vicissim: sicut clare colligitur ex Epistola Pauli ad Rom. cap. 10. v. 15. ubi inquit *quomodo prædicabunt, nisi mittantur?* & clarius ex Epist. ad Hebr. cap. 5. v. 4. ubi ait *nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur ad Deo tanquam Aaron*, unde Concilium Tridentinum Sess. 23. Can. 7. jure definivit. *Si quis dixerit eos, qui nec ab Ecclesiastica, & Canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse Verbi, & Sacramentorum ministros, anathema sit*: porro autem in omni missione binæ elucent habitudines & relationes, nempe auctoritas mittentis relate ad personam, quæ mittitur, & novus essendi modus personæ missæ relate ad effectum, ad quem mittitur, secundum intentionem mittentis: ac proinde, ad habendam successionem Apostolicam in munere aliquo Ecclesiastico in vera Christi Ecclesia necessaria est missio, hoc sensu quatenus nempe importat primo, auctoritatem ex parte mittentis, & secundo novum essendi modum personæ missæ relate ad effectum idest relate ad munus aliquod in Ecclesia Christi obeundum secundum formam, secundum quam a Christo ipso institutum

novitate suæ doctrinæ diversam ab illa Ecclesiam procudit, habuit legitimam potestatem mittendi, & constituendi ministros, qui fidei doctrinam populis annuntiarent, & Sacramenta Christi administrare legitime possent.

fuit (10): his positis fatemur imprimis, quod Romanus Pontifex nullum agnoscat superiorem se, cujus auctoritate ad munus suum Apostolicum in ratione sui Primatus mitti valeat, quin tamen inde sequatur, quod ab Apostolis non habeat vel legitimam missionem vel legitimam successionem; nam dum ipse ad Summum Pontificatum evehitur, duo considerari debent: nempe primum, quatenus est persona illa singularis, quæ ab Electoribus secundum probatam Ecclesiæ formam ad munus illud in Ecclesia Christi obeundum designatur, & alterum, quatenus novus essendi modus, idest auctoritas, & jurisdictio Primatus, secundum formam; qua ipsum Christus primum instituit, in eundem ita designatum transfunditur: si primo modo consideretur Romanus Pontifex, tunc habet Superiores electores ipsos, qui auctoritative illum in Petri successorem designant, si autem consideretur secundo modo, tunc nullum plane habet superiorem, nec accipit missionem suam ab hominibus, sed immedia-

(10) Non convenit inter Theologos de tempore, quo missio, quam etiam vocationem, & commissionem denominant, cum effectu in personam missam transfundatur: nam alii docent hoc fieri in Electione, alii vero in ordinatione: quod probabilius esse colligi potest ex illis quæ infra Sect. V. dicentur de auctoritate Episcoporum: interim quod spectat ad Summum Pontificem in particulari, videtur in hanc opinionem valde propendere Illmus D. Franciscus Cancellerius in omni tam sacra quam sæculari eruditione, & doctrina versatissimus in præclaro opere, quod inscripsit *Storia de' solenni Possessi de' Sommi Pontefici* ubi loquens de Possessu Gregorii XIII. inquit *Poichè questa ceremonia nulla influisce alla Potestà Pontificia, cominciando i Papi ad esercitare il loro ministero con tutta la pienezza della loro suprema autorità, nel giorno della Coronazione, in cui principiano ad apporre il Sigillo alle Bolle, e a contare gli anni del Pontificato.*

te a Christo ipso, qui voluit, ut Petri successor haberet, sicut Petrus summum jus, summamque auctoritatem in universam Ecclesiam suam, & propterea etiam successio ista fundatur tota in jure divino, sicut in jure divino fundatur Primatus ejus, ut suo loco demonstrabitur, & testatur aperte S. Cirillus Alexandrinus in Libro *Thesauri*, dum inquit *sicut Christus accepit a Patre sceptrum Ecclesiæ gentium, sic Petro, & ejus successoribus plenissime commisit, & nulli alii*.

Ad tertium *dist.* Ecclesia romana sæpe diutius sede vacavit relate ad personas sedentes *conc.* relate ad auctoritatem & jurisdictionem *nego*. Nempe in corpore morali, sive in societate aliqua, quæ ex multorum aggregatione constituitur, sicuti est Ecclesia, ut in ea subsistere intelligatur & minime interrupta successio capitis, sive supremi illius rectoris, non est necesse, ut semper præsto sit, qui corpus illud regit & moderatur, sicut in corpore physico, quod ne quidem ad minimum tempus sine suo capite vivere potest; sed tantum ut semper in eo vigeat & viva persistat ratio formalis successionis, idest jurisdictio & auctoritas, quæ ex vi primæ institutionis supremo illius rectori propria est, & intrinseca: sic in regnis electivis, quibuscunque non illico intercidit legitima successio regum, licet rege defuncto non adsit illico successor: & in Anglia, ut fertur, notum est omnibus & communiter receptum ac usitatum proverbium *Rex non moritur*, quod in eo suum habet fundamentum, quia Rege defuncto auctoritas regis immota subsistit hoc ipso, quia Constitutio regni eadem semper perseverat: idest quia cum Constitutione subsistit semper ratio formalis regiæ successionis: Jam vero etiam Christus Dominus instituit ita Ecclesiam suam, ut fundata semel super Pe-

trum Math. cap. 16. v. 18. tanquam super fundamentum solidum semper immota permanere deberet, itaut etiam portæ inferi adversus illam prævalere nunquam possent; idest ut in ea anctoritas & jurisdictio, quam Petro contulit, semper subsisteret usque ad mundi finem: unde serm. 2. de sua assumptione ait S. Leo *sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Christus instituit* & paucis interjectis *manet ergo dispositio veritatis, & beatus Petrus in accepta fortitudine petræ perseverans, Ecclesiæ gubernacula non relinquit*: quamobrem ex eo, quod sedes romana sæpe diutius sede vacavit (11) nihil aliud sequitur, nisi istud tantummodo, nempe quod sæpe longo tempore non adfue-

(11) Cum saepe incommodum istud in Ecclesiam jam irrepsisset, & praesertim post Clementem IV. qui Viterbij decessit anno 1268., a quo tempore cathedra Petri integro biennio vacavit; & cum interim Ecclesia multa mala passa sit, Gregorius X. volens malis istis occurrere ne iterum evenire possent, promulgavit Constitutionem de acceleranda electione Summi Pontificis, in qua ratis permanentibus & approbatis omnibus illis, quae jam antea ab Alexandro III. relative ad electionem istam statuta fuerant, praescribitur, & jubetur, ut in quacunque civitate mori contigerit Pontificem, in ea Conclave erigatur, in quod decima ab obitu ejus die Cardinales ingredi teneantur, nemine expectato, & uno tantum, vel pro necessitate duobus famulis contenti, atque illico incipere, & tractare novi Pontificis electionem: & interim non possint quempiam exterorum alloqui; nullam dare aut recipere epistolam sub pœna anathematis, atque si post tres dies Pontificem non elegerint, unum tantum tam ad prandium quam ad cœnam recipere ferculum per dies quinque; quibus etiam elapsis sine secuta electione, pane tantum & aqua refici debeant usque ad novi Pontificis electionem: verum postremae istae leges successu temporis variatae fuerunt, sicuti notat Panvinius ad Platinam.

rit, qui in sede Petri sederet, non autem quod interrupta fuerit romanorum Pontificum in sede Petri apostolica successio.

Quod autem hic dicitur de Sede Petri, intelligi debet de quavis alia in particulari: nempe ut ut subinde Ecclesia aliqua particularis longiori tempore Pastore suo viduata existat, non ideo tamen dici potest in illa interrupta successio Apostolica, quam semel legitime adepta est: loquimur autem de successione formali, idest quatenus spectatur in personis succedentibus simul cum auctoritate, & jurisdictione, quam singulares quilibet Episcopi habent ex institutione Christi super illam portionem fidelium, ad quam regendam & gubernandam Apostolicæ sedis auctoritate destinati fuerunt, hoc ipso, quia singuli continua serie ita sibi succedunt, ut primus illorum ordinationem suam immediate acceperit, vel ab aliquo Apostolorum, vel ab immediatis Apostolorum successoribus, & quæ generatim loquendo absolute non desinit, nec interrumpitur, nisi vel per hæresim manifestam, vel per publicum schisma, idest apud Ecclesias hæreticas & schismaticas, & quidem in illo ipso temporis puncto, in quo defectionem suam ab Ecclesia catholica romana consumant: & ratio est, quia sicut tunc penes Ecclesiam illam non viget amplius vera fides, & legitimum regimen a Christo institutum, ita etiam cessat, & cessare debet in illa omnis auctoritas & jurisdictio; ex quibus intelligitur, quomodo Episcopi omnes v. g. Nestoriani, non amplius ab Apostolis, sed a Nestorio successionem habeant; Eutychiani ab Eutychete, Calviniani a Calvino, Lutherani a Luthero &c. quia scilicet sicut nomen, ita etiam doctrinam non amplius ab Apostolis, sed ab hæresiarchis istis accipiunt.

Ad postremum *dist.* Romani Pontifices in diver-

sis temporibus fuerunt diversimode electi & assumpti in sedem Petri sine præjudicio successionis apostolicæ *conc.* secus *nego*. Principio negari non potest, quod olim tam Imperatores, quam populus se sæpe immiscuerint, tam in Romanorum Pontificum quam in Episcoporum electiones fere omnes, ac proinde, quod Romani Pontifices non minus quam cæteri Episcopi diversis temporibus diversimode etiam electi fuerint, quin tamen inde sequatur, quod propterea vel incerta vel plane interrupta censeri debeat Apostolica illorum in sede Petri successio; ut inde concludi valeat, quod Ecclesia romana non sit amplius apostolica: nam ut rem istam jam penitus conficiamus, imprimis duplex distingui hic debet successio apostolica, nimirum materialis & formalis; materialis est, quando spectatur simpliciter in personis, quæ in cathedra Petri sibi invicem succedunt, formalis autem, quando simul cum personis spectatur auctoritas & jurisdictio, qua successores Petri ex Christi institutione præditi sunt: igitur a quocunque fiat electio vel Episcoporum vel romani Pontificis, electores universim loquendo nihil plane conferunt ad formalem successionem illorum, sed ad materialem tantummodo, quod in eo consistit, quia designant personas, quæ in respectivis sedibus Apostolis succedere debent: sicuti superius jam indicatum fuit: ac proinde etiam concesso, quod tamen in controversiam trahitur (vid. nota 10.), quod tam missio, quam successio apostolica dependeat ab electione, nullum plane exinde sequitur præjudicium in successionem non interruptam romanorum Pontificum: nam revera tota ista dependentia non respicit, nisi successionem materialem, neque tangit nisi tantum personas quæ Petro succedunt.

Deinde revera etiam nulla unquam electio sive ab

Imperatoribus, sive a populo facta, rata habita fuit ab Ecclesia & legitima, nisi facta fuisset vel ex præcedente postulatione Cleri, vel ex subsequenti illius libero consensu, & libera acceptatione; quemadmodum ex indubijs monumentis ostendit Ludovicus Thomassini in celebratissimo suo opere, cui titulum fecit *de veteri & nova disciplina Ecclesiæ*: in quo Tom. V. edit. Neapol. 1769. per totum invicte demonstrat, quod in omnibus electionibus vel ab Imperatoribus vel a populo factis semper potior fuerit Cleri, quam laicorum cujusvis dignitatis auctoritas: ex quo fit, quod electio romanorum Pontificum, idem dicatur de electionibus Episcoporum, & aliorum ministrorum Ecclesiæ, semper fuerit eadem quantum spectat ad substantiam, facta nimirum jure potiori auctoritate Ecclesiæ, non autem a sola laica potestate, cui jus istud competere lutherani falso contendunt, ut ab initio hujus capitis notatum fuit: ac proinde etiam electio ipsa revera nunquam mutata fuit, nisi accidentaliter tantum, idest hoc sensu, quia Ecclesia in electione suorum ministrorum modo minus, modo magis independenter a sæculi potestate, modo vero etiam absolute & omnino libere jure suo proprio & auctoritate a Christo accepta usa est, ut adeo nulla porsus ratione ex mutabili electionis modo inferri possit, quod etiam ipsa in genere suorum ministrorum apostolica successio mutabilis sit & incerta.

Ad primam probat. *transeat ans*, nimirum licet certo non constat absolute loquendo, quod omnes romani Potifices valide baptizati, & legitime ordinati fuerint, istud tamen jure supponi, & sine ulla ambiguitate ab omnibus tanquam moraliter certum merito haberi debet, etenim cum Christus Petro Primatum contulit in universam Ecclesiam, ita ut vo-

luerit illum in Ecclesia sua esse perpetuum, & cum primatus iste ex facto Petri, quo Romæ sedem suam fixit, necessario jam cum Sede Romana ita conjunctus existat, ut ab ea separari nullatenus possit, videtur quodammodo injuriosum in ipsam Divinam providentiam cogitare, quod in cathedra Petri vel aliquando sederit, vel aliquando sessurus sit, qui valide baptizatus, aut legitime ordinatus non fuerit: verum ut liberales simus, concesso interim, quod hujusmodi casus aliquando contigerit, & imposterum etiam contingere possit, num propterea cessabit, aut interrupta jam in perpetuum mansura censeri debebit romanorum Pontificum apostolica in sede Petri successio? minime vero: nam ut paulo supra dictum est, successio apostolica alia est formalis, & alia materialis; materialis subsistit in personis, quæ Petro succedunt nude spectatis; formalis autem in auctoritate & jurisdictione, qua legitime sedentes ex Christi institutione præditi sunt; & quæ in sede ipsa immota semper perseverat, hoc sensu quatenus quisque legitime sedens auctoritate ista & jurisdictione pollet, hoc ipso quia in cathedra Petri legitime sedet: ex hoc autem sequitur, quod non baptizatus, vel non legitime ordinatus non sederet legitime in illa cathedra, ac proinde careret utique auctoritate & jurisdictione, quæ cathedræ illi intrinsecus inhæret ex ipsa Christi institutione, nec haberet successionem formalem: haberet tamen materialem, quia actu sederet in cathedra Petri, nec propterea intercideret subsequentium Pontificum legitime sedentium apostolica successio formalis; siquidem in tali casu idem esset ac si cathedra Petri sede vacaret toto illo tempore, quo illam teneret illegitime in ea sedens: interim tamen quod hic probe notandum est, dum hæc ita contingerent, ille nihilominus, qui sic non baptizatus, vel invalide

ordinatus existeret, habendus & agnoscendus esset continuo tanquam legitimus Pontifex propter solam successionem materialem, quæ eidem competeret, saltem donec de substantiali errore, vel baptismatis vel ordinationis notorie non constaret, ita quidem, ut etiam illius acta omnia tanquam valida haberi deberent & obligatoria relate ad externum regimen Ecclesiæ.

Eodem modo respondendum est ad difficultatem quæ sequitur desumptam ex historicorum relationibus de intrusione in sedem Petri diversorum Pontificum per simoniam, & alia crimina: nimirum, licet revera diversi Pontifices contra Canonum statuta, quæ electiones omnes, & collationes beneficiorum simoniacas irritas & nullas esse declarant, hoc modo ad summi Pontificatus apicem pervenerint; nihilominus, neque intrusiones istæ, neque quæcunquæ flagitia aliquorum Pontificum, quæ novatores studiose sæpe exaggerant, ut sedi Apostolicæ, quantum possunt, invidiam apud suos adaugeant, interturbare possunt in sede illa continuatam successionem ab Apostolis: nam tam flagitia, quam intrusiones afficiunt per se & directe, non sedem ipsam, sed tantum sedentes in illa: neque aliud efficiunt, nisi quod tunc temporis desint & defuerint, qui legitime sederent: ac propterea etiam tunc salva consistit successio ab Apostolis eo ipso, quia auctoritas & jurisdictio firma semper & intacta in sede illa perseverat.

Verum quæret hic fortasse aliquis, quid sentiendum sit de successione Apostolica relate ad universam Ecclesiam, si romanus Pontifex, idest visibile illius caput, in hæresim manifestam incideret, vel etiam in Ecclesia Dei per seipsum manifestum aliquod schisma conflaret, & publice foveret? cui quæstioni respondendum est, quod in tali casu cessaret romanus Pon-

tifex ex toto esse legitimus Petri successor, & simul etiam amitteret omnem auctoritatem, & jurisdictionem, quæ in sede Petri obtinet; non cessaret tamen propterea vel in sede ipsa romana, vel in Ecclesia catholica ipsa successio apostolica, nisi etiam tota simul cum Pontifice in hæresim vel schisma prolaberetur: quod relate ad totam Ecclesiam impossibile esse patebit ex cap. seq. & relate ad Ecclesiam romanam in particulari ostendit Bellarminus lib. 4. de notis Eccl. cap. 8. (12).

(12) Quod ad praesentem quaestionem pertinet evidens est, illam non habere locum in Romano Pontifice, nisi tantum sub hoc respectu quatenus est persona singularis, & doctor privatus: ut autem omnibus pateat ingens & fere imperceptibilis hæreticorum livor, & animositas, qua romanos Pontifices denigrare perpetuo student, juvat hic breviter notare, quatuor præsertim ab ipsis numerari Pontifices, quos in hæresim apertam prolapsos fuisse criminantur: nempe Zephyrinus, quem montanizasse ajunt ex Tertulliano in lib. adversus Praxeam, deinde Liberius quem ad Arianos, & Honorius I. quem ad Monothelitas defecisse affirmant: ac tandem Joannes XXIII. quem in Concilio Constantiensi ceu hæreticum damnatum fuisse effutiunt: sed falso, & per summam injuriam: nam primo quod ad Zephyrinum attinet, refert quidem Tertullianus loco citato: quod nonnulli summum Pontificem istum putaverint declinasse ad Montanistas, sed innuit etiam idem scriptor in libro de Pudicitia, hoc factum non fuisse, nisi per calumniam, deinde quod ad Liberium attinet, atque ad Honorium I. non est opus hic multa disserere, siquidem utrumque istum Pontificem nulla hæresi conspersum fuisse ostendunt theologi omnes, & nos inferius ostendemus; tandem Joannes XXIII. nullatenus damnatus fuit a Concilio Constantiensi propter hæresim, sed tantum a Pontificatu depositus sess. XI. quia promissis, quæ juramento firmaverat, quod scilicet ad restituendam pacem dignitate Pontificia se exuere paratus esset, si ad istud præstandum necessitas cogeret, stare recusabat: de cœtero absolute loquendo in confesso est apud

Instabis major pars Ecclesiarum particularium non habet Episcopos successores Apostolorum: at vero ut est in proverbio major pars trahit ad se minorem; ergo Ecclesia catholica saltem tota non habet originem ab Apostolis.

Respond. *dist.* major pars Ecclesiarum particularium non habet Episcopos successores Apostolorum immediate *conc.* mediate *nego*. Principio vulgatum axioma *major pars trahit ad se minorem* non habet locum in præsenti materia, ubi non pars aliqua, sed Ecclesia tota Apostolica est, atque Apostolica nominatur: deinde ad ostendendam originem Apostolicam in Ecclesia catholica romana, non est necesse, ut singuli Episcopi etiam seorsim spectati in sede sua antecessorem habuerint aliquem ex Apostolis, vel ex immediatis Apostolorum discipulis & successoribus, sed satis est, ut missionem suam, & auctoritatem Episcopalem non acceperint, nisi ab aliquo, qui vere talem antecessorem habuit, & qui cum sede Apostolica, idest cum successore Petri in communione ad finem vitæ suæ permanserit: hinc intelligitur ratio, cur sancti Ecclesiæ patres studium suum in eo collocaverint, ut romanorum tantum Pontificum, non autem antecessorum suorum texerent seriem usque ad Principem Apostolorum Petrum Apostolum, ut fecit S. Irenæus, S. Epiphanius, & Sanctus Pater Augustinus, ex quibus neque ille Lugdunensium Episcoporum, neque alter

omnes quod romana sedes singulari privilegio gloriari possit, se ab omni hæresi semper immunem permansisse; unde Agatho summus Pontifex in Epist. ad Constantinum Imperatorem quæ perlecta fuit in Synodo VI. actione IV. & act. VIII. ab omnibus approbata, de sede ista loquens merito inquit *hæc apostolica Ecclesia, nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est.*

Salaminensium, neque tertius Hypponensium, neque quisquam alius ex antiquioribus Ecclesiæ Pa ribus suæ propriæ Ecclesiæ Episcoporum cathalogum contexit ad demonstrandam suæ Ecclesiæ ab Apostolis successionem non interruptam, sed successorum Petri duntaxat, eo quia demonstrata semel non interrupta successione Pastorum in Ecclesia romana usque ad Petrum, remanet hoc ipso etiam demonstrata origo & successio Apostolica omnium Ecclesiarum, quæ cum Ecclesia romana conjunctæ sunt, & simul cum ea universalem Christi Ecclesiam constituunt & efformant.

CAPUT III.

De Proprietatibus Ecclesiæ.

Postquam de notis Ecclesiæ superiori capite separatim tractavimus, remanet nunc ut etiam de illius proprietatibus pro instituto nostro breviter attingamus omnia illa, quæ ad firmanda principia generalia in hac materia necessaria esse videntur.

Principio autem notandum, est quod apud Theologos proprietates, & notæ veræ Ecclesiæ Christi sæpe confundantur, & promiscue accipiantur: sic Theologia Pictaviensis disput. 2. enumerat imprimis quinque notas Ecclesiæ, inter quas tertio loco ponit perpetuam visibilitatem illius, quæ profecto proprietas potius ad essentiam, & proprium constitutivum, quo illam Christus consistere voluit, pertinere videtur; sic etiam Bellarminus recenset proprietates Ecclesiæ inter notas illius, quas quindecim esse statuit in lib. 4. de Eccl. cap. 3. & inter illas postremo loco enumerat infelicem illorum exitum ex hac vita, qui Ecclesiam persecuti sunt, felicem autem illorum, qui illam tutare atque defendere studuerunt, quanquam quod ad notas veræ Ecclesiæ proprie dictas attinet ibidem etiam fateatur dicens, *poterunt aliquo modo revocari ad illas quatuor, quæ communiter a recentioribus assignantur ex Symbolo Constatinõpolitano, unam Sanctam, Catholicam, & Apostolicam.*

Deinde proprietates, quæ scilicet non tam ad discernendam, quam ad constituendam veram Christi Ecclesiam pertinent, sunt tres; nempe quod debeat esse semper visibilis, quod nunquam deficere possit, & quod in rebus fidei & morum sit omnino infallibilis.

Quantum ad primam attinet, consentiunt etiam saltem ex parte Lutherani, & Calvinistæ, quod vera Christi Ecclesia debeat esse visibilis, ut manifeste deducitur ex publicis illorum Symbolis, & Fidei confessionibus (1), de quibus pertractat Jacobus Benignus Bossuet *de Variationibus* cap. 15. docent tamen, quod non sit necesse, ut visibilis ista Ecclesia sit semper Ecclesia vera, & quod fieri possit, imo vero jam diu factum sit, ut visibilis ista Ecclesia non sit amplius vera, sed spuria, & falsa Ecclesia Christi, a qua propterea se recessisse profitentur, & dum ab ipsis quæritur, ubi nam fuerit illorum Ecclesia ante Lutherum, & Calvinum, tunc fingunt duplicem Ecclesiam Christi, nempe externam, & visibilem unam, alteram vero internam, & invisibilem, quæ secundum Lutherum ex solis justis, & secundum Calvinum ex solis prædestinatis coalescit, & quoniam tam illi justi, quam isti prædestinati continebantur in Ecceesia visibili, docent quod eorum Ecclesia continetur in ista Ecclesia secundum suum esse internum considerata non solum quando palam a visibili Ecclesia Catholica Romana recesserunt, sed etiam ab initio Ecclesiae verae Christi, hinc est quod Calvinistae, ut habetur in Cathechismo reformato ad Dominicam XV. Ecclesiam suam ita definiunt, nempe *Ec-*

(1) Inter præcipuas istorum hæreticorum fidei professiones magis celebris est, & primum locum tenet illa, quæ a Philippo Melanchtone anno 1533. Augustæ Vindelicorum in Germania elaborata, & Carolo V. Imperatori exhibita fuit, & quæ etiam *Confessio Augustana* appellatur: ea autem constat duabus partibus: prima continet Articulos XVI. qui sunt veluti compendium illorum, quæ credebantur tunc Catholicis æque, ac Protestantibus debere esse communia: altera autem comprehendit Articulos VII., in quibus declarantur statuta protestantium propria, & Ecclesiæ Catholicæ contraria.

clesia est Societas fidelium, quos Deus ordinavit, & elegit ad vitam æternam.

Praeterea Lutherani, & Calvinistae, adversum quos hic praesertim tractandum est, quia optime noverunt, quod promissiones Christi de perpetua duratione suae Ecclesiae vacuae esse non possunt, affirmant illas omnes pertinere non ad aeternam, & visibilem Ecclesiam, quam posse deficere, imo vero in Papatu, ut ipsi vocant, jam dudum defecisse pro certo habent, sed ad internam, & invisibilem, quae ex illorum mente sola indefectibilis est, hoc tamen sensu, quod in terris nunquam deesse possint, qui veram Christi fidem teneant, sive palam & in aperto, sive etiam in occulto.

Tandem statuunt etiam, quod vera Christi Ecclesia debeat esse infallibilis, quod tamen hoc tantum sensu accipiunt, ut intelligatur Ecclesia infallibilis in credendo tantum, seu passive, ut ajunt, eo quia stantibus divinis promissionibus vera fides sive apud multos sive apud paucos ex toto deficere non potest; non tamen etiam active, & in docendo, quia ex illorum mente nulla est humana societas in terris, quae in docendo errare non possit.

Ex his autem patet quod tota controversia inter nos, & haereticos circa modo memoratas proprietates Ecclesiae in eo ferme consistat, ut demonstretur, quod ille ipse caetus fidelium, qui in fide, & Sacramentorum communione sub regimine legitimorum Pastorum colligatus suscipit, & agnoscit in Romano Pontifice, a quo ipsi secessionem fecerunt, suum visibile caput, sit vera Christi Ecclesia in terris: sive quod idem est, ut demonstretur universim, quod vera Christi Ecclesia a Christo in terris ita instituta sit, ut debeat esse necessario semper visibilis usque ad mundi finem: nam hoc uno demonstrato jam se-

quitur sua sponte, quod haec eadem visibilis Ecclesia a Christo Domino sic instituta nullo unquam tempore deficere possit, neque falsam aliquando, & erroneam doctrinam fideles docere: quare sit.

Propositio I. Vera Christi Ecclesia est ex Christi institutione necessario semper visibilis.

Probat. Talis esse debet necessario semper vera Ecclesia Christi, qualis in Sacra Scriptura perpetuo describitur: atqui Ecclesia Christi describitur perpetuo in Sacra Scriptura tanquam societas visibilis, & omnibus conspicua, quae nullo modo occultari potest: sic Math. cap. 18. v. 17. ubi sermo est de correctione fraterna inquit Christus, si frater tuus *te non audiverit, dic Ecclesiæ, si autem Ecclesiam non audiverit, sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*: profecto autem auctoritas, ad quam ex mandato Christi denuntiari debet, qui fraternam correctionem non susceperit, & cujus sententiae obtemperandum, est debet esse necessario visibilis: neque enim fieri potest, ut quis denuntiari valeat ad auctoritatem invisibilem, seu ejus generis de qua, quaenam sit, & ubi sit penitus ignoratur; deinde Math. cap. 5. v. 14. dixit Dominus ad Discipulos suos: *vos estis lux mundi, non potest civitas abscondi super montem posita*. Quae verba exponens S. Pater Augustinus de Ecclesia in Enarrat. in Psalm. 47. inquit *hæc est civitas in monte posita, quæ abscondi non potest: hæc est lucerna, quæ sub modio non occultatur; omnibus nota, omnibus diffamata*: Praeterea in Epist. I. ad Timoth. cap. 3: v. 15. ait Paulus *ut scias quomodo oporteat te conversari in Domo Dei, quæ est Ecclesia columna, & firmamentum veritatis*: jam vero quomodo fieri potest, ut sciamus, quomodo oporteat nos conversari in Ecclesia, si ubi sit, & quae sit nesciverimus, quemadmodum necesse est

nos nescire statim ac vera Christi Ecclesia potest aliquando fieri invisibilis, & redigi ad statum internum, ita ut non subsistat amplius, nisi vel in solis justis, ut docent Lutherani. vel in solis praedestinatis, ut contendunt Calvinistae: praeterea quod vera Christi Ecclesia debeat necessario semper esse visivilis evincunt manifeste etiam parabolae, quibus illa in Sacra Scriptura adumbratur: nempe primo parabola *agri & sagenæ missæ in mare*. Math. cap. 13. v. 24., & 47. item illa *Convivii* ibid. cap. 22. v. 2., & alia *decem Virginum* ibid. cap. 25. v. 1. quae omnia visibilia sunt, & oculis omnium exposita: rursus Christi Ecclesiam debere esse necessario semper visibilem constat *primo* ex eo, quia Christus, sicut ipse in forma visibili, & in assumpta vera carne a Patre suo missus fuit, ita in Ecclesia sua visibiles Pastores misit atque instituit Joan. cap. 20. v. 21. dicens ad Discipulos suos *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: *secundo* etiam ex eo, quia Ecclesiam suam aedificare voluit super petram: sive enim per petram Math. cap. 16. intelligatur Christus ipse, sive confessio Petri, sive denique Petrus in propria persona, semper evidens est fundamentum Ecclesiæ a Christo institutum esse sensibile, sicuti sensibus subjecti erant Christus, Petrus, & confessio Petri: *Tertio* denique ex eo, quia Christus in Ecclesia sua visibilia, & sensibilia instituit Sacramenta, quibus fideles simul in unam societatem colligandi erant: neque enim fieri potest, ut societas aliqua per signa, & vincula sensibilia conjuncta existat, & nihilominus invisibilis sit: nam tunc fieri posset, ut Ecclesia, quam Christus suam esse voluit, simul esset, & non esset visibilis: nimirum esset visibilis in vinculis suis externis a Christo ipso institutis, ut iis mediantibus in perfectam societatem coalesceret, & non esset visibi-

lis in seipsa, quia non esset vera Ecclesia, nisi secundum statum internum, soli Deo cognitum, quod est contradictorium: huc accedit quod actor. cap. 20. v. 23. Paulus Apostolus summopere hortatur Episcopos, ut vigilantes sint in regenda Ecclesia Dei dicens *attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit Sanguine suo*. Sane enim, si vera Christi Ecclesia est invisibilis, & occulta, & talis, quæ sensibus externis minime innotescit, quomodo illam regere poterunt Episcopi, quibus in internam Ecclesiam jus nullum est, nec esse potest? merito propterea concludit hic S. P. Augustinus Tract. 2. in Epist. I. S. Joannis dicens *Ecclesia ejus in sole posita, non in nocte, sed in die. Quid amplius dicturus sum, quam cæcos, qui tam magnum montem non vident, qui contra lucernam in candelabro positam oculos claudunt.*

Solvuntur apposita argumenta.

Opp. Lucæ cap. 17. v. 20. legimus *non venit regnum Dei cum observatione*: sed nomine regni Dei intelligi debet Ecclesia Christi: ergo cum observatione non venit; idest visibilis non est Ecclesia Christi. Deinde in I. Petri cap. 2. v. 5. Ecclesia vocatur *Domus spiritualis*, & vers. 9. fideles dicuntur *gens sancta, & populus acquisitionis*: item in Canticis cap. 4. v. 12. Ecclesia figuratur per *hortum conclusum*, & per *fontem signatum*, & vers. 15. per *puteum aquarum viventium*: ergo tota spiritualis est, & invisibilis: præterea Ecclesia est corpus Christi mysticum: ergo videri non potest: tandem Ecclesia creditur: quod autem creditur illud non videtur, nam *fides est sperandarum substantia rerum argu-*

mentum non apparentium ex Apostolo ad Hebr. cap. 11. v. 1. ergo Christi Ecclesia non est visibilis.

Respond. ad primum *dist.* Regnum Dei non venit cum observatione, sicut illud expectabant Judæi *conc.* secus *nego*. Sine dubio per regnum Dei Lucæ cap. 17. v. 20. ex mente Sanctorum Ecclesiæ Patrum intelligi debet Ecclesia Christi: sed ut innotescat cujus generis observationem eo loci Christus ab Ecclesia sua removeat, an scilicet absolutam, & sub omni respectu? an vero illam tantum sub qua illam sperabant Judæi? notandum est, quod Pharisæi, ad quos ibi fit sermo, regnum Messiæ sive Christi venturi, quod sæpe & palam a Prophetis prænuntiatum fuisse non ignorabant, venturum crediderint cum omni exteriori gloria regni terrestris, & cum magno apparatu bonorum temporalium, sicuti illud etiam nunc expectant Judæi omnes: igitur Christus, ut illos ab hoc errore ad veritatis lumen revocaret, postquam sæpius jam docuisset regnum suum non esse hujus mundi, sed futurorum bonorum, dum loco citato negat regnum Dei venturum cum observatione, nihil aliud ostendit, nisi quod vana prorsus esset prædicta Pharisæorum, & Judæorum omnium expectatio, quam sibi fingebant de regno Messiæ, & propterea ut eos de hac re certiores redderet, subjungit etiam ibidem aperte vers. 21. dicens, *neque dicent* ecce hic, aut ecce illic; *ecce enim regnum Dei intra vos est* significans seipsum esse Messiam in lege promissum, quem illi inter ipsos positum non cognoscebant, & cum modo dicta observatione frustra expectabant; ac proinde excludit ab Ecclesia sua non utique observationem illam, de qua cum aliis Prophetis vaticinatur etiam Isaias cap. 2. v. 2. dicens, *& fluent ad eum omnes gentes*, sive illam, qua gentibus omnibus deberet esse aperta, & conspicua; sed illam tan-

tum bonorum temporalium, & quæ cum apparatu regni terreni conjuncta esset.

Ad alterum *dist.* Ecclesia est *Domus spiritualis*, & fideles sunt *gens Sancta* propter principale ejus attributum *conc.* quia sunt societas mere spiritualis, & invisibilis *nego*. Nihil plane impedit; quod vera Christi Ecclesia sit *Domus spiritualis* ex prima Petri cap. 2. v. 5., & fideles sint *gens sancta* sicut eo in loco vocantur, quin tamen inde sequatur, quod vel Ecclesia ipsa sit domus invisibilis, & occulta, vel quod soli fideles interiori sanctitate præditi veram Christi Ecclesiam constituant, ut contendunt Lutherani: nam denominationes, ut est in proverbio fiunt semper ex parte principaliori, & hoc modo etiam Ecclesia Christi denominatur *Domus spiritualis* primo quidem quia spiritualibus vinculis, & fundamentis, idest ejusdem fidei, & eorundem Sacramentorum communione compaginata, & fundata est; & deinceps quoque, quia, cum sit *corpus Christi* ad Ephes. cap. 4. v. 12., & ad Colossens. cap. 1. v. 24. etiam Spiritu Christi, idest interiori spe, & charitate animata existit: fideles autem vocantur *gens sancta* tum propter inhærentem sanctitatem vitæ suorum membrorum, quæ partem nobiliorem hujus societatis efformant, tum etiam ratione vocationis ut dictum fuit superiori capite in probatione ad alteram Propositionem, idest quia non solum omnia hujus Ecclesia membra in communi, sed etiam singula ad sanctitatem vocati fuerunt: quæ omnia nihil plane impediunt quin vera Christi Ecclesia sit necessario semper visibilis.

Ad tertium *dist.* Ecclesia Christi figuratur per hortum conclusum, per fontem signatum, & per puteum aquæ viventis, relate ad suum esse finale *conc.* Spectata secundum esse præsens *nego*. Vera Christi

Ecclesia considerari debet sub duplici respectu, nimirum primo secundum suum esse præsens, idest in eo statu, in quo actu decurrit in tempore, & iterum secundum suum esse finale; idest secundum statum patriæ, ad quem ordinata est: si hoc postremo modo consideretur, tunc fatendum erit eandem esse omnino invisibilem, siquidem sic considerata, non comprehendit, nisi solos prædestinatos, qui soli Deo cogniti sunt: jam vero, evidens est, quod omnes illæ figuræ in Cantico Canticorum, scilicet *hortus conclusi* in quem non intrat immundus; vel *fontis signati* qui non patet furibus, & latronibus; vel denique *putei aquæ viventis*, cujus aquæ saliunt in vitam æternam, accipi non possunt, nisi de Ecclesia considerata secundum suum esse finale, seu secundum statum patriæ, ad quem tendit: ac proinde nihil plane nos urgent: siquidem dum dicimus veram Ecclesiam Christi esse necessario semper visibilem, loquimur, non de Ecclesia finaliter considerata, sed spectata secudum suum esse præsens, in quo complectitur æque bonos, & malos, neque est in singulis suis membris munda, & immaculata, ut capite primo dictum jam fuit.

Ad quartum *dist.* Ecclesia est Corpus Christi mysticum, quia cum Christo capite non physice, sed mystice, & spiritualiter conjuncta est *conc.* Quia etiam ipsa mere mystica est, & spiritualis *nego*. Multa sæpe mystica vocantur sub aliquo sensu, & spiritualia, quæ sub alio corporalia sunt, & sensibilia: sic Apostolus ad Ephes. cap. 3. loquens de primæva institutione Matrimonii, cujus occasione Genes. cap. 2. v. 24. Deus dixit *propter hoc relinguet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una*: Apostolus inquam compellat matrimonium nomine Sacramenti, quod idem

significat, ac *mysterium* dum ibidem vers. 31. inquit *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia*: & tamen adhæsio viri cum uxore sua est corporalis, atque sensibilis: eodem modo etiam Ecclesia Christi vocatur corpus Christi mysticum, non utique quia societas ipsa fidelium mystica est, & mere spiritualis, sed quia mystice cum Christo capite conjuncta, mystice pariter seu spiritualiter ab ipso fovetur, atque nutritur, tum Sacramentorum participatione, quæ bonis æque, ac malis communia sunt, tum etiam fide, spe, & charitate, quæ formant animam Ecclesiæ, seu internum vinculum hujus mystici corporis, & quæ non nisi in vera Christi Ecclesia proprie haberi possunt.

Ad postremum *dist.* Ecclesia creditur sub uno aliquo respectu *conc.* sub omni respectu *nego*. Nihil plane repugnat quod vera Christi Ecclesia sit necessario semper visibilis, & simul quoque objectum fidei, quod profitemur in symbolo, dum dicimus: *credo in unam sanctam catholicam, & apostolicam Ecclesiam*: nam multa revera sunt quæ hoc modo apprehendimus partim per fidem, & partim per cognitionem, & scientiam: sic v. g. unus & idem Deus, quatenus est auctor naturæ, est objectum scientiæ, & quatenus est auctor gratiæ, est objectum fidei: sic etiam baptismus, quatenus est ablutio aquæ, videtur: & creditur, quatenus est sacramentum regenerans: & ita sunt plura alia, quæ sub duplici respectu non minus ad fidem, quam ad cognitionem & scientiam pertinent, & præsertim vera Ecclesia Christi, circa quam duo contemplari debent, nempe unum, quatenus est societas externa ejusdem fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione sub regimine legitimorum Pastorum, & præsertim romani Pontificis simul colligata: alterum vero quatenus hæc ipsa exter-

na societas est cœtus ille fidelium, quem Christus Ecclesiam suam in terris esse voluit: primum videmus utique & nos, & vident nobiscum etiam hæretici; alterum autem nec nos videmus, nec vident hæretici: attamen hoc illud est, quod dum hæretici credere nolunt, nos firmiter credimus; atque idem est nobis *argumentum non apparentium*, quia ex divinis promissionibus & sacræ scripturæ oraculis certo cognoscimus, quod illi soli, & nulli alteri societati cristianæ conveniunt dotes illæ & proprietates characteristicæ, quibus Christus Ecclesiam suam in terris ornatam, & præditam esse voluit.

Instabis Vera Christi Ecclesia non est quærenda in certis locis materialibus, seu in opidis & civitatibus, ex præcepto Christi Math. cap. 24. v. 23. dicentis *si quis vobis dixerit ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere*: ergo vera Christi Ecclesia potest revera in physicis terræ locis fieri occulta & invisibilis.

Respod. dist. Vera Christi Ecclesia non est quærenda in certis locis, quatenus ad certa tantum loca materialia pertineat, & non etiam ad omnem mundum *conc.* secus *nego* ineptissima plane est hæreticorum cavillatio, dum ex verbis Math. cap. 24. v. 23. concludunt Christi Ecclesiam non esse quærendam in certis locis materialibus, ut inde deducant, veram Ecclesiam non esse aliam, nisi internam tantum, & invisibilem: si enim evangelium regni prædicandum erat *in testimonium omnibus gentibus*, sicut promittit Christus eo ipso in loco vers. 14. imo si Ecclesia Christi ex prophetarum oraculis, & ex Evangelio Christi debet esse cætus hominum toto terrarum orbe credentium; quomodo nullo in loco visibili erunt gentes, quibus prædicandum est evangelium, quomodo cœtus ille credentium potest esse in-

visibilis, & nullo in loco materiali? profecto hæc sunt plane contradictoria: igitur verba illa Christi Math. cap. 24. v. 23. *si quis vobis dixerit, ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere*: non impetunt nostram, sed hæreticorum Ecclesiam: quæ non existit, nisi in certis tantum quibusdam locis: econtra autem nostra existit ubique, siquidem credit, & deprædicat Christum in omni loco: ac propterea jure optimo ex hoc ipso Mathæi loco evincimus veram Christi Ecclesiam debere ubique terrarum & in omni loco ab omnibus credi, sicut ostendit S. P. Augustinus in lib. de unit. Eccles. cap. 3. ubi inquit *si Christi Ecclesia canonicarum scripturarum divinis & certissimis testimonijs, in omnibus gentibus designata est, quidquid attulerint, & undecunque recitaverint, qui dicunt ecce hic Christus, ecce illic, audiamus potius, si oves ejus sumus, vocem pastoris nostri dicentis, nolite credere, in multis gentibus, ubi ista est, illæ singulæ* (sectariorum Ecclesiæ) *non inveniuntur*; *hæc autem* (Ecclesia catholica) *quæ ubique est, etiam ubi illæ sunt, invenitur*.

Propositio II. Visibilis Ecclesia Christi duratura est usque ad finem mundi, neque potest unquam deficere.

Probat. Profecto enim Pastores & Doctores constituti a Christo ad exercendum visibile ministerium, & Sacramenta sensibilia ab ipso instituta, pertinent ad visibilem, non autem ad internam duntaxat Ecclesiam, ut Lutherani & Calvinistæ negare ullatenus possunt: atqui Christus Dominus voluit, ut in sua Ecclesia essent Pastores & Doctores, qui exercerent in illa perpetuum visibile ministerium, id est usque ad mundi finem: siquidem *ipse* (ut testatur Paulus Apostolus ad Ephes. cap. 4. v. 11.) *dedit quosdam*

Apostolos, alios Prophetas, alios Pastores & Doctores in opus ministerij in ædificationem corporis sui, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei, deinde instituit etiam sacramenta duratura usque ad consumationem sæculi; nam Math. cap. ultimo v. 20. postquam jussisset baptizare omnes gentes, subjungit ad discipulos suos dicens *& ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem sæculi*, porro autem ut inquit in hunc locum Sanctus Hieronymus *qui usque ad consummationem sæculi cum discipulis se futurum esse promittit, & illos ostendit semper esse victuros, & se nunquam a credentibus recessurum*: & generatim perpetuum ministerium exercendum in Ecclesia, & Sacramenta duratura usque ad mundi finem, ostendunt necessario etiam perpetuam durationem ipsius Ecclesiæ: præterea a Christo Pastoribus Ecclesiæ imposita fuerunt præcepta duratura usque ad consumationem rerum omnium, & usque ad suum secundum adventum: ut constat ex 1. ad Thimoth. cap. 6. v. 14. Ubi Apostolus ait *præcipio tibi coram Deo . . . ut serves mandatum sine macula irreprehensibile usque ad adventum Domini Jesu Christi* & Ecclesia Christi dicitur civitas quam *Deus fundavit in æternum* psal. 47. v. 9. item *regnum quod in æternum non dissipabitur* Daniel. cap. 2. v. 44. & de illa ait Christus ipse Math. cap. 16. v. 18. *& portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: si autem visibilis Ecclesia Christi posset aliquando deficere, profecto non solum non esset fundata in æternum, sed etiam posset dissipari, & portæ inferorum possent jam aliquando adversus illam prævalere: præclare propterea concludit S. Hieronymus in caput 5. Isaiæ dicens *super petram fundata Ecclesia, nullo turbine ventisque subvertitur*; & S.

P. Augustinus in psal. 60. num. 6. *non vincetur Ecclesia, non eradicabitur, nec cedet quibuslibet tentationibus, donec veniat hujus sæculi finis.*

Solvuntur opposita Argumenta.

Opp. 1. Non secus deficere potest Ecclesia post Christum, quam illa, quæ erat vera Ecclesia ante illum penes Synagogam: atqui ista sæpe defecit: & quidem *primo* in deserto Sinai tempore Moysis, quando Israelitæ adoraverunt vitulum aureum Exod. cap. 32. & secundo tempore Eliæ in 3. Regum cap. 19. ubi vers. 10. Propheta inquit *relictus sum ego solus*: Præterea leviticum Sacerdotium, quo præfigurabatur Sacerdotium novæ legis, non obstante, quod promissum fuisset perpetuum futurum Exod. cap. 29. v. 9. ubi legitur de filijs Aaron *erunt Sacerdotes mihi religione perpetua* defecit tamen totum in morte Christi, ergo deficere potest etiam tota visibilis Ecclesia Christi.

Respond. ad primum *nego ans.* Maximum est discrimen inter Ecclesiam, quæ fuit penes Synagogam ante adventum Christi in carne humana, & illam quam Christus ipse postea visibilem in terris instituit: nam *primo* nullibi dictum est ad Synagogam sive ad Ecclesiam, quæ erat ante Christum natum, *& portæ inferi non prævalebunt adversus eam* sicuti dictum est ad Ecclesiam, quæ immediate a Christo instituta fuit Math. cap. 16. v. 18. *secundo* ante adventum Christi poterat æterna salus obtineri per fidem Mediatoris a gentibus etiam extra Synagogam: neque enim Synagoga erat Ecclesia omnium gentium, sed tantum filiorum Israel: econtra vero post Christum Deus concredidit soli Ecclesiæ Verbum suum, & cum eo etiam omnia media salutis, ita ut quicun-

que ad istam Ecclesiam non pervenerit, hoc ipso nullo modo jam salvari possit; unde necesse est, ut ista perpetuo visibilis sit, & omnibus conspicua, ut adeo omnes gentes, quarum est Ecclesia ista, quovis tempore ad illam pervenire possint, & in ea suam operari salutem.

Deinde est etiam falsum, quod vetus Ecclesia vere tota simul aliquando defecit eo tempore quo erat vera Ecclesia: nam primo in deserto Sinai revera non omnes adoraverunt vitulum aureum: siquidem ut legimus eodem capite 32. Exodi, ubi fit sermo de hac adoratione vers. 26. ad Moysem *congregati sunt omnes filij Levi* postquam ipse stans in porta castrorum dixisset *si quis est Domini jungatur mihi*: & secundo etiam Elias in 3. Regum cap. 19. non respicit totam Synagogam, sed tantum partem illam, quæ erat in regno Israel, nam quod spectat ad partem regum Juda, in ea tunc regnabat pius Rex Josaphat, qui Dei cultum egregie promovebat: ut interim omittamus, quod eo ipso in loco Eliæ conquærenti *derelictus sum ego solus* vers. 18. Dominus respondit *derelinguam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal*.

Ad alterum *dist.* Leviticum Sacerdotium defecit in morte Christi, quia non erat proprie perpetuum, & quia per novum, quod præfigurabat, compleri & cessare debebat *conc.* secus *nego*. Quod Leviticum Sacerdotium, & cum eo etiam lex ipsa finem habere aliquando deberet, testantur non semel, sed sæpe Prophetæ ipsi, & primo quidem etiam Moyses in Deutero. cap. 18. ubi annuntiat post se suscitandum Prophetam de quo vers. 19. inquit Deus ipse *qui autem Verba ejus, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit ego ultor existam*, & quem Daniel cap. 9. v. 24. *Sanctum Sanctorum* denominat: deinde etiam

Isaias cap. 61. v. 8. loquens de populo novi fœderis inquit *foedus perpetuum feriam cum eis, & scient in gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum: omnes, qui viderint eos cognoscent illos, quia ipsi sunt semen cui benedixit Dominus* & tandem ut alios prætermittamus Jeremias cap. 31. v. 32. aperte vaticinatur dicens *non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem eos de terra Aegypti: pactum, quod irritum fecerunt . . . sed hoc erit pactum, quod feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eum, & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum:* neque aliter fieri poterat: nam cum lex vetus universim non esset nisi typus futurorum, ut observat etiam S. Ambrosius in caput 2. Lucæ circa medium, & cum Sacerdotium leviticum non esset, nisi figura sacerdotij futuri, intelligitur illico, quomodo generatim *venientibus rebus promissis, promissiones ablatæ sunt*, ut ait S. P. Augustinus in psal. 50. num. 21. & quomodo etiam æquissimo jure Leviticum Sacerdotium per novum superveniens, idest per Christum qui *appellatus est a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech* ad hebr. cap. 5. v. 10. & qui proprie, ut ibi cap. 7. v. 24. affirmat Paulus, *sempiternum habet Sacerdotium* transferri, & simul cum lege ipsa adimpleri, atque ad suam perfectionem perduci debuerit.

Ut autem intelligatur quomodo Sacerdotium Leviticum, & subinde etiam lex ipsa vetus, dicatur in Scriptura sacra in perpetuum duratura, notandum hic breviter est, quod voces illæ *æternum, æternitas, perpetuum* in Sacra scriptura sæpe enuntiantur non absolute, sed respective ad indefinitam durationem, & sæpe non significant, nisi integram durationem rei

alicujus: sic genesis cap. 49: v. 26. dicuntur *montes æterni*: sic etiam Proverb. cap. 10. v. 30. legitur *justus non commovebitur in æternum*: ex quibus intelligitur quod perpetuitas enuntiata Exodi cap. 29. v 9. ubi legitur *cingesque balteo Aaron & liberos ejus, & impones eis mitram, eruntque Sacerdotes mihi religione perpetua* accipi debeat, non de perpetuitate absoluta, sed de relativa tantum, scilicet de toto illo tempore, quo lex vetus durare debebat.

Opp. 2. Ab actu ad potentiam legitima est consecutio: atqui visibilis Ecclesia Christi sæpe defecit: *primo* quidem jam tempore Apostolorum: nam Petrus ter Dominum negavit, & Apostoli omnes fugerunt in morte Christi: *secundo* defecit etiam tempore Concilij Ariminensis: siquidem in eo Episcopi omnes subscripserunt formulæ fidei ab Arianis in Sirmiensi Conventiculo fabricatæ: de qua re Sanctus Hieronymus in dialogo contra luciferianos inquit, *tunc ingemuit orbis, & se Arianum esse miratus est*. *Tertio* defecit quoque in toto fere Oriente, & in Ecclesijs ab Apostolis ipsis fundatis, Corinthiaca nempe, Smyrnensi, Ephesina, Alexandrina, & alijs: ergo tota deficere potest: & quod revera defectura sit, innuit Christus ipse apud Lucam cap. 18. v. 8. ubi loquens de tempore Antichristi inquit *Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra?* ergo visibilis Ecclesia potest absolute deficere.

Respond. Ad primum *nego min.* ad primam probat. *dist.* Petrus ter Dominum negavit, & Apostoli tempore mortis Christi omnes fugerunt, ob defectum debitæ constantiæ in adversis *conc.* ob totalem & absolutam a fide defectionem *nego*. Principio posset totum hoc argumentum ultro transmitti, siquidem non loquimur hic de Ecclesia nascente, sed de Ecclesia jam formata, & quæ perfecta constituta non fuit, nisi tunc, quando

Apostolis orantibus in cœnaculo act. cap. 2. Spiritus Sanctus primum sub figura ignitarum linguarum illapsus est: deinde fatemur generatim, quod ab actu ad potentiam valeat consecutio, sicuti docet scholasticum axioma: sed falsum plane est, quod vel Petrus, vel cæteri Apostoli in morte Christi vere omnem fidem amiserint, atque ideo Ecclesia ipsa jam in suo exordio tota defecerit: nam quando Petrus ter Christum negavit dicens *non novi hominem*; negavit illum *sola voce externa* ut affirmat S. P. Augustinus in lib. contra Mendac. cap. 6. idest non ex defectu absoluto fidei, sed ex defectu necessariæ fortitudinis in rebus adversis: quod confirmat, etiam S. Leo serm. 9. de Passion. Domini: ubi Petrum alloquitur dicens: *vidit in te Dominus, non fidem victam, non dilectionem aversam, sed constantiam fuisse turbatam*. Et revera, nam statim ac Christus illum respexit, *flevit amare* Lucæ cap. 22. v. 62. quod profecto non fecisset, si amisisset penitus fidem: eodem modo discurrendum est de reliquis Apostolis, qui in morte Christi omnes fugerunt; nempe etiam isti fugerunt, non quia omnino amplius non crederent in Christum, sed timore correpti, & ob defectum constantiæ: etenim propterea Christus redivivus a mortuis exprobavit illis, non apostasiam a fide, & absolutam infidelitatem, sed stultam tantum tarditatem ad credendum, Lucæ cap. 24. v. 25. dicens; *o stulti & tardi corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ* (1).

(1) Vulgo fere ab omnibus creditur, & legitur etiam in devotis libellis, quod candelæ, quæ tempore officij divini in majori hebdomada in triangulo appositæ alternatim ad alternam singulorum psalmorum recitationem extinguuntur, significent fidem successive in Apostolis in morte Christi extinctam fuisse: verum ut notat Gavantus Sect. 4. cap. 13. opinio ista nullo solido nititur fundamento: & videtur longe pro-

Ad alteram probat. *dist.* Ecclesia defecit in Concilio Ariminensi apparenter, & in opinione hominum ex falso Arianorum rumore concepta *conc.* vere & realiter *nego*. Tota ratio cur hæretici uno fere ore clamitant Ecclesiam visibilem a recta fide descivisse in Concilio Ariminensi, quod anno 359. celebratum fuit, consistit in eo, quia plerique omnes illi Episcopi, qui ex toto orbe Christiano quadringenti circiter ad Concilium illud convenerunt, Arianam fidei formulam subscripserunt, & calculo suo veluti apbarunt: verum ut verbis Sancti Athanasii utamur in Epist. ad Affros *videntur illi, qui Ariminense Concilium in ore habent, ne illa quidem scire, quæ ibi acta sunt, quippe qui alioquin obticuissent*: nec immerito nam generatim loquendo tres successive apud Sirmium diversæ ab hæreticis Arianis, & Semiarianis confectæ fuerunt fidei formulæ, quas omnes singillatim refert Philippus Labbeus Tom. 2. Concil. pag. 784. edit. Paris. 1681. ex quibus secunda palam, & expresse proscribit, & damnat vocabulum *Homousion*,

babilius, quod docet Rupertus Abbas apud eundem Gavantum in lib. 5. de div. offic. cap. 26. nimirum quod alternativa illa, & successiva candelarum extinctione significentur tenebræ factæ super universam terram tempore mortis Christi, & mors Prophetarum, qui omnes singillatim occisi fuerunt expleto illorum ministerio, sicuti singulæ candelæ post singulos psalmos extinguuntur: Candela autem superior, quæ ex vulgi opinione significat beatissimam Virginem Mariam Domini Matrem, quæ in fide firma permansit, & quæ non extinguitur, sed accensa absconditur subtus altare, dum antiphona ad Benedictus in choro repetitur, significat Christum ipsum supremum omnium Prophetarum, prius occisum, & postea redivivum a mortuis: quam sententiam probat & sequitur etiam noster Angelus Rocca insignis Institutor & nostræ Angelicæ Bibliothecæ in Urbe Fundator in libro suo quem *de Campanis* edidit cap. 5.

quod a Concilio Nicæno I. consecratum ad exprimendam in Divinis Filii cum Patre consubstantialitatem tanquam Orthodoxæ Fidei tessera tunc communiter habebatur, & tam prima quam tertia ex illis nullam plane videtur continere hæresim, saltem expressam; ut cum Severino Binnio in nota apposita ad tertiam formulam loco citato pag. 789. sentiunt Theologi omnes: neque aliud in illis desiderabatur, ut vere, & undique orthodoxam fidem explicite referrent, nisi vox illa *Homousion*: jam vero credibile plane non est, quod Patres Ariminenses (3) sub-

(3) Sunt qui cum Philippo Labbeo in loco superius citato pag. 791. existimant duplex distinguendum esse Ariminense Concilium: unum scilicet legitimum, & Œcumenicum a Liberio Papa convocatum, & celebratum anno 359. a quadringentis Episcopis ex toto orbe Catholico, ut supra dictum est, congregatis, sub Consulatu Eusebii, & Hypatii, cujus acta periisse creduntur, neque aliud ex illis amplius extare, nisi quaedam fragmenta a modo laudato auctore collecta, & in quo, ut putant hujus opinionis fautores, Patres illi Ariminenses confirmata fide Nicaena expresse rejecerint tertiam fidei formulam apud Sirmium procusam, & nomine Constantii Imperatoris sibi ad subscribendum oblatam: alterum vero illegitimum, & quod laudatus Conciliorum Collector Conciliabulum appellat pag. 801., quod non multo post primum modo laudatum celebratum fuerit, non amplius Arimini, sed prope illam Civitatem in alio loco ab Arianis, atque ad obscurandam, vel etiam delendam Superioris Concili auctoritatem ab iisdem sub nomine Ariminensis Concilii evulgatum, in quo formula solemniter ab omnibus subscripta sit, & quod propterea occasionem praebuisse creditur, quod totus orbis *se arianum esse miratus sit*, sicut scribit S. Hieronymus in Dialogo adversus Luciferianos: videtur tamen magis probabilis communior fere omnium opinio, quae tenet unum tantum agnoscendum esse in hac controversia hujus nominis Concilium, & alterum cujus meminit Labbeus revera non fuisse, nisi continuationem prioris ita ut iidem Patres, qui primo

scripserint formulam secundam, quæ erat manifeste hæretica, quippe istam aversabantur tam Imperator, quam Semiariani illi Episcopi, qui subscriptionem perurgebant, igitur necesse est, ut subscripserint vel primam, vel quod probabilius est, tertiam: ajo autem probabilius esse, quod subscripserint tertiam, nam utra revera

omnem aliam fidei formulam a Nicena diversam subscribere recusaverant, postea cum edicto Constantii ex illa urbe ad sedes suas discedere, sicuti missis legatis ad Imperatorem enixe flagitaverant, prohibiti essent, nisi prius formulam ipsis oblatam signarent, tandem aliquid humani passi sunt, & magis taedio, atque aerumnis oppressi, quam libere, & ex animi voto in subscriptionem consenserint; siquidem tam Liberius Papa, qui redux a suo exilio acta hujus Concilii rescidit, & irrita declaravit, quam Sanctus Hilarius, & etiam Sanctus Hieronimus, & Sanctus P. Augustinus, dum acta hujus Concilii tanquam a Fide Orthodoxa dissentanea improbant, nunquam aliud commemorant Concilium, quam istud Arimini celebratum, neque quidquam occurrit apud Patres istos, ex quo merito suspicari possit, quod fraude Haereticorum in locum Concilii Ariminensis aliud alibi celebratum suppositum fuerit: his ita positis notandum hic remanet quod Concilium istud ab initio suae celebrationis legitimum fuerit tam convocatione, quam celebratione, ut omnes conveniunt; postea tamen, & præcise post reditum legatorum, quos Patres post publice probatam ab ipsis fidem Nicenam ad Imperatorem delegaverant, ut ab ipso facultatem impetrarent ad sedes suas redeundi, factum est plane illegitimum, quia tunc Patres quasi vi ibidem detenti sua libertate carere caeperunt: praeterea hic quoque notandum est quod isti ipsi Praesules Ariminenses iure ac merito a Sanctis Ecclesiae Patribus Athanasio praesertim, Hilario, & Hieronymo modo ab errore excusantur, modo vero etiam accusantur: nimirum excusantur, quando rem ipsam in se, prout gesta sunt omnia in illo Concilio seorsim expendunt: accusantur autem, quando gesta illa considerant cum relatione ad pravum sensum Arianorum, quem subscriptione formulae apparenter etiam ipsi approbasse videntur.

fuerit disputatur inter Theologos: & quoniam neutra ex illis esset aperte hæretica, in eo tantum culpandi sunt Patres isti, quod tandem aliam fidei formulam a Nicæna diversam subscripserint, atque ita a laudabili priori proposito, & animi constantia, qua per literas ad Imperatorem datas firmissime antea significaverant, se nunquam alteram a Nicena fidem amplexuros, & confessuros fore, misere recesserint; nullam tamen hæresim expresse professi sunt, ita ut ex facto isto legitime inferri possit, quod tunc visibilis Christi Ecclesia tota defeceit.

Neque ullatenus contrarium evincitur ex S. Hieronymo: dum in sæpe laudato Dialogo inquit *tunc orbis ingemuit, & Arianum se esse miratus est*: generatim enim si orbis ingemuit, ergo detestabatur hæresim Arianam, ac proinde Arianus revera non erat, siquidem nemo sanæ mentis ingemiscit, & miratur se esse, quod se sua sponte, & ex animo esse cognoscit: sed directe ad argumentum ingemuit orbis propter communionem cum Arianis initam, & subscriptionem formulæ ab hæreticis contextæ, & quæ male intellecta etiam in pravum sensum torqueri facile poterat *conc*, Quia revera credebat se esse Arianum *nego*. Nimirum licet tam prima, quam tertia formula, quam postremam a Patribus Ariminensibus subscriptam fuisse ex probabiliore sententia modo diximus, nullam expresse contineret hæresim, & tam una, quam altera etiam sensum Catholicum in sensu obvio facile suscipere posset, utraquæ tamen erat ita subdole confecta, ut sine magna difficultate, & ex naturali veluti vocabulorum significatione, etiam in sensum hæreticum inflecti, atque detorqueri capax esset, maxime quia tam in una, quam in altera altum erat silentium de vocabulo *Homousion*, quod tunc temporis, ut dictum fuit, erat veluti publicum re-

ctæ fidei signaculum : & quia Episcopi Semiariani, qui in illo Concilio cum Catholicis permixti aderant, eandem formulam subscripserunt animo in hæresim propenso, factum est, ut post extortam subscriptionem Catholicorum Episcoporum palam gloriarentur, & publice proclamarent, quod communi omnium calculo fides Nicæna abrogata, atque proscripta fuerit : atque ita contigit, ut fideles attendentes ad communem omnium illorum subscriptionem, & ad falsum istum rumorem, quem studiose fovebant, & promulgabant hæretici, putaverint, quod omnes Episcopi animo perverso, atque hæretico formulam istam firmaverint, in quo tamen judicio splendide decepti sunt ; út patet ex eodem Dialogo S. Hieronymi : siquidem in eo totus est, ut Patres illos adversus Luciferianos ab omni erroris labe alienos fuisse ostendat : & dum sermonem instituit de formula ab ipsis subscripta inquit *superficies expositionis nihil sacrilegum præferebat : . . . sonabant verba pietatem, & inter tanta illa præconia, nemo venenum insertum putabat . . . . non erat cura Episcopis de vocabulo, cum sensus esset in tuto*. Neque aliud contendit in illo Dialogo, nisi quod Patres illi contra prudentiam peccaverint, in eo, quod contra fraudes hæreticorum non satis cauti fuerunt, & inita communione cum Arianis passi sunt, quod in formula fidei nulla fieret mentio vocabuli *Homousion*.

Sed dicet aliquis S. Hieronymus in illo Dialogo affirmat aperte, quod in illo Concilio fides ipsa detrimentum passa sit; ait enim *tunc Nicænæ fidei damnatio proclamata est*: ergo Patres illi non innoxiam, sed hæreticam subscripserunt formulam : verum levis est etiam ista illatio : nam verba illa sunt plane indeterminata, neque enim ostendunt a quo nam præcise proclamata sit damnatio ista, ac proinde etiam in

sensu obvio facile referri possunt ad Arianos, qui in illo Concilio cum Catholicis permixti erant, non autem ad Episcopos Ariminenses, seu ad Patres Concilii indiscriminatim.

Ad tertiam confirmat: respondendum est, quod Christus Dominus promiserit perpetuam durationem, non singulis Ecclesiis in particulari, & separatim spectatis, sed Ecclesiæ in communi, idest singulis Ecclesiis simul acceptis, quatenus unam veram Christi Ecclesiam efformant: ex quo fit quod particulares Eccesiæ ultro deficere possint una post alteram, sicuti factum est in Ecclesiis Orientalibus ab Apostolis ipsis institutis: non possunt tamen deficere omnes sive Ecclesia tota, propter expressam promissionem Christi.

Ad postremum *dist.* Ecclesia defectura est tempore Antichristi, defectione partiali, & multorum *conc.* Defectione universali, & omnium *nego*. Verba Christi Lucæ cap. 18. v. 8. *Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra* respiciunt fidem perfectam, quæ per dilectionem operatur, & defectionem multorum, non autem defectionem generalem, & omnium, ita ut societas fidelium ex toto disparere debeat in terra: nam si tota disparebit, & invisibilis fiet, quomodo Antichristus in illam exeret, vel exerere poterit persecutionem? igitur *credendum est, nec qui cadant de Ecclesia, nec qui accedant ad Ecclesiam illo tempore defuturos*, ut inquit S. P. Augustinus in lib. 20. de Civit. Dei cap. 8. idest quod etiam tunc vera Christi Ecclesia absolute, & simpliciter invisibilis non fiet.

Eodem modo intelligi debet etiam Paulus Apostolus in 2. ad Thessalonicenses cap. 2. v. 3. ubi affirmat alterum Christi adventum non esse futurum *nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo*

peccati: nam si tota visibilis Ecclesia tunc discedet in sensu absoluto, ut contendunt hæretici, profecto tunc discedere deberet etiam Ecclesia invisibilis, & interna, quam ipsi veram Christi Ecclesiam esse in terris confingunt, & quam perpetuam fore ex Christi institutione, & promissione affirmant: ut per se patet: igitur etiam discessio ista intelligi debet de discessione multorum non autem omnium fidelium.

Propositio III. Vera Christi Ecclesia non potest unquam redigi ad paucos tantum occultos fideles.

Probat. Vera Christi Ecclesia est necessario semper visibilis, ut Propositione I. probavimus; & Catholica idest universalis, non tantum in fide, & doctrina, sed etiam in sua diffusione per totum orbem, saltem moraliter; ut supra cap. 2. Propositione 3. ostendimus; ergo non potest unquam redigi ad paucos tantum occultos fideles: deinde Christus instituens Ecclesiam suam voluit, ut ipsa esset Ecclesia non unius aut alterius nationis; sed omnium gentium usque ad consumationem sæculi, ita ut omnes homines ad illius gremium, & cognitionem quovis tempore pervenire possent, atque in ea salutem æternam operari: ideo enim Lucæ cap. 24. aperiens discipulis suis sensum, ut intelligerent Scripturas vers. 46. affirmat dicens *oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes*: atqui si Ecclesia aliquando redigi posset ad paucos tantum occultos fideles, jam impossibile esset, ut finem istum, saltem pro illo tempore quisquam assequi valeret; ut per se manifestum est: præterea si Ecclesia vera Christi aliquando redigi posset ad paucos tantum occultos fideles, sequeretur, quod tunc Ecclesia illa esset, & non esset vera Ecclesia, & revera, nam esset, quoniam subsisteret apud paucos

illos fideles, & jam etiam non esset vera Ecclesia, quia non esset Ecclesia omnium gentium, quam Christus Ecclesiam suam esse voluit, atque ita de illa jure affirmari posset *fuit & jam non est .... impletæ sunt Scripturæ, crediderunt omnes gentes, sed apostatavit, & periit Ecclesia de omnibus gentibus* quemadmodum apud S. P. Augustinum in Psal. 101. introducuntur loqui *voce abominabili, & detestabili præsumptionis, & falsitatis plena* illi, qui ab Ecclesia exiverunt: quos etiam S. Doctor ibidem corripit dicens *existunt qui dicunt, illa Ecclesia, quæ fuit omnium gentium jam non est; periit: hoc dicunt, qui in illa non sunt. O impudentem vocem? illa non est, quia tu in ea non es? Vide ne tu ideo non sis, nam illa erit, & si tu non sis*. Ergo Vera Ecclesia Christi non potest unquam redigi ad paucos tantum occultos fideles.

Solvuntur apposita argumenta.

Opp. Ecclesia aliquando *obscuratur, & tanquam obnubilatur multitudine scandalorum* ergo potest redigi ad statum occultum, & ad paucos tantum fideles, & revera, nam non concipitur vigere, nisi apud paucos, & occultos fideles *primo* quidem tempore persecutionum. *Secundo* apud hæreticos, & barbaras nationes, apud quas fidelibus nullum permittitur publicum suæ religionis exercitium: ac tandem etiam tempore schismatum, quæ Ecclesiam sæpe diutius divexarunt, & in quo sæpe non constabat aperte ex qua parte salva consisteret vera Ecclesia Christi.

Respond. ad primum *dist.* Ecclesia obscuratur & obnubilatur aliquando multitudine scandalorum ex aliqua parte *conc.* ex toto, ita ut fiat occulta *nego*.

Quod in Ecclesia Christi subinde oriri debeant nubes errorum & tenebræ vitiorum, quibus scandalizandi sunt multi, docet nos scriptura ipsa pluribus in locis sic Math. cap. 24. v. 9. & seq. Christus prædicit discipulis suis dicens *eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum, & tunc scandalizabuntur multi, & invicem tradent, & odio habebunt invicem: & multi Pseudoprophetæ surgent, & seducent multos* sic etiam Paulus in 2. ad Timoth. cap. 4. v. 3. inquit *erit enim tempus, cum sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur*: & Petrus in 2. Epist. cap. 3. v. 3. prædicit *venient in novissimis diebus in deceptione illusores juxta proprias concupiscentias ambulantes*: verum prædictiones hujusmodi nihil aliud ostendunt, nisi quod Ecclesia Ecclypses subinde passura sit, non tamen totales, ita ut redigenda sit ad statum occultum, quemadmodum contendunt hæretici; neque contrarium probant verba S. P. Augustini Epist. 93. ad Vincentium cap. 9. num. 30. dicentis: *ipsa est* (Ecclesia, nimirum) *quæ aliquando obscuratur, & tanquam obnubilatur multitudine scandalorum*: nam etiam Sanctus iste Doctor loquitur hic de obscuratione partiali, non autem de totali; siquidem ibidem immediate subjungit dicens, *quando peccatores intendunt arcum, ut sagittent in obscuro rectos corde: sed etiam tunc in suis firmissimis eminet*: profecto enim, si Ecclesia etiam tunc, quando obscuratur, & obnubilatur in suis firmissimis eminet, necesse est, ut sit visibilis, neque fieri potest, ut tota in obscuro delitescat, & apud paucos tantum fideles occultos veluti in nubibus existere pergat.

Ad alterum *nego ans.* Quoniam etiam tempore per-

secutionum quarumlibet Ecclesia Christi, sicuti huc-usque nunquam ex toto deperijt, ita etiam in futurum deperire, & occulta fieri non potest, propter expressam Christi promissionem, ex qua certi sumus, quod portæ inferi adversus illam prævalere non possunt, Math. cap. 16. v. 18.

Quod autem visibilis Ecclesia Christi etiam in crudissimis persecutionibus nunquam usque modo ad statum occultum vere redacta fuerit, & visibilis semper esse permanserit, nulla plane ratione inficiari potest: nam primo si loquamur de persecutionibus quibus primitiva Ecclesia sub ethnicis Imperatoribus usque ad Constantinum magnum afflicta fuit, tantum abest, quod tunc ad paucos fideles occultos redacta sit, quin potius e contrario magis semper creverit, & occasione istarum persecutionum majorem splendorem per orbem totum assecuta fuerit ita ut Tertullianus in suo Apologetico jure affirmare potuerit, quod *sanguis Martyrum* esset *semen Christianorum*, deinde si loquamur de persecutionibus, quæ post prima tria sæcula Ecclesiæ nunc in una, nunc in altera orbis terræ parte subinde recruduerunt, sicut inter alias est illa, quam in Anglia suscitavit anno 1583. Henricus VIII. & in qua, ut narrat noster Laurentius Berti in Breviar. histor. ad annum prædictum *omnes londinenses carceres pleni erant catholicæ fidei confessoribus*: si inquam de istis persecutionibus loquamur, evidens est illas semper fuisse tantum partiales, & ad certam duntaxat aliquam provinciam limitatas, neque unquam efficere potuerunt, ut publicum Religionis exercitium omnino periverit, sicut patet ex prædicta anglicana persecutione, in qua licet ad præsens usque tempus Ecclesia illa oppressa maneat, nihilominus ipsa nunquam evasit occulta, siquidem per omnes ferme civitates & opida numerosissimi inveniuntur, qui Religionem

catholicam palam profiteri non cessant: adeoque licet negari non possit, quod in postremis modo memoratis persecutionibus Ecclesia Christi pristinum subinde alicubi amiserit splendorem, absolute tamen nullibi saltem occasione illarum evasit omnino invisibilis, & ad paucos tantum redacta occultos fideles.

Ad probat. quæ sequitur *dist.* apud hæreticas & barbaras nationes nullum subinde permittitur publicum religionis exercitium, & hoc fit, atque fieri potest per accidens, & relate ad particularem aliquam Ecclesiam *conc.* secus *nego*. Si quandoque vel inter hæreticos, propter inhumanam illorum legislationem, vel apud barbaras nationes, propter incivilem & agrestem illarum usum vivendi, idest propter extrinsecas & accidentales diversarum nationum circumstantias & habitudines, fideles inter illas dispersi, omni Sacramentorum usu, & externo atque publico religionis exercitio privati existunt, hoc profecto non fit, nisi per accidens, Deo sic permittente, & respective ad Ecclesiam aliquam particularem, ac proinde non reddit invisibilem, & occultam per orbem dispersam Ecclesiam, sed minuit tantum illius splendorem relate ad illam partem, quæ angustijs istis, vel apud hæreticos, vel apud barbaras nationes laborat, atque opprimitur.

Si autem quæratur utrum fideles isti ad veram Christi Ecclesiam pertineant? respondendum est affirmative: nam licet cum illa, nullo alio signo sensibili cum reliqua Ecclesia conjuncti sint, præterquam baptismate, attamen posteaquam per lavacrum regenerationis in Ecclesiam semel adoptati fuerunt, nisi per hæresim, vel per schisma, vel per voluntariam apostasiam a fide, sua sponte seipsos ab illa separent, retinent semper cum baptismo fidei, etiam effectum Sacramenti, atque ita habent jus proprium & inhæ-

rens etiam ad alia omnia Sacramenta, & sunt semper vera membra, non occultæ, sed visibilis Ecclesiæ Christi.

Ad postremum *nego* totum argumentum: nimirum falsum plane est, quod tempore schismatis pereat, & occulta fiat Ecclesia, quanquam negari non possit, quod splendor illius aliquo modo minuatur: nam generatim, licet schisma, quando non curatur, ordinarie semper quoque abeat in hæresim, ipsum tamen per se non tollit fidem, sed scindit tantum, atque dividit Ecclesiam Christi: ex quo fit, quod eandem non evertat ex illa parte, qua visibilis est, sed tantum ex illa, secundum quam est una: ac propterea evadit tantum minus extensa, & minus diffusa, non autem invisibilis, & occulta.

Ut autem hæc probe intelligantur, congruum videtur hic uberius exponere, quæ usque modo, de schismaticis & schismate generatim tantum attigimus: itaque schisma aliud est occultum, & sine pertinacia; aliud vero manifestum, & cum pertinacia conjunctum: si loquamur de schismate occulto, quod ordinarie conflatur, quando in sinu Ecclesiæ foventur contentiones, vel circa disciplinam, & observantiam præceptorum a legitimis Pastoribus præscriptam, vel circa legitimam summi Pontificis electionem, sicuti contigit in celebri schismate Avvenionensi (4) quod plus-

(4) Celeberrimi hujus in Ecclesia Dei schismatis historia est sequens: nimirum postquam Gregorius XI. Avenione sedem suam Pontificiam Romam reduxisset, hortante præprimis S. Catharina Senensi anno 1377. eo defuncto Cardinales suffecerunt eidem Urbanum VI. anno 1378. die 9. Aprilis: verum cum ejus severitatem, ut scribunt historici illorum temporum, ferre non possent, recesserunt ex eis numero XVI. Fundos in Campania, ibique palam contestati sunt electionem Urbani irritam esse, & factam vi a Romanis sibi illata, ac pro-

quam triginta annos Ecclesiam dilaceravit: si inquam de hujusmodi schismate loquamur, evidens est, quod eo durante Ecclesia visibilis esse perseverat: nam generatim schismatici occulti sunt semper intra, non autem extra Ecclesiam: & quia etiam tunc ex omni parte, idest etiam ex illa, quæ vel præcepta legitimorum Pontificum spernit; vel etiam minus certum sequitur Pontificem, quam etiam, ex altera, quæ sese intra cancellos continet debitæ obedientiæ, prædicatur continuo publice evangelium, ministrantur Sacra-

pterea etiam novum elegerunt Pontificem eodem anno die 19. Septembris, qui Clemens VII. nominari voluit, & qui in Galliam secedens, Avenione denuo sedem Pontificiam collocavit: huic autem Pontifici adhærebant Gallia tota, & magna pars Hispaniæ, atque insuper Sicilia; cæteræ autem catholicæ nationes fere omnes agnoscebant Urbanum, tanquam illum, pro quo stare videbantur majora momenta legitimæ electionis, quidquid contra causarentur Cardinales illi, qui Fundis Clementem VII. designarunt Pontificem: Porro Urbano defuncto in ejus locum fuit Romæ a Cardinalibus electus Bonifacius IX. anno 1389. die 2. Novembris, & defuncto postea Avenione etiam Clemente, Cardinales hujus obedientiæ substituerunt illi anno 1394. die 28. Septembris Petrum de Luna, sive Benedictum XIII. qui pertinacissimus in schismate permansit usque ad mortem, quæ contigit 1. Junij anno 1424. præterea post obitum Bonifacij IX. fuit iterum Romæ electus Innocentius VII. anno 1404. cui defuncto successit anno 1406 die 30. Novembris Gregorius XII. qui juramento promisit se Pontificatum abdicaturum fore, si necessarium fuisset ad schisma abolendum, & cum idipsum postea promisisset etiam Benedictus XIII. propositum fuit a Cardinalibus utriusque partis ineundum inter utrumque Pontificem amicabile colloquium ad fines Etruriæ in Lucensium territorio, sed cum uterque iste Pontifex tergiversaretur, & Sacramentum datum sprevisset, tum demum Cardinales isti longiori hoc schismate pertæsi, ad ipsum efficaciter reprimendum, rati sunt unicum superesse remedium, convocationem scilicet Concilij generalis, quod

menta, & reliqua peraguntur exercitia religionis, quæ Ecclesiam visibilem reddunt, fit consequens, quod eousque, quo in sinu Ecclesiæ, sine manifesta & pertinaci partium dissidentium discessione a seinvicem, perdurat hujusmodi schisma, non obstante dissensione animorum, Ecclesia ipsa non fiat occulta.

Si autem loquamur de schismate aperto, & manifesto, scilicet, quando pars Ecclesiæ discessione facta cum pertinacia erigit altare contra altare, ut scholæ loquuntur, subtrahendo sese a debita obedientia

proinde etiam de facto convocarunt, renuente licet utroque Pontifice, Pisis in Etruria celebrandum anno 1409. ad quod convenerunt præter Cardinales XXII. utriusque Pontificis, Patriarchæ ritus latini IV. Archiepiscopi XII. & Procuratores absentium XIV. Episcopi autem LXXX. & Procuratores absentium CC. item Abbates plusquam CC. & Generales Ordinum regularium IV. præter magnum numerum Oratorum Principum Christianorum: in hoc porro Concilio declaratum fuit auctoritate Pontificia carere utrumque Pontificem, Gregorium scilicet, & Benedictum, atque in eorum locum electus & substitutus fuit Alexander V. cum autem nec Gregorius, nec Benedictus decreto Concilij paruisset, & uterque Pontificiam dignitatem sibi vindicaret, secessit ille in Germaniam, Benedictus autem in Galliam; ex quo factum est, ut tunc in sede Petri eodem tempore tres viderentur sedere Pontifices, atque ita schisma ipsum non solum non fuerit extinctum, sed auctum potius; quod etiam postea continuatum fuit: nam mortuo Alexandro V. fuit eidem suffectus Joannes XXIII. die 3. Maji anno 1410. & cum rebus sic stantibus etiam Pontifex iste sincere cuperet diuturno schismati finem imponere, neque aliud præsto videretur opportunum, & efficax remedium, quam celebratio Concilij generalis, cœpit is demum curam suam in istud serio intendere, ut manus suas ad salutare istud, & unicum remedium apprehendendum efficaciter apponeret, atque ita agentibus etiam Sigismundo Imperatore, & cæteris Principibus catholicis, indixit tandem ipse Constantiam generale Concilium ad annum 1415. quod etiam ibidem revera

præstanda legitimis pastoribus, sicut factum est in schismate græcorum sub Photio, & in anglicano sub Henrico VIII., quod utrumque usque modo vigere lugemus, tunc pars illa, quæ talem divisionem pertinaciter fovet, fit hoc ipso extra Ecclesiam: neque tamen inde inferri potest, quod Ecclesia universa tali schismate inquinari valeat, atque ita ad statum occultum redigi: nam ut istud fieret, necesse est, non tantum ut pars aliqua, sed ut tota Ecclesia visibilis seipsam adversus seipsam discinderet, quod est impossibile, & promissioni Christi Domini Math. cap. 28. v. 20. dicentis *& ecce ego vobiscum sum usque ad consumma-*

celebrari incæpit præsidente ad primam sessionem eodem summo Pontifice Joanne XXIII., sed cum is postea ab eo se subtraxisset, ne cogeretur Pontificatui renuntiare, sicut se facturum spoponderat, si ad extinguendum schisma necessarium esse crederetur, factum est, ut Concilium eo processerit, ut seipsum Oecumenicum esse, & a Christo ipso immediatam auctoritatem habere, cui quilibet etiam Papali dignitate præditus obedire teneretur, sess. 4. solemniter declaraverit: tum vero vi hujus auctoritatis deposuit primo Joannem XXIII. & deinde sess. 14. admisit, & acceptavit spontaneam cessionem Gregorij XII. per Procuratorem sibi oblatam: & sess. 37. protulit definitivam depositionis sententiam etiam contra Benedictum XIII. postremo vero sess. 40. decrevit, ut non obstante, quod absentes essent a Concilio Cardinales, qui stabant ex parte Benedicti XIII. procederetur ad electionem summi Pontificis, sicuti factum est sess. 41. in qua a 30. Cardinalibus & 30. alijs electoribus, qui hac vice extra ordinem ad eligendum Pontificem admissi fuerunt, renuntiatus fuit summus Pontifex Martinus V. cui postea etiam debitam obedientiam dimissis & sponte abdicatis Pontificalibus insignijs exhibuit Clemens VIII. quem anno 1424. factio schismatica, quæ Benedicto XIII. adhærebat, eidem Pseudopontifici vita functo, substituere curaverat: atque ita factum est, ut diuturnum hoc schisma cujus prima semina anno 1378. sub Clemente VII. jacta fuerunt, tandem anno 1424. ex toto evanuerit.

tionem sæculi, directe contrarium, & repugnans: jure propterea ajebat S. Cyprianus in Epist. 6. ad Magnum *foris non est Ecclesia, nec scindi adversum se, aut dividi potest: sed inseparabilis, atque individuæ domus unitatem tenet.*

Atque hic breviter notandum est, quod tempore schismatis, ut aliquis non desistat esse legitimum, & vivum Ecclesiæ membrum, quousque schisma ipsum occultum manet, & immunem se servet ab omni participatione illius, necesse est primo, ut servato quantum ex se est, mutuo pacis & charitatis vinculo cum dissidentibus, in omnibus illa sequatur, & firmiter teneat, quæ ab universali Ecclesia ad credendum & agendum proposita sunt: deinde vero si schisma conflatum fuerit inter diversos Pontifices, tunc ille sequendus erit, pro quo habentur majora motiva legitimæ electionis: si vero vel nulla plane ratione appareant hujusmodi motiva, vel interim durante schismate, ille pro quo stant hujusmodi motiva, e vivis abscesserit, tunc salva semper fide Ecclesiæ universalis, unusquisque paratus esse debet illum postea sequi Pontificem, quem Ecclesia ipsa, vel tanquam legitime electum pacifice agnoverit, vel pacifice & libere postea elegerit.

Dictum est *quousque schisma ipsum occultum manet*: nam quando prodit in apertum, & pars una pervicaciter scindit se ab altera, tunc tam fautores illius, quam reliqui eidem quomodolibet adhærentes, vel alijs consilium dantes, reddunt seipsos, vel ex toto vel ex parte, schismati illi obnoxios.

Opp. 2. In Apocalypsi cap. 12. v. 6. legimus *Mulier fugit in solitudinem, ubi habebat locum paratum a Deo, ut ibi pascant eam diebus mille ducentis sexaginta*: ubi per mulierem aliud intelligi non potest quam Ecclesia Christi: at vero fuga in solitudi-

nem naturaliter significat disparitionem de hoc mundo: ergo Ecclesia Christi potest revera fieri occulta & disparere de hoc mundo: prætcrea ab initio vera Christi Ecclesia concludebatur inter paucos tantum fideles: ergo nihil prohibet, quin etiam nunc ad illum statum redigatur.

Respond. ad primum *dist.* fuga in solitudinem Apocal. cap. 12. v. 6. significat disparitionem de hoc mundo, si sermo sit de solitudine incognita *conc.* secus *nego*. Quod in capite 12. Apocalypsis v. 6. per mulierem quæ fugit in solitudinem intelligi possit Christi Ecclesia, nulla plane est difficultas: verum nulla est etiam necessitas, neque ex sacra Scriptura probari potest, quod per fugam in solitudinem intelligi debeat locus incognitus: nam primo filij Israel post exitum de Ægypto fuerunt in solitudine per quadraginta annos, non fuerunt tamen in loco incognito, nec incogniti: deinde quod hoc loco per solitudinem intelligi non debeat locus aliquis incognitus materialis, patet ex eodem capite: nam vers. 17. legitur, *& iratus est draco in mulierem*, (Sane non invisibilem & incognitam) *& abijt facere prælium cum reliquis de semine ejus, qui custodiunt mandata Dei, & habent testimonium Jesu Christi*. Profecto autem, isti, de quibus hic dicitur, quod servent mandata Dei, & habeant testimonium Jesu Christi, erunt visibiles, & noti, alioquin enim quomodo in illa persecutione secutura in fine mundi, de qua hoc in loco fit sermo, draco posset facere cum illis prælium? igitur nihil impedit, quin eo in loco per fugam in solitudinem intelligamus, non locum aliquem occultum, sed potius vel secessum a vitijs, sicut accipitur Oseæ cap. 2. v. 14. ubi legimus *ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor ejus*, & in psal. 54. v. 5. *ecce elongavi fugiens & mansi in solitudine* vel etiam per respectum ad

Christi nativitatem cum S. P. Augustino enarrat. in psal. 142. num. 3. ubi monet dicens *Dominum & Salvatorem nostrum Jesum Christum caput esse corporis sui, illum unum mediatorem esse Dei & hominum, hominem Jesum natum ex Virgine tanquam in solitudine sicut in Apocalypsi audivimus: per solitudinem quippe arbitror, quod solus ita natus est: hunc enim mulier illa peperit recturum populum in virga ferrea.*

Ad alterum *dist.* Ab initio Ecclesia Christi concludebatur inter paucos fideles manifestos *conc.* occultos *nego*. Licet Ecclesia Christi ab initio non fuerit eminenter visibilis, hoc nimirum sensu, quod jam tunc esset gentibus omnibus manifesta, atque conspicua, idest in sensu stricto: fuit tamen visibilis & manifesta in sensu largiori; nam etiam tunc prædicabatur & annuntiabatur gentibus fides Christi, non in occulto, sed in publico, & coram omnibus; administrabantur Sacramenta, & patrabantur ubivis patentissima miracula: quæ satis sunt ad ostendendum; quod pauci illi fideles, qui ab initio formabant veram Christi Ecclesiam, non detinebantur in latebris, ita ut essent occulti: sed dato etiam, quod pauci illi fideles revera & absolute occulti fuerint, inde tamen nihil plane sequitur adversus perpetuam visibilitatem Ecclesiæ Christi: nam loquimur hic, non de Ecclesia nascente, sed de jam formata, & Apostolorum prædicatione ad orbem universum jam propagata; neque de illa, sed de ista tantum intelligi debet Propositio, qua sustinemus, quod Ecclesia Christi non possit redigi ad statum occultum.

Propositio IV. Visibilis Ecclesia Christi est infallibilis in rebus fidei & morum, tam passive seu in *credendo*, quam active seu in *docendo*.

Probat. Visibilis Ecclesia Christi est indefectibilis,

ut usquemodo probatum fuit: ergo est passive infallibilis: quod autem sit infallibis etiam active, clarissimum est: nam primo Math. cap. 16. v. 18. ait Christus ad Petrum *tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: profecto enim, quod hic sermo fiat de Ecclesia visibili, evidens est, tum ex verbis *super hanc petram*, quæ sub quavis intelligentia aliquid sensibile significant, ut notatum fuit in probatione ad primam Propositionem: tum etiam ex verbo *ædificabo*, quod ad Ecclesiam invisibilem, seu prædestinatorum, quæ ab æterno ædificata est, referri nullatenus potest: atqui juxta præfata verba Ecclesia ista sic ædificata super petram non potest errare, dum cum Petro profitetur *tu es Christus filius Dei vivi* ibid. v. 16. idest in *docendo*: nam si posset errare, possent quoque adversus illam prævalere portæ inferorum, ut per se patet: ergo visibilis Ecclesia Christi errare non potest active, sive est infallibilis in rebus fidei & morum etiam in docendo; deinde in 1. ad Timoth. cap. 3. v. 15. inquit Apostolus *ut scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis*; ubi pariter non de invisibili Ecclesia, sed de visibili sermonem fieri manifestum est ex verbis *ut scias quomodo oporteat te conversari*, quæ in sensu obvio modum significant conversationis, quem Timotheus tenere debebat in domo Dei: neque dubitari potest, quin Domus ista Dei, idest Ecclesia Dei vivi visibilis dicatur *columna & firmamentum veritatis* absolute, & universim, id est extensive ad omnem veritatem, quæ domo Dei competere potest sine ulla limitatione ad veritates aliquas in particulari: porro autem quæ de Ecclesia Dei absolute dicuntur ea competunt illi semper, & in omni casu: præterea quia Ecclesia visibilis non

generat, neque creat articulos fidei, sed declarat tantum, & proponit eos auctoritative ad credendum, ut vidimus Sect. I. cap. 2. Proposit. 4. consequitur necessario quod Ecclesia ista visibilis sit *columna & firmamentum veritatis* non solum hoc sensu, quia Deus perpetuo & firmiter in illa veritates omnes revelatas intacte conservat, & custodit, sed etiam quia easdem sine omni permixtione errorum constanter, & imperturbate fidelibus explicat, atque exponit: idest non solum quatenus est infallibilis in se, & ab intrinseco, *seu in credendo*; sed etiam quatenus errare non potest relative ad nos, seu active, & in *docendo*: præterea Math. cap. 18. v. 19. Christus præcipit Apostolis suis dicens, *euntes docete omnes gentes* & vers. 20. subjungit *& ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi* & Joan. cap. 14. v. 16. ait ad illos *ego rogabo Patrem & alium Praclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum Spiritum veritatis*. Sane autem Apostoli, qui jubentur docere omnes gentes, erant visibiles, sicuti etiam visibiles erant gentes, quas docere debebant, neque fieri potest, ut in hoc munere implendo sint erroribus obnoxij illi, cum quibus Christus ipse se futurum promittit, & cum quibus manet Spiritus veritatis: jam vero si Christus manet cum Apostolis docentibus gentes usque ad consumationem sæculi, si Spiritus veritatis, datus est illis, ut maneret cum ipsis in æternum, necesse est ut tam Christus, quam Spiritus iste veritatis maneat etiam cum successoribus Apostolorum, idest cum Ecclesia visibili, quæ post Apostolos gentes semper docere debebat; siquidem Apostoli ipsi non erant semper victuri, & in illorum locum alij semper, atque alij succedere debebant: ergo fieri non potest, ut Ecclesia ista visibilis aliquando fiat erroribus obnoxia: huc

accedit quod idem Dominus noster ait Lucæ cap. 10. v. 16. *qui vos audit me audit, & qui vos spernit, me spernit*, & Math. cap. 18. v. 17. *si Ecclesiam non audiverit sit tibi sicut ethnicus & publicanus* quibus aperte denuntiat, non solum suam cum Ecclesia perpetuam præsentiam, hoc ipso, quod seipsum audiri & sperni reputat, dum audiuntur & spernuntur ejus Apostoli, sed etiam positivum præceptum, ut fideles Ecclesiam docentem quovis tempore audire debeant, ex quibus ita concludi potest: si Ecclesia visibilis proponens aliquid ad credendum posset errare, fieri posset, ut fideles simul essent, & non essent fideles: cum enim juxta præceptum Christi teneantur audire Apostolos, sive Ecclesiam docentem, si Ecclesia ista proponeret fidelibus ad credendum aliquid erroneum, profecto tunc essent fideles quia obedirent Christo præcipienti, in eo quod doctrinam erroneam ab Ecclesia propositam ad credendum fideliter amplecterentur, & simul quoque non essent fideles, quia sequerentur doctrinam erroneam, & a vera Christi doctrina alienam, ergo essent & non essent fideles, quod est repugnans, & contradictorium: tandem in omni societate bene instituta debet semper præsto esse, & existere legitima auctoritas supremo & irrefragabili judicio proponendi & declarandi ea, quæ ad societatem ipsam proxime & essentialiter pertinent: nam nisi adesset talis auctoritas, jam nullus suppeteret modus, nulla ratio, qua societas ipsa salva & incolumis servari posset, ut per se manifestum est: atqui Ecclesia Christi visibilis, est societas bene instituta; siquidem est immediatum opus Dei ipsius, a quo omnis ordo & perfectio rerum suum habet principium: igitur etiam in Ecclesia Christi visibili debet semper adesse, & existere legitima auctoritas proponendi, & declarandi supremo & irre-

fragabili judicio omnia illa, quæ ad fidem, & mores pertinent, tanquam illa sine quibus societas ista salva, & incolumis subsistere nullatenus potest: adeoque visibilis Ecclesia Christi est infallibilis in rebus fidei & morum tam *passive* & in *credendo*, quam etiam *active*, & in *docendo*.

Solvuntur opposita argumenta.

Opp. Vetus Ecclesia visibilis erravit in fide, maxime eo tempore, quo judicavit Christum esse reum mortis: ergo errare potest etiam Ecclesia nova: deinde Ecclesia docens consurgit ex Episcopis, atqui Episcopi omnes possunt errare, sunt enim homines erroribus obnoxii: præterea non raro sunt pravis moribus præditi, proinde non habent assistentem Spiritum Sanctum a quo in suis judiciis dirigantur, ne errent, siquidem iste *non habitat in corpore subdito peccatis* Sapient. cap. 1. v. 4. tandem ut plurimum sunt etiam valde imperiti: ergo nihil facilius, ut errent; adeoque Ecclesia visibilis potest errare in docendo.

Respond. ad primum *dist.* Vetus Ecclesia visibilis erravit in fide; dum judicavit Christum esse reum mortis, scilicet erraverunt plura ejus membra *conc.* erravit Ecclesia tota *nego*. Principio ut dictum est Propp. II. Opp. I. in Resp. ad primum, nullibi de veteri Ecclesia affirmatum fuit, *& portæ inferi non prævalebunt adversus eam* sicuti affirmatur de nova Math. cap. 16. proinde nullatenus recte sequitur, vetus Ecclesia visibilis in Judæa conclusa, & quæ nec promissionem Spiritus Sancti unquam habuit, neque tanquam columna, & firmamentum veritatis supra petram fundata fuit, erravit, & errare potuit, ergo errare potest etiam visibilis Ecclesia Christi singulari

Spiritus Sancti promissione, & assistentia ita firmiter stabilita super petram, ut adversus illam portæ inferorum prævalere non valeant: deinde falsum est etiam quod tota vetus Ecclesia visibilis in morte Christi erraverit: nam aliud est errare ipsam Ecclesiam, aliud vero errare plura illius membra: & revera, atque de facto absolute loquendo, non erat Ecclesia vetus, quæ erravit, sed tantum complura illius membra, de quibus cum essent in Ecclesia, dici debet, quod in Ecclesia contra Ecclesiam erraverunt, quando judicaverunt Christum esse reum mortis in eo, quia negaverunt fidem Prophetarum de futuro Messia, quam tenebat Synagoga, eo ferme pacto, quo hæretici, quousque pertinaciter ab Ecclesia non recedunt, dicuntur errare in Ecclesia, & cum recesserint, errant etiam contra Ecclesiam, quia tunc negant pertinaciter fidem Ecclesiæ; & hoc sensu, nimirum relative ad plura membra, errare utique potest etiam visibilis Ecclesia Christi, quin tamen inde sequatur, quod tota in docendo active simul errare possit.

Ad alterum *dist.* Episcopi omnes seorsim sumpti, & sine illorum capite possunt errare *conc.* simul, & conjuncti cum eorum capite Romano Pontifice *nego*. Utique Ecclesia docens consurgit ex Episcopis, & Episcopi omnes simul repræsentant Ecclesiam universam: si autem seorsim spectentur non repræsentant, nisi Ecclesias illas particulares, quarum sunt Episcopi, excepto Pontifice Romano, qui cum sit successor Divi Petri, & Primatum habeat, repræsentat solus, & per se universam Ecclesiam, & potest quoque sensu non malo Ecclesia appellari, ut dictum fuit supra cap. 1. Jam vero Christus promisit Infallibilitatem, sive ut ajunt, inerrantiam in docendo, non singulis Episcopis, vel Ecclesiis particularibus, sed Petro, & in Petro, qui ex S. P. Augustino

Tract. 124. in cap. 21. Joannis & alibi sæpe ratione sui Primatus *Ecclesiam Sanctam* figurabat, & significabat, Ecclesiæ universæ: ergo licet omnes Episcopi, & singulares Ecclesiæ seorsim acceptæ possint errare tam in docendo quam in credendo, attamen ne errent omnes simul, in causa est Divina promissio.

Ad tertium *dist.* Episcopi sunt sæpe pravis moribus præditi, & istud nocet personis illorum *conc.* Nocet Ecclesiæ *nego*. Nihil plane repugnat, quod Ecclesia sit active infallibilis, seu in docendo, & Episcopi atque Rectores Ecclesiæ, ad quos munus docendi pertinet, sint pravis moribus præditi: nam inerrantia competit Ecclesiæ, non propter sanctitatem suorum Pastorum, sed propter indefectibilitatem suam, propter quam durare debet esse visibilis usque ad mundi finem, ita ut portæ inferi adversus eam nullo unquam tempore prævalere valeant.

Deinde dum Sapientiæ cap. I. v. 4. dicitur quod Sapientia sive Spiritus Sanctus *non inhabitat in corpore subdito peccatis* istud intelligendum est de Spiritu Sancto inhabitante per gratiam sanctificantem, quæ exornat animam illius in quo inhabitat (Vide Sect. I. cap. 2. Not. 4.) at vero infallibilitas in docendo potest optime subsistere etiam in illis, in quibus Spiritus Sanctus hoc modo non inhabitat, siquidem pertinet ad gratias *gratis datas*, ut scholæ loquuntur, & confertur, non ad ornatum animæ, sed propter Ecclesiam ipsam, atque ad utilitatem fidelium, qui Ecclesiam constituunt: ac proinde nihil impedit, quin etiam inveniatur in illis, illisque inhæreat, qui pravis moribus præditi existunt.

Ad postremum *transeat ans.* Nam absolute loquendo, dum Ecclesia proponit auctoritative aliquid ad credendum, seu dum docet fideles de iis, quæ cre-

denda sunt tanquam de fide, infallibilitas ejus non dependet ex peritia, & doctrina suorum Præsulum, sed ab assistentia Spiritus Sancti, qui ex promissione Christi Joan. cap. 14. v. 25. docet Ecclesiam *omnem veritatem*: ex quo etiam istud consequitur, quod necesse non est, ut fideles curiose solliciti sint, aut inquirant, an Rectores, & Præpositi Ecclesiæ sint, vel fuerint sufficienter instructi, & media adhibeant, vel adhibuerint ad rectum judicium efformandum sufficientia, & necessaria, quando sermo est de decretis fidei, & morum ab auctoritate Ecclesiæ, vel pronuntiandis, vel jam pronuntiatis, sed satis est, ut se simpliciter, & ex toto committant divinis promissionibus: nam Christus, qui visibilem Ecclesiam suam indefectibilem voluit esse, non deest unquam, neque deerit in futurum, quin sicuti Summorum Pastorum, ita etiam inferiorum suæ Ecclesiæ Rectorum mentem, & animum ita regat, ut omnes simul non errent, vel dogma aliquod proponant fidelibus credendum, quod cum revelata doctrina non congruit.

Propositio V. Visibilis Christi Ecclesia est active infallibilis non tantum in dogmate, sed etiam in factis dogmaticis definiendis.

Conclusio ista Thelogica majori animorum contentione pertractari cæpit in scholis post damnatas ab Innocentio X. die 31. Maii 1653. quinque famosas Jansenii propositiones (5) cum enim Alexander VII.

(5) Famosæ istæ propositiones, quæ hæresim Jansenianam proprie dictam in se continent, & quarum occasione infinitæ propemodum deinde in Ecclesia Christi suscitatæ fuerunt turbæ, sunt, quæ sequuntur. I. „ Aliqua Dei præcepta „ hominibus justis volentibus, „ & conantibus secundum præ„ sentes quas habent vires sunt „ impossibilia, deest quoque „ illis gratia, qua possibilia „ fiant.

Constitutione sua data 16. Octob. 1656. eosdem iterum proscripsisset *in sensu ab auctore intento*, sicut illas jam damnaverat Innocentius, & cum in eadem Constitutione addidisset etiam formularium juramenti, quod ab omnibus Ecclesiasticis præstandum jubebatur, fautores Jansenii, ut vim hujus Constitutionis eluderent, confugerunt ad distinctionem inter quæstiones juris, quæ dogma ipsum in se respiciunt, & inter quæstiones facti, quæ illud respiciunt contentum sub certa verborum forma, vel in libro aliquo, vel ab aliquo certo auctore prolatum, & affirmarunt propositiones illas in se inspectas utique hæreticas esse, & merito damnatas; utrum autem in sensu hæretico continerentur in libro Jansenii, quem inscripsit AUGUSTINUS, sicuti per formularium ab Alexandro VII. præscriptum jurejurando quisque jubebatur illas condemnare, de eo affirmabant nihil temere statuendum esse, sed propter honorem erga sedem Petri religiosum potius servandum esse silentium; ex quo factum est, ut tunc in proverbium veluti abiverit celebre istud effatum: *dogmatibus fides, factis autem reverentia*: his notatis, ut ad rem nostram progrediamur, facta universim alia sunt revelata; sicuti est v. g. Incarnatio Verbi; item mors, & resurrectio

II. „ Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

III. „ Ad merendum, & demerendum in statu naturæ „ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, „ sed sufficit libertas a coactione.

IV. „ Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium fidei, & in hoc erant „ hæretici quod tenerent eam „ gratiam talem esse cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

V. „ Semipelagianum est dicere Christum pro omnibus „ omnino hominibus mortuum „ esse aut sanguinem fudisse.

Christi a mortuis &c. & ista ex omnium consensione pertinent ad fidem: alia vero sunt pure historica, & personalia, quæ scilicet rei cujusdam vel personæ statum, habitudinem, vel alia adjuncta respiciunt: & ista sunt objectum scientiæ, & experientiæ, neque judicio Ecclesiæ subesse possunt, si de illis dubitatio aliqua oriatur, tandem alia sunt facta dogmatica, quæ scilicet cum dogmate aliquo conjuncta sunt, & quæ forte melius etiam mixta appellari possunt: sicuti sunt omnia illa, quæ doctrinam simul, & factum aliquod respiciunt, quatenus nimirum doctrina aliqua in libro aliquo continetur, vel etiam ab aliquo determinato auctore prolata, & enuntiata fuit (6).

(6) Ad facta dogmatica non immerito revocatur Canonizatio Sanctorum: siquidem circa illam duo quæri possunt; nimirum primum, an Sancti cum Christo regnantes in Cœlo coli debeant cultu religioso, quem *duliæ* vocant in Scholis? Alterum vero, an revera Sancti sint illi omnes, quos in Canonizatione Romanus Pontifex solemni decreto inter Sanctos adscribit? primum pertinet ad dogma, alterum vero ad factum; ac proinde cohærenter ad superiorem Conclusionem affirmari hic etiam debet, quod Romanus Pontifex in Canonizatione Sanctorum sit infallibilis: ubi tamen notandum est, quæstionem istam sine discrimine fidei in utramque partem versari posse, sicut expresse docet inter alios etiam Benedictus XIV. de Beatific., & Canonizat. Servor. Dei Tom. I. lib. I. cap. 45. ubi affirmat tam affirmativam, quam negativam opinionem in sua probabilitate esse relinguendam, donec sedis Apostolicæ judicium accedat, & ubi etiam momenta producit, quibus permotus ita sentiendum esse existimat dicens: *Quia scimus quidem de fide esse, quod Sancti sunt colendi, ut definitum est in Conciliis Generalibus Constantinopolitano I., Chalcedonensi, Niceno II., & Tridentino Sess. 25. . . . . scimus sententiam a Summo Pontifice in Canonizatione Sanctorum prolatam esse definitivam, ad universam Ecclesiam pertinere, & errori esse non posse obnoxiam ob spe-*

His notatis probatur Propositio : Joan. cap. 21. v. 16. & seq. ait ad Petrum Christus, & in Petro ad illius quoque successores *pasce agnos meos*, *pasce oves meas* : atqui boni pastoris munus est non solum se

cialem Spiritus Sancti afflatum ... attamen cum agatur de dogmate fidei statuendo Sedis Apostolicæ Matris, & Magistræ cæterarum Ecclesiarum, summique Pontificis judicium expectandum esse censemus, antequam hæresis nota inuratur oppositam sententiam sequentibus : eo magis cum tot viri docti, & Pontificiæ auctoritatis defensores Sanctorum quidem cultum inter fidei dogmata recensent, sed simul asserunt, de fide non esse hunc aut illum canonizatum esse Sanctum. Fatentur sane corde, & animo obtemperandum esse sententiæ Papæ definienti hunc aut illum esse Sanetum, sed una sustinent eandem definitionem non proxime, verum reductive tantum ad fidem spectare .... *itaque* (ut prosequitur ibidem laudatus Pontifex) *ut tantæ quæstioni finem denique imponamus, si non hærcticum, temerarium tamen, in Sanctos injuriosum, faventem hæreticis negantibus auctoritatem Ecclesiæ in Canonizatione Sanctorum, sapientem hæresim, assertorem erroneæ propositionis, & gravissimis pœnis obnoxium dicemus eum, qui auderet asserere Pontificem in hac vel illa Canonizatione errasse, hunc que aut illum Sanctum ab eo Canonizatum non esse cultu duliæ colendum, quemadmodum assentiuntur etiam illi, qui docent de fide non esse Papam esse infallibilem in Canonizatione Sanctorum, nec de fide esse, hunc aut illum Canonizatum esse Sanctum.* Profert deinde ibidem sapientissimus iste Pontifex Melchioris Cani sententiam desumptam ex lib. 5. cap. 5. scilicet *qui fidem in his* (Canonizationibus) *Ecclesiæ detrahunt, eos non hæreticos quidem, sed temerarios, impudentes, irreligiosos esse credimus* : & prætereа etiam Lamindi Pritannii (idest Antonii Ludovici Muratorii, qui isto nomine se texit) lib. I. de Ingenior. moderat. cap. 7. ubi inquit *a suspicione hæresis non abesse, qui rite cœlitum cathalogo adscriptos explodat, & in iis ut ajunt Canonizandis Ecclesiam reipsa, & Romanum Pontificem errasse dicat* atque ita demum concludit loco laudato præfasus Pontifex dicens *suspicionem hæresis memoravi non autem hæresim formalem.*

cernere herbas ab herbis, sed etiam prohibere gregem suum a pascuis illis, ubi herbæ noxiæ nascuntur, & venenosa occurrunt pascua: igitur etiam Summus Pontifex, & summus Ecclesiæ Pastor, & in eo Ecclesia ipsa debet prædita esse tali auctoritate, ut sine erroris periculo discernere possit, non solummodo dogma Catholicum, & hæreticum absolute, & in seipso inspectum, sed etiam respective ad librum, qui vel sanam: vel pravam doctrinam continet, atque ad personas, quæ rectam vel erroneam sententiam pronuntiant, aut scribunt; idest non solum quæstiones juris, sed etiam facta dogmatica: deinde ut patet ex probatione superiori, Christus promisit se semper adfuturum cum Apostolis, & simul etiam Spiritum Sanctum, a quo docendi erant omnem veritatem: atqui si Romanus Pontifex, & in ipso Ecclesia Christi non esset infallibilis etiam in definiendis factis dogmaticis nullatenus jam intelligi posset, quomodo Christus maneat cum Discipulis, & Apostolis suis, & quomodo isti doceantur omnem veritatem a Spiritu Sancto; nam si in definiendis factis istis Ecclesia, vel Summus Pontifex potest errare, profecto non habet amplius Christum, qui est *via veritas*, *& vita* Joan. 14. v. 6. neque Spiritum Sanctum a quo *transformamur a claritate in claritatem* in 2. ad Corinth. cap. 3. v. 18. præterea si in factis istis Ecclesia, vel Summus Pontifex errare possunt jam sequitur quod Episcopi omnes non solum separatim & in privatis judiciis, sed etiam simul, & in judiciis solemnibus nomine Ecclesiæ factis, atque ita etiam Romanus Pontifex ex Cathedra loquens poterunt condemnare v. g. librum aliquem tanquam pravum, qui sanus est, & personam tanquam hæresim docentem, quæ recte sapit; atque e contrario commendare, & approbare librum alium

tanquam orthodoxum, qui hæreticus est, & personam tanquam Catholice sentientem, quæ manifestam profitetur hæresim: at vero nulla ratione fieri potest, ut vel Christus, vel Spiritus Veritatis maneat cum illis, qui veritatem pro errore, & errorem pro veritate docere possunt: tandem fatentibus adversariis Ecclesia judicat certo, & infallibiliter de vero sensu traditionis in libris Sanctorum Patrum contentæ, & ex consensu omnium Catholice sentientium de vero sensu in authenticis sacrorum librorum versionibus expresso: atqui judicium istud, quod hæc vel illa traditio habeatur in scriptis hujus vel illius determinati auctoris, quod hic vel ille sensus contineatur in ista vel illa scripturæ versione, est judicium circa facta dogmatica: ergo Ecclesia Christi visibilis est active infallibilis non solum in dogmate, sed etiam in factis dogmaticis definiendis.

Solvuntur opposita argumenta.

Opp. 1. Ecclesia non est infallibilis in factis personalibus, & historicis non revelatis, igitur neque in factis dogmaticis; nam etiam ista non sunt revelata: deinde intelligentia librorum pendet semper a regulis grammaticalibus: atqui in regulis grammaticalibus Ecclesia potest errare: ergo potest errare etiam in intelligentia librorum, ac propterea in discernendis factis dogmaticis universim.

Respondet. ad primum *nego coam*, *& paritatem* disparitas autem est duplex, nam primo facta personalia, & historica non revelata spectata in se ipsis non pertinent ad fidem neque proxime, neque remote: ac propterea nihil plane conferunt ad depositum fidei integre, & illibate conservandum: econtra vero facta dogmatica sunt semper aliquo modo connexa

cum doctrina fidei, vel proxime, vel remote, ideo enim vocantur dogmatica, quia semper cum dogmate aliquam relationem habent: quamobrem licet in se inspecta, & quatenus sunt facta videantur potius ad historiam, quam ad fidem pertinere, nihilominus considerata sub illo respectu sub quo cum dogmate aliquo conjuncta sunt, continent semper aliquid, quod ad integre servandum fidei depositum pertinet: ac proinde ratione hujus relationis quam cum dogmate habent pertinent ad infallibile Ecclesiæ judicium: deinde judicium de factis historicis, & personalibus nititur absolute, & exclusive in solo testimonio hominum, qui absolute falli, & fallere possunt: econtra vero judicium de factis dogmaticis licet sub ea ratione, qua facta sunt, pendeat aliquo modo ab hujusmodi relationibus, attamen relate ad doctrinam, quæ cum factis istis conjuncta est, puta alicujus libri, vel auctoris, dependet primario, & præcise non a relationibus hominum, sed a comparatione cum scriptura, & traditione, quam comparationem Ecclesia instituit per seipsam independenter ab omni humana auctoritate, & confisa, non in humana prudentia, sed in virtute Spiritus Sancti, quo assistente etiam fit, ut in tali comparatione errare non possit.

Ad probat. *dist.* etiam facta dogmatica non sunt revelata ratione sui, & quatenus facta sunt *conc.* ratione doctrinæ, cum qua semper conjuncta sunt *nego*. Ut intelligatur quomodo facta dogmatica, licet in seipsis inspecta, & quatenus ad historicam veritatem pertinent, neque formaliter neque virtualiter revelata fuerint, aliquo tamen modo ad revelatam doctrinam referri debeant, & propterea etiam ad integritatem fidei, ejusque depositum integre servandum revera pertineant, prænotandum est, quod circa facta hu-

jusmodi, idest circa doctrinam, vel in libro ab auctore aliquo conscripto, vel in propositione aliqua ab eodem prolata contentam, tria universim quæri possunt: nempe primo quæri potest quis sit illius libri, vel propositionis auctor? Secundo quis sit sensus quem mente gerebat, quando vel librum conscripsit: vel propositionem enuntiavit? ac tandem tertio, quis sit sensus obvius, & naturalis, qaem verba ipsa vel libri, vel propositionis illius præseferunt? primum, & alterum spectat ad puram historiam, neque subjacent judicio Ecclesiæ, quia neque ad fidem, neque ad integritatem fidei quidquam confert, quod liber aliquis ab uno vel altero auctore scriptus, aut propositio aliqua ab uno, vel altero prolata sit, sicuti etiam quod sanum, vel perversum sensum ipse in mente gesserit, dum librum scripsit, vel propositionem enuntiavit: non ita tamen discurrendum est de tertio; nam fieri non potest, ut sensus obvius, & naturalis, quem verba vel libri, vel propositionis referunt, non sit, vel conformis, vel difformis cum sana doctrina fidei in sacra scriptura, & traditione contenta: sic ut rem hanc declaremus exemplo: in ista propositione: *Quinque famosæ Jansenii propositiones sunt hæreticæ in sensu ab auctore intento*: imprimis duo enuntiantur, nempe primum, quod sint hæreticæ; & istud pertinet ad dogma in se inspectum: alterum vero quod sint hæreticæ in sensu ab auctore intento: & hoc constituit factum ipsum dogmaticum, circa quod secundum illa quæ modo dicta sunt tria quæri possunt; nempe primum quis sit auctor illarum propositionum? sive quod idem est, quis librum illum: *Augustinus seu doctrina Sancti Augustini de humanæ naturæ sanitate & ægritudine medicina adversus Pelagianos, & Massilienses*, ex quo propositiones illæ excerptæ fue-

runt, revera conscripserit, an scilicet Jansenius Yprensis Episcopus? sicut scriptores affirmant? an vero alius quispiam? alterum autem, quem sensum revera auctor istius operis in mente gesserit, dum librum illum conscripsit? ac tandem tertium an propositiones illæ in prædicto libro in sensu hæretico vere contentæ sint? porro autem prima, & secunda istarum quæstionum pertinet ad puram historiam, & nihil plane conferunt ad fidei doctrinam; non ita tamen tertia: nam ista ut per se patet, pertinet partim ad historiam; quatenus quæritur an propositiones illæ, vel in propria, vel in æquivalenti verborum forma vere il illo libro contineantur? pertinet vero ad doctrinam, quatenus in ea etiam quæritur, an prædictæ propositiones in illo libro contentæ hæreticum sensum habeant? jam vero ex prima quæstione consurgit purum factum, quod dijudicari debet ex sedula, & attenta lectione illius libri (7) ex

(7) Quod prima ex quinque illis famosis propositionibus jam supra Nota 5. relatis, in prædicto Jansenii libro, cui auctor titulum facere voluit, AUGUSTINUS, contenta sit in propria verborum forma, ita clarum est, ut vix inveniatur, qui istud denegare audeat: nam libro 3. de gratia Christi cap. 3. ostendens auctor non omnes habere gratiam ad adimplendum præcepta Dei necessariam, adducit hanc rationem, quia sunt quædam præcepta, *quæ* ut ipse inquit, *secundum statum et vires sunt impossibilia, nec semper adest gratia qua possumus*: & postea subjungit *hanc impotentiam esse etiam in fidelibus, et justis, etiam quando volunt præcepta facere*: & tandem concludit dicens *nihil esse in doctrina Augustini certius, quam esse præcepta quædam, quæ fidelibus quoque, et justis volentibus, et conantibus, secundum præsentes, quas habent vires sunt impossibilia, deesse quoque gratiam, qua possibilia fiant*. Et quamvis reliquæ quatuor non ita expressis verbis in illo repetibiles sint, continentut tamen æquivalenter: ut videri potest lib. 17. de Theologicis disciplinis apud nostrum Lau-

altera autem pervenitur ad doctrinam, quam propositiones illæ in illo libro sic, ut dictum est, contentæ exhibent, quæ dijudicari non potest, nisi ex conformitate, vel difformitate cum immotis nostræ fidei regulis, scriptura scilicet, & traditione: his autem ita positis, si duæ istæ postremæ quæstiones simul jungantur tunc pervenitur ad factum dogmaticum, & constituitur illa propositio nimirum = *quinque Jansenii propositiones sunt hæreticæ in sensu ab auctore intento* in qua duo affirmantur, unum scilicet: quod pertinet ad purum factum, nempe quod propositiones illæ in libro laudato vere contineantur, vel formaliter, vel æquivalenter, alterum vero, quod sic contentæ habeant sensum hæreticum.

His pærnotatis fatemur, quod neque propositio ista, neque aliud quodpiam factum dogmaticum in seipso inspectum pertineat ad doctrinam, vel formaliter, vel virtualiter revelatam, quin tamen inde sequatur, quod nullo prorsus modo ad revelatam doctrinam reduci debeat,

rentium Berti cap. 3. ubi singulæ hujusmodi propositiones seorsim ex libro illo deductæ clare exhibentur: ad intelligentiam autem gravissimæ hujus controversiæ notandum hic superest. quod dum praedictae propositiones damnatae dicuntur tanquam haereticae *in sensu ab auctore intento* istud accipi debet non de sensu privato, & interiori, quem auctor ipse in mente habuit, quando librum illum conscripsit, de quo, ut dictum est, Ecclesia non judicat, sed de sensu naturali, & obvio, quem propositiones ipsae praeseferunt, & exhibent in opere praedicto, unde excerptae fuerunt, & qui a Summis Pontificibus melius designari, & exprimi non poterat, quam nomine *sensus ab auctore intenti*. Quia communiter loquendo auctor aliquis praesumi semper debet non alium habere in mente sensum, nisi illum, qui verbis debite intellectis exhibetur: alias enim jam supponi posset, quod auctor aut malignus fuerit, quasi scribere voluisset contra id, quod mente gerebat, aut ignavus, quasi scilicet mentis suae sensum exprimere apte nesciverit.

ita ut concludi possit, facta illa perperam ab Ecclesia judicari: nam generatim ad Ecclesiam pertinet integrum fidei depositum: jam vero ad integrum fidei depositum pertinet non solum doctrina fidei in se inspecta, & quatenus vel formaliter, vel virtualiter revelata est, sed etiam ipsa conformitas cum eadem doctrina, ita ut quidquid ab Ecclesia ab hac doctrina difforme inventum fuerit, merito etiam tanquam doctrinæ fidei contrarium haberi debeat; ac proinde Ecclesia est infallibilis non solum in dogmate, sive in doctrina formaliter, vel virtualiter revelata, & quæ proprie doctrina fidei appellatur, sed etiam in factis dogmaticis, quatenus nempe doctrina quam involvunt cum doctrina fidei necessario, vel conformis est, vel difformis.

Si autem hic quæratur an facta ista ab Ecclesia sic definita ad fidem pertineant? respondebimus cum Benedicto XIV. superius jam Nota 6. laudato *de Servorum Dei Beatificatione* lib. 1. cap. 45. ubi sapientissimus iste Pontifex pertractans de singulari facto dogmatico, scilicet de Sanctorum Canonizatione ad consimilem huic de illo quæstionem respondet dicens *scimus sententiam a Summo Pontifice in Canonizatione Sanctorum* (idem dicatur de omni alio facto dogmatico in particulari) *probatam esse definitivam, ad universam Ecclesiam pertinere, & errori non posse esse obnoxiam, ob specialem Spiritus Sancti afflatum; attamen cum agatur de dogmate fidei statuendo, sedis Apostolicæ matris & Magistræ cæterarum Ecclesiarum summique Pontificis, ad quem privative pertinent fidei definitiones, judicium expectandum esse censemus antequam hæresis nota inuratur oppositam sententiam sequentibus*; ex quo sequitur illum, qui factum aliquod hujusmodi a Sede Apostolica definitum negare auderet, non futurum

quidem hæreticum formalem; temerarium tamen, in Ecclesiam injuriosum, faventem hæreticis, sapientem hæresim, & assertorem erroneæ sententiæ: quia nimirum facta ista universim sic definita, *non proxime, sed reductive tantum ad fidem spectare videntur*; sicuti in loco citato apud modo laudatum summum Pontificem affirmant, qui romanum Ponticem in facto dogmatico Canonizationis Sanctorum infallibilem esse statuunt.

Ad alterum *dist.* Intelligentia librorum grammaticalis pendet a regulis grammaticalibus *conc.* intelligentia theologica *nego maj.* & *dist. min.* Ecclesia potest errare in regulis grammaticalibus quantum ad regulas ipsas atque ad inde deducendum sensum grammaticalem *conc.* quantum ad eruendum exinde sensum theologicum *nego*. Nullum plane est dubium, quod Ecclesia in investigando sensu obvio, & naturali alicujus libri insistere debeat regulis grammaticalibus; & quia non habet promissam a Deo infallibilem Spiritus Sancti assistentiam, nisi relate ad ea, quæ pertinent ad fidem, & ad integre servandum fidei depositum, quod sibi ab Apostolis concreditum fuit, potest etiam cadere in grammaticales errores, idest potest minus aptam sententiam grammaticalem, ex libro aliquo elicere, potest committere v. g. barbarismos, sollæcismos &c. non potest tamen errare in deducendo exinde secundum regulas grammaticales sensu theologico, de quo egimus Sect. 1. cap. 5. nam in sensu isto ex libro aliquo deducendo, Ecclesia non judicat secundum regulas grammaticæ, sed secundum conformitatem vel difformitatem doctrinæ cum divina revelatione, quæ semper innotescit, non ex regulis grammaticalibus, sed ex comparatione cum immotis fidei nostræ principijs, scriptura scilicet & traditione.

Opp. 2. Ecclesia sæpius erravit in factis dogmaticis: & primo quidem, ut alia omittantur, erravit in Concilio VI. generali: nam in eo Patres Concilij damnaverunt Honorium I. tanquam hæreticum Monothelitam propter Epistolam, quam ad Sergium Episcopum Constantinopolitanum perscripsit, & quam theologi omnes ut Catholicam modo vindicant, atque defendunt: deinde videtur etiam errasse Concilium Nicænum I. in eo, quia in symbolum fidei inserere jussit vocabulum *Homousion*, quod ab Ecclesia in Concilio quodam Antiocheno celebrato contra Paulum Samosatensem tanquam erroneum jam ante damnatum & proscriptum fuerat; ergo Ecclesia non est infallibilis in factis dogmaticis definiendis.

Respond. ad primum *nego ans.* ad primam probat. *dist.* in Concilio VI. generali damnatus fuit Honorius I. tanquam hæreticus monothelita propter Epistolam ad Sergium, & in eo Concilio Patres errarunt errore facti simplicis & personalis *conc.* errarunt errore facti dogmatici *nego*. Imprimis diversa plane sunt circa factum Honorij I. theologorum judicia: nempe alij cum Baronio putant fraude monothelitarum acta VI. Synodi corrupta fuisse, & nomen Honorij studiose & violenter in numerum hæreticorum intrusum: alij cum Bellarmino lib. 4. de Rom. Pontif. cap. 11. affirmant Patres Concilij fuisse deceptos ex falsis rumoribus contra Honorium sparsis, & non intellectis Honorij epistolis ad Sergium perscriptis: alij post Joannem Garnerium in *diurno romanorum Pontificum* quem ipse vulgavit Parisijs anno 1680. existimant, quod Honorius a Patribus VI. Concilij generalis damnatus fuerit, & inter hæreticos relatus, non propter hæresim, quasi illam ipse docuisset, sed œconomiæ causa, idest quia nascentem tunc primum hæresim, & veluti in cunis adhuc jacentem pro mu-

nere suo non compressit, sed econtra potius silentio imposito circa unam vel duas voluntates, & circa unam vel duas operationes in Christo, eandem impune magis serpere, & excrescere permiserit: alij autem putant cum Bernardo Desirant in dissert. *Honorius Vindicatus* corruptam fuisse ab hæreticis Epistolam Sergij ad Honorium, atque ita ex corrupta Epistola ista Patres deceptos in intelligenda Epistola Honorij eundem damnasse respective ad falsificatam & corruptam Epistolam Sergij: alij tandem cum clarissimo Mamachj Tom. VI. *Originum & antiquitatum christianarum* (ut notat Rev. P. Philippus Anfossi S. Palatij Apostolici Magister in Vindic. Constit. Pij VI. quæ incipit *Auctorem fidei* Tom. 1. pag. 22. edit. rom. 1816.) existimant Patres Concilij in erroneo judicio deceptos fuisse non ex Sergij, sed ex Honorij ad Sergium falsificata Epistola.

In tanta autem Opinionum varietate, e quibus licet unaquævis suam probabilitatem habeat, quia tamen nulla est, quæ omnem dubietatem de medio tollat, existimamus controversiam istam aptius, & fortassis etiam verius expediri, si admissa imprimis genuinitate tam actorum Concilij, quam singulorum monumentorum, quæ in illo tanquam genuina, & authentica producta fuisse leguntur in actis, cum recentioribus quibusdam sustineamus, quod Patres VI. Concilij generalis Honorium damnaverint, quia decepti falsis monothelitarum rumoribus, putarunt, quod ipse Epistolam suam ad Sergium, quæ in illo tanquam genuina simul cum Epistola Sergij ad Honorium ex authenticis Archivijs Patriarchij Constantinopolitani eruta, Patrum examini subjecta fuit act. 12. & quæ hujus controversiæ caput est, & origo, verbis quidem catholicis perscripserit, sed mente & animo in hæresim propensis; & quidem non sine ma-

gno fundamento : nam constat primo quod statim post mortem Honorij , quæ contigit anno 638. idest annis 42. ante Concilium VI. cujus celebratio consignatur communiter ad annum 680. Monothelitæ , qui tunc jam plurimi inveniebantur in Oriente , inter quos Pirrhus in Sede Constantinopolitana Sergij successor , non in occulto , sed manifeste abusi sunt Epistola illius ad Sergium perscripta , eumque tanquam unum illorum , qui Monothelismum palam profitebantur , apud omnes traducere cæperunt : quemadmodum colligitur ex dialogo cum Pirrho S. Maximi Martyris , cujus fragmentum refert Severinus Binnius in Collect. Concilior. I. parte Tom. 3. pag. 151. edit. Coloniensis 1618. & in quo Sanctus iste intentus ad defendendum Honorium ab illa imputatione adversus Constantinopolitanos in communi invehitur , quod in interpretanda Honorij Epistola confugerent , non ad legitimos interpretes , qui illo tempore superstites erant , sed ad secretum cordis eorum dicens *quis Epistolæ illius fide dignus erit interpres , qui eam in persona Honorij composuit , & vivit adhuc inter alia sua bona . . . an Constantinopolitani de corde suo loquentes* ; ex quibus etiam istud colligitur , quod tempore Sancti Maximi persuasio ista præconcepta de hæresi Honorij jam ferme communis esset apud Constantinopolitanos .

Deinde nullatenus dubitari potest , quod persuasio ista non solum apud istos , sed etiam apud reliquos Orientales omnes magis semper increverit post mortem prædicti Sancti Martyris , quæ contigit anno 662. idest annis 18. ante celebrationem VI. Concilij generalis , quando scilicet nullus amplius supererat inter Orientales , qui Honorij defensionem adversus obtrectatores Constantinopolitanos palam susciperet , & propterea facillimum plane fuit , quod Orientales

Episcopi communi hac persuasione capti etiam occidentales, qui præsentes erant in illo Concilio, & præsertim legatos Pontificios in suum errorem pertraxerint, ut adeo etiam isti crederent, quod Honorius Epistolam illam, non catholico, sed hæretico animo scripserit, atque ita dignus esset, qui cum hæreticis istis anathemate damnaretur: ac proinde Concilium VI. erravit in facto simplici & personali non autem in facto dogmatico: nam judicavit de interno animi sensu, qui Ecclesiæ judicio neque subest, neque subesse potest.

Quod autem Patres hujus Concilij in damnatione Honorij magis revera respexerint ad præconceptam falsam persuasionem de animo illius hæretico, quando Epistolam suam ad Sergium perscripsit, quam ad Epistolam ipsam: videtur etiam non obscure colligi posse ex actis ipsis hujus Concilij: nam primo, si acta illa Concilij attente legantur, addubitari non potest, quod a Patribus lecta, & bene quoque intellecta fuerit Epistola Honorij ad Sergium, quæ latine una cum græca versione authentica prolata fuit, & producta ex regestis Patriarchij Constantinopolitani, & collata *per Joannem reverendissimum Episcopum civitatis Portuensis, qui unus extitit de Concilio antiquæ Romæ*: ut legitur act. 12. quod autem in illa nullam hæresim invenerint, videtur non incongrue probari ex eo, quia nulla ex Epistola illa excerpta & notata fuit psopositio tanquam hæretica, sicut actione 11. excerptæ fuerunt plures ex sermone Macarij & aliorum Monothelitarum: deinde evidens est, quod Epistola Honorij Papæ collata & examinata fuit, non absolute & in se inspecta, sed relative ad Epistolam Sergij, cujus illa erat responsoria: neque inficiari potest, quod Epistola Sergij ad Honorium prout jacet actione 12. sit mere consultatoria, non autem affir-

mativa, & licet doctrinam hæreticam prodat, atque manifestet, non definit tamen quidquam, nec pronuntiat tanquam de proprio, neque continet aperte omnem sensum hæreticum, quem explicite docuit in alijs suis scriptis, & præsertim in Epistola ad Cyrum Phasidis Episcopum: igitur dum actione 13. Patres ajunt *invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, & impia dogmata confirmavit*: manifeste ostendere videntur, quod in damnatione illa non respexerint præcise ad Honorij Epistolam, sed magis ad præconceptam de illo, & apud ipsos quadraginta duorum annorum lapsu jam inveteratam ex falsis rumoribus opinionem, quod Honorius Sergio consensisset, non solum in illis, quæ consultando ab ipso quæsiverat, sed *in omnibus*, & quod Epistolam illam scripserit animo & mente hæreticis.

Hinc porro intelligitur falli quam maxime fautores Jansenij dum ex facto isto de Honorio concludunt, quod summi Pontifices Innocentius X. & Alexander VII. in proscriptione propositionum Jansenij in sensu ab auctore intento æque decepti sint, sicut decepti fuerunt Patres sexti Concilij generalis in damnatione Honorij: nam primo in damnatione Honorij nullæ ex illius Epistola excerptæ, aut damnatæ fuerunt propositiones, sicut factum est ex libro Jansenij: imo neque damnata fuit ejus Epistola, sed tantum persona: deinde in damnatione Honorj fuit discussa & examinata illius Epistola, non absolute & in se, sed relative ad Epistolam Sergij: contra vero in discussione libri Jansenij, & propositionum, quæ exinde excerptæ fuerunt, nulla fuit examinata Epistola, cujus verus sensus tanquam relativus & literis alienis ad ipsum perscriptis cognosci debuisset: ac tandem in facto Jansenij Summi Pontifices nullo habito respectu ad

opinionem aliorum de mente Jansenij, sicut contigit in facto Honorij, discusserunt & contulerunt propositiones illas cum firmissimis fidei nostræ regulis, scriptura nimirum & traditione, & condemnaverunt illas absolute, quia in sensu obvio & naturali quem habent in libro Jausenij, repertæ fuerunt Scripturis sacris & traditioni contrariæ: ex quibus fit, quod in facto isto nullatenus errare potuerint (8).

(8) Falluntur hic etiam vehementer Hæretici Lutherani, & Calvinistæ, qui licet alias decreta Conciliorum generalium infallibilia esse minime fateantur, dum tamen sermo est de decreto VI. Concilij, quod habetur actione 13., in quo scilicet damnatis Sergio, Pirrho, Paulo, alijsque hæreticis Monothelitis, damnatur expresse etiam Honorius Papa his verbis: *cum his vero simul projici a Sancta Dei Ecclesia, simulque anathematizari prævidimus et Honorium, qui fuerat Papa antiquæ Romæ, eo quod invenimus per scripta, quæ ab eo facta sunt ad Sergium, quia in omnibus ejus mentem secutus est, et impia dogmata confirmavit:* accipiunt illud tanquam irreformabile judicium: neque minori fallacia laborant catholici illi, qui in hac parte hæreticis adhærentes, ex facto isto ostendere conantur Summum Pontificem, non solum ut privatum doctorem posse errare in fide, quod omnes fatemur, sed etiam ut Pontificem: idest etiam tunc, quando ex Cathedra loquitur ad universam Ecclesiam: nam primo certum est, Epistolam illam ad Sergium catholicam esse, neque reprehendi posse, nisi quia minus caute utrique parti contendentium de una vel duplici voluntate, & operatione in Christo silentium imperavit: secundo certum pariter est quod Epistola illa ad solum Sergium, non vero ad omnes fideles, seu ad totam Ecclesiam directa fuerit; neque falsum in ea dogma determinatum est: siquidem dum in illa unam tantum in Christo voluntatem commemorat dicens: *unam voluntatem fatemur Domini nostri Jesu Christi* istud accipi non debet de una voluntate, de qua disceptabant hæretici, & de qua Honorius silentium indixit in illa sua Epistola, sed de voluntate humana contraria ad voluntatem Spiritus, ut constat ex ijs, quæ ibi immediate sub-

Ad postremum *dist.* Concilium Nicænum I. retulit in Symbolum fidei vocabulum *Homousion*, quod ante in Concilio Antiocheno tanquam erroneum jam damnatum fuerat sub diverso tamen sensu *conc.* sub eodem sensu *nego*. Non est infrequens quod unum idemque vocabulum, imo vero una eademque propositio sub uno aliquo respectu sit catholica sub alio hæretica, & impia: sic illa Christi Salvatoris propositio Joan. cap. 14. v. 28. *Pater major me est*: profecto sanctissima est, & ex ore æternæ veritatis prolata, & nihilominus in ore Arianorum est etiam hæretica: igitur nullum est inconveniens neque Concilium Nicœnum I. ullo modo erravit, dum contra hæresim Arianam definivit filium esse Patri consubstantialem, atque ad definitionem istam magis roborandam approbavit, & in symbolum fidei retulit vocabulum *Homousion*, quo consubstantialitas illa apprime declaratur, & quod antea in Concilio Antiocheno celebrato circa annum 270. tanquam erroneum damnatum, & reprobatum fuerat: nam Concilium Nicœnum approbavit illud in sensu absoluto, idest quatenus *Usiam* sive substantiam significat: in quo sensu Ecclesia etiam ante Concilij Antiocheni tempora ad explicandam eandem Filij cum Patre substantiam sæpe usa est: econtra vero Concilium An-

jungit dicens, *quia profecto a divinitate assumpta est nostra natura non culpa*: & ex dialogo S. Maximi superius citato, ubi ille ipse qui Epistolam illam composuit aperte testatur, *unam voluntatem Domini diximus, non divinitatis ejus et humanitatis, sed solius humanitatis: cum enim scripsisset Sergius, esse qui dicerent, in Christo duas contrarias voluntates: rescripsimus Christum non habuisse duas contrarias voluntates carnis inquam et Spiritus, ut nos habemus post transgressionem, sed unam tantum quæ naturaliter humanitatis ejus nota essentialis est.*

tiochenum proscripserat illud in sensu respectivo; quo eodem abutebatur post Sabellium Paulus Samofatenus, qui illud usurpabat ad eliminandam trinitatem personarum in divinis in eo, quod docebat hypostasim filij ab hypostasi Patris non differre, atque Patrem Filium, & Spiritum Sanctum non esse, nisi tria nomina unius ejusdemque personæ, sicuti testatur S. Athanasius in Orat. ***De salutari adventu Cristi.***

SECTIO IV.

DE CONCILIIS

CAPUT I.

De Notione, Origine, & necessitate Conciliorum.

Concilium, seu Synodus, nam duo ista vocabula unum idemque significant in Scholis, est Conventus, seu Congregatio Præsulum, & Rectorum Ecclesiæ ad tractandum negotia religionis legitime vocatus: & dividitur communiter in Concilium *generale, & particulare*. Generale est, ad quod vocantur omnes totius orbis Christiani Episcopi, qui possunt interesse, licet forte postea actu non omnes convenerint: particulare autem, ad quod vocantur Præsules & Rectores Ecclesiarum particularium.

Dictum est *qui possunt interesse*; nam primo Rectores Ecclesiarum quicumque, idest tam primi, quam secundi ordinis, ut vocant Parrochos, qui fuerint, vel hæretici, vel schismatici, vel excommunicati universim non habent locum in Concilijs, ac proinde non est necesse, ut ad eadem convocentur: & secundo necesse quoque non est, ut ad Concilium celebrandum omnes convocati, & locum habentes personaliter accedant: nam in casu legitimæ absentiæ possunt præsentiam suam per alios supplere.

Concilium particulare aliud est *Nationale*, aliud *Provinciale*, & aliud *diocesanum*. Nationale est quod Præside Patriarcha, vel Primate ab Episcopis unius Patriarchalis dioecesis, sive integræ alicujus Nationis celebratur: sicuti sunt diversa Affricana quarto,

& quinto sæculo Ecclesiæ Carthagine in causa Donatistarum celebrata: item Hispanicum, quod anno 447. adversus Priscillianistas convocatum fuit. Provinciale est in quo Præside Metropolita Episcopi omnes uniuscujusdam Provinciæ simul conveniunt: sicuti sunt pleraque Mediolanensia, Florentina &c. Diocesanum denique, quod magis proprie, & fere communiter, ac ordinarie Synodus simpliciter vocatur in scholis, est, in quo Præside Episcopo alicujus singularis Diœcesis Episcopalis, Clerus cathedralis Ecclesiæ, & Parochi totius Diœcesis illius suffragium ferunt: quemadmodum sunt Synodi diversæ, puta, Tusculana, Tiburtina, Prænestina &c.

Concilium generale aliud est, quod absolute, aliud vero quod respective tantum generale appellatur: prius est, quod supra descripsimus: posterius vero, quod vel ex fama & usu, vel ex auctoritate convocantium, & Præsidentium, vel denique ex numero Episcoporum convenientium est valde spectabile, & Concilijs absolute generalibus propemodum æquale: cujusmodi est Arelatense I. in Gallia sub Sylvestro I. Papa, & Constantino Magno Imperatore anno 314. contra Donatistas celebratum; quod S. Pater Augustinus plenarium vocat; & Sardicense, in quo Nicæna fides confirmata fuit adversus Arianam perfidiam anno 347.

Item Concilium vocari solet, & est generale, vel celebratione, vel acceptatione: illud est, ad quod ex Episcopis ex toto orbe Christiano vocatis tot ac tanti conveniunt, sive per se, sive per legatos suos, qui satis sunt, ut Ecclesiam universam repræsentare valeant: istud autem, quod cum in sua celebratione caruerit prædicto numero Episcoporum, deinceps tamen ab omnibus Ecclesijs, & præsertim ab Ecclesia Romana, quæ aliarum Magistra est, pro generali agnitum atque receptum fuit: cujusmodi est Conci-

lium primum Constantinopoli celebratum anno 381. contra Macedonianos sub Damaso Papa a solis fere Episcopis Orientalibus.

Porro autem inter Concilia, quæ aliquo pacto in eorum celebratione generalia fuerunt, alia sunt ab Ecclesia approbata, & legitima, alia vero reprobata, & illegitima, sive ex toto, sive ex parte: de illis redibit sermo paulo infra in Synopsi Conciliorum generalium. Reprobata autem ex toto magis nota sunt: 1. Concilium Mediolanense plusquam 300. Episcoporum convocatum a Liberio Papa anno 355. damnatione S. Athanasij, & ejusdem Liberij exilio famosum, sub Constantio Imperatore, cujus jussu etiam reliqui Episcopi, qui condemnationem S. Athanasij subscribere noluerunt, pulsi sunt in exilium: 2. Ariminense anno 359. pariter sub Constantio Imperatore, & Arianorum fautore, plusquam quatuorcentum Episcoporum Arimini celebratum, de quo dictum est Sect. 3. caput 3. Propos. 2. & Opposit. 2. ad alterum, & Nota 3.

Inter Concilia generalia celebratione, quæ tamen ex parte etiam positive reprobata fuerunt, aut saltem ex toto non acceptata ab Ecclesia, merito accenseri debet primo, Concilium Constantiense celebratum occasione Schismatis inter tres summos Pontifices, nempe inter Joannem XXIII. quem Lutherani XXIV. vocant qui Concilium convocavit anno 1414. die 20. Martij anno insequenti celebrandum, & inter Gregorium XII. atque Benedictum XIII. alias Petrum de Luna, imperante Sigismundo Imperatore: nam licet Concilium istud a Gallis fere communiter habeatur tamquam legitimum, non suscipitur tamen etiam fere communiter a reliquis Theologis, & præsertim ab Italis, quantum ad IV., & V. Sessionem, in quibus agitur de auctoritate Concilij generalis supra Ponti-

ficem: nec ullatenus approbatum videtur relate ad prædictas Sessiones: siquidem licet postea post depositionem Joannis XXIII., & renuntiationem Gregorij XII., atque exauctorationem Benedicti XIII., Martinus V. ad Summi Pontificatus apicem legitime evectus, concilium illud auctoritate sua confirmaverit, & acta illius rata habuerit, nihilominus patet confirmationem istam non absolute, sed conditionate tantum factam füisse, scilicet sub hac formula, relate ad omnia, *quæ conciliariter gesta fuerunt*: ut expresse legitur in decreto Confirmationis ejusdem Concilij. Secundo idem potiori jure sentiendum est de Concilio Basileensi, quod Martinus V. anno 1424. die 16. Februarij celebrandam indixit Basileæ in finibus Helvetiorum ad annum 1431. ubi etiam eodem anno inchoatum fuit die 19. Maij sub Eugenio IV., qui Martino V. in Pontificatu successit, & convocationem hujus Concilij ab ipso factam ratam habuit: nam etiam istud neque ab Eugenio, neque a Nicolao V. Eugenij successore ex integro approbatum, & confirmatum fuit.

Præterea sunt quædam Concilia, quæ tanquam generalia, & legitima agnoscuntur, & acceptantur ab universa Ecclesia, tam Orientali, quam Occidentali; quædam vero alia, quæ nonnisi ab una, vel altera ex prædictis Ecclesis pro legitimis habentur; sicuti est in Ecclesia Orientali *Synodus Trullana*, sic dicta a Palatio, seu Secretario Imperiali, cui nomen erat *Trullus*, in quo celebratum fuit, & quæ etiam Synodus *Quinisexta* vocatur, quasi fuerit quinti, & sexti Concilij generalis Appendix quædam, & supplementum: quam etiam complures ex hæreticis scriptoribus Synodum generalem, & occumenicam fuisse, & esse contendunt: In Ecclesia autem occidentali eadem Synodus nunquam recepta fuit, nec habita pro legitimo Concilio: Præterea in Ecclesia prædicta idest Occidentali re-

cipitur universim tanquam oecumenicum Concilium Constantinopolitanum IV. anno 869. contra Photium celebratum, quod cum reliquis generalibus, quæ postea in occidente celebrata fuerunt ab Orientalibus schismaticis tanquam legitimum non agnoscitur.

Quæri autem hic solet, utrum idem sit Concilium generale, & Concilium Oecumenicum? cui quæstioni respondendum est, idem esse grammaticaliter tantum, non autem canonice, & in acceptione Theologorum nam Oecumenicum, sic dictum a Græca voce οικυμένη, quæ terram habitabilem significat, secundum ethimologiam nominis idem est, ac universale: at vero Canonice, & in acceptione Thæologorum, concilium Oecumenicum proprie illud vocatur, quod ita universale est, ut sit etiam legitimum, & ab Ecclesia approbatum.

Nunc quod ad originem Conciliorum attinet, eam esse juris divini, affirmant Catholici omnes, & negant Protestantes, qui putant Concilia nonnisi jure, & usu humano introducta fuisse ad normam comitiorum politicorum, atque ideo ajunt illa non aliam, quam humanam habere auctoritatem: sed falluntur quam maxime; nam Apostoli ipsi sæpius celebrarunt Concilium, specialiter vero semel paulo ante adventum Spiritus Sancti, ut alium Apostolum eligerent in locum Judæ proditoris, de quo fit sermo actor. cap. 1., & iterum actor. cap. 6:, & 7. in quo septem Diaconi, electi fuerunt, quorum primus fuit Stephanus, non ut essent administri duntaxat mensarum, & Viduarum, sicut existimant Novatores, sed præsertim ut liturgiæ sacræ inservirent: quippe ordinati fuerunt ad sacrum ministerium, & impositione manuum, ut legitur actor. cap. 6. v. 6. ac tandem tertio actor. cap. 15. in quo decretum fuit, ut gentibus regeneratis baptismate, & fidem Christi profitentibus

non imponeretur amplius onus circumcisionis, & mosaicæ legis; sicut præcipitur ibidem v. 28. (1). Profecto autem indubium plane est, quod Apostoli hæc omnia expedire potuissent per seipsos, & sine interventu Concilij: nam in regimine Ecclesiæ erant omnes infallibilis auctoritatis, quantum ad munus Apostolatus spectabat, & in illis sive institutionibus sive observantijs, quæ Ecclesiam universim respiciunt, regebantur speciali Spiritus Sancti assistentia, ne errarent in aliquo: ut Sect. 2. cap. 1. dictum est: ex quibus fit, ut nulla ratione timendum erat, ne minus recte se gererent, vel in substitutione alterius in locum Aposrolatus, de quo prævaricatus fuit Judas, vel in electione illorum, qui, ut dictum est, liturgiæ sacræ præsertim, idest mensæ Eucharisticæ ministrare debebant, vel denique in præscriptione illorum, quæ a fidelibus ad Christi fidem ex gentibus conversis observanda, & adimplenda essent; maxime vero Petrus a Christo Princeps totius Collegij Apostolici constitutus: igitur dum hæc omnia perficere,

(1) Primo Ecclesiæ sæculo præter Concilia ab Apostolis celebrata, & quæ non immerito pro generalibus haberi debent, siquidem repræsentabant *omnem Ecclesiam* act. cap. 15. v. 22. nulla alia novimus; nec nisi sæculo secundo Ecclesiæ aliqua celebrari cœperunt, & quidem particularia tantum, quia nempe celebrationem generalium, nec ferebat Ecclesiæ paupertas, nec admittebant persecutiones, quibus Ecclesia illis temporibus affligebatur: porro ex illis, quæ secundo sæculo celebrata fuerunt, magis nota sunt, quæ sequuntur nimirum Primum anni 125. quod Siculum vocatur celebratum in Sicilia contra *Heracleonitas* & *Valentinianos*. Secundum anni 146. Romanum, sub Pontificatu Thelesphori contra *Theodorum* Coriarium. Tertium anni 152. Pergamense contra *Colorbasianos*. Quartum anni 160. Orientale contra *Cerdonem*. Quintum anni 170. Romanum in causa Paschatis celebrandi. Sextum anni 198. Mesopotamium in eadem causa, quæ om-

& statuere maluerunt in communi, & solemni convocato Concilio, nihil aliud concludi debere videtur, quam quod ita se gesserint, ut exemplo, & instituto suo formam docerent, atque præscriberent modum, secundum quem controversiæ in Ecclesia Dei futuris temporibus dirimi deberent: porro autem exempla, & instituta Apostolorum maxime vero, quæ ad intrinsecum Ecclesiæ Christi constitutivum pertinent, sicuti sunt Concilia, quibus fides, & disciplina Ecclesiæ maxime promoventur, habent certissime divinam originem, ut non obcure colligi potest ex Regula VI. cap. 3. Sect. 2. de Traditionibus: igitur universim Origo Conciliorum non derivat mere ex institutione humana: ut hæretici contendunt.

Ex his autem simul æstimari potest, quæ, & quanta sit in Ecclesia Dei necessitas celebrandi Concilia, præsertim vero generalia, quæ scilicet negotia tractanda totius Ecclesiæ pro objecto habent: nam licet Summus Pontifex, ut suo loco videbimus, etiam extra Concilium generale in definiendis controversijs fidei, & morum sit infallibilis auctoritatis ratione sui Primatus, quem habet in universam Ecclesiam, ei-

nia referuntur, partim apud Baluzium in nova Collectione Conciliorum, & partim apud Auctorem Prædestinati, & partim etiam apud auctorem libri Synodici in Bibliotheca græca Fabricij Tom. XI. Ulterius proferri solent ejusdem aetatis idest ex saeculo Secundo Ecclesiae duo Concilia Nicœna a S. Ignatio Martyre celebrata, in quibus definitum fuisse asseritur, quod Pascha non debeat celebrari cum Judaeis: sed ut graviores Critici existimant, duo ista supposititia censeri debent, quia constat quod Asiatici tenacissimi fuerint in observanda eorum consuetudine, qua celebrabant Pascha luna 14. Martij cum Judaeis, in quemcunque diem incidisset, usque ad tempora Victoris Papae; cujus de hac re habetur Concilium Romanum celebratum anno 197. ut videri potest apud Cosmam Schmalfus Tom. 2. Hist. Eccles.

que tanquam visibili Ecclesiæ capiti, & Christi Vicario obtemperare debeat *fraternitas universa*, ut loquitur S. Cyprianus in Epist. 3. nihilominus tamen, quia hæretici ordinarie, & communiter spernunt quam maxime auctoritatem Pontificis; alij autem non pauci etiam inter Catholicos, qui nimia, quæ placent sentiendi libertate, irretiti, dum illum infra generalis Concilij auctoritatem deprimunt, sæpe illi etiam debitam obedientiam detrectant, hinc videtur per sese plures dari posse casus, in quibus subinde non solum expediens, sed aliquo modo etiam necessarium sit, ut Concilium generale celebretur:

Porro autem generatim loquendo causæ celebrandi Concilium generale ex hactenus observata praxi Ecclesiæ, sex numerantur a Bellarmino: quarum prima est hæresis nova quæ se, suumque virus in plures, easque insigniores Ecclesias diffundit, cum aperto periculo, quod etiam alias vicinas provincias inficere possit: altera est schisma Ecclesiasticum, quando scilicet duo, vel plures de summo Pontificatu inter se contendunt: Tertia commune auxilium suppeditandum Ecclesiæ in suis publicis necessitatibus tam spiritualibus, quam temporalibus v. g. ad depellendum communem hostem Christiani nominis, qui interitum Religionis in præcipuis Ecclesijs minitare videatur. Quarta suspicio hæresis in Romano Pontifice. Quinta Electio summi Pontificis, quando Cardinales aut non possent, aut non vellent illum eligere. Sexta denique reformatio abusuum, & restitutio disciplinæ Ecclesiasticæ notabiliter corruptæ.

CAPUT II.

De Requisitis Conciliorum.

Requisita, sive conditiones ad legitimum Concilium constituendum necessariae, quas nobis tum exemplum Apostolorum, tum praxis Ecclesiae suggerunt, sunt tres: nempe legitima convocatio, legitima celebratio, & legitima illorum, quae in illis gesta sunt, approbatio.

Haeretici posteriorum temporum attribuunt fere communiter laicae potestati, sicut alia omnia fere jura Ecclesiae, ita etiam jus convocandi Concilia: & cum sermo est de convocatione Concili Generalis, contendunt jus istud convocandi competere summis Imperantibus non alio nixi fundamenta, nisi quia octo priora Concilia convocata fuisse ab Imperatoribus historici illorum temporum fere omnes testantur: utrum vero jure ac merito hoc factum sit, inferius ostendetur interim sit.

Propositio I. Jus originarium convocandi Concilia spectat ad Pastores Ecclesiae, non vero ad laicam potestatem.

Probat. Finis celebrationis Conciliorum in Ecclesia Christi alius non est, quam tractandi negotia Religionis, idest providendi, & statuendi illa, quae ad Religionem Christianam conservandam, & promovendam pertinent, & aliquo modo pertinere possunt: atqui jus, sive auctoritas conservandae, & promovendae religionis pertinet originarie, sive ex vi divinae institutionis non ad laicam potestatem, cujusvis dignitatis ornata existat, sed ad Pastores Ecclesiae: nam isti soli *positi sunt Episcopi a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei* Act. cap. 20. v. 28. illis

solum, & non regibus, aut Principibus temporalibus dictum fuit a Christo *docete omnes geates* Math. cap. 28. v. 19. ad illos tantum, non autem etiam ad Imperatores pertinet illa Christi sententia *quæcunque ligaveritis super terram erunt ligata & in Cælis, & quæcunque solveritis super terram erunt soluta, & in Cælis*, Math. cap. 18. v. 18., ac tandem ad illos, scilicet Ecclesiae Pastores praecise, & non ad alios, facta fuit promissio Joan. 14. v. 16. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*: huc accedit quod jus originarium convocandi Concilia consistere non possit sine auctoritate regendi Ecclesiam, atqui auctotas regendi Ecclesiam collata fuit a Christo solis Apostolis, & in illis eorum successoribus Episcopis, ergo jus originarium convocandi concilia spectat ad Pastores Ecclesiae.

Sed ajunt hæretici, actus convocationis est aliquid temporale; ergo pertinet ad Principes temporales: quibus respondemus cum distinctione, nempe actus convocationis est aliquid temporale in sua executione *conc.* in suo principio *nego*. In actu convocationis alicujus Concilii duo spectari debent, nempe illius executio, idest effectus externi, qui actum illum sequuntur, & principium, sive auctoritas, a qua jure proprio proficiscitur: si actus iste consideretur penes suos effectus, & quatenus executioni mandatur, ipsa vocatio ad Concilium, utique fatendum est, quod sit aliquid temporale, & externum, siquidem evidens est, quod Concilia, maxime vero generalia celebrari actu non possunt, sine magno Praelatorum concursu, qui in externam politiam populorum, & civitatum, cujus regimen apud Principes temporales esse nemo dubitat, plurimum influere potest, ut per se patet: verum ex eo nihil aliud in-

ferri legitime potest, nisi quod Concilia, maxime vero generalia in ditione Principum temporalium actu celebrari non debeant, sine scientia, & consensu Principis illius, in cujus ditione, vel Imperio celebrantur, nullatenus vero quod etiam ejus nomine, & auctoritate convocari debeant, sive quod actus ipse convocationis jure proprio a Principe temporali, nomine suo, & auctoritate sua fieri debeat: nam auctoritas ista est tota spiritualis, & a Christo ipso dependens, sicuti Spiritualis est, & a Christo dependens finis, propter quem Concilia in Ecclesia celebrantur; ut dictum est in probatione; nimirum negotium Religionis.

Propositio II. Convocatio Conciliorum in particulari pertinet ad illum Episcopum, qui dignitate, & jurisdictione primus est inter illos, qui ad Concilium conveniunt.

Probat. In omni Societate bene instituta illius est conventum convocare, qui in illa primus est dignitate, & jurisdictione, ut perpetua omnium gentium consuetudine comprobatum existit, atqui etiam Ecclesia est Societas bene instituta, siquidem est opus Dei ipsius, a quo omnis rerum bonitas atque perfectio suum habet prineipium: deinde usus perpetuus Ecclesiae non adjudicat alteri facultatem convocandi Concilium, quam illi, qui dignitate, & jurisdictione primus est inter illos Episcopos, a quibus concilium celebrandum est: etenim universim loquendo tribus prioribus Ecclesiae saeculis Episcopi ad Concilium vocati semper fuerunt ab eorum Metropolitis, & Metropolitae a Patriarchis, & si quandoque Episcopi diversae provinciae ad Concilium aliquod convenerunt, hi nunquam fuerunt jussi tanquam ab aliquo, qui jurisdictione major esset, & prior, sed invitati tantum, ut constat exemplo Dionysii Alexandrini Patriarchae,

qui rogatus fuit, ut ad Synodum Antiochenam veniret, ut testatur Eusebius in Hist. Eccl. lib. 6. cap. 46. dicens *scribit Dionysius ad Cornelium Romanæ Urbis Episcopum se ab Heleno Tarsi Ciliciæ Episcopo, & a cæteris, qui cum illo convenerant Episcopis invitatum fuisse, ut ad Synodum Antiochenam occurreret, in qua quidam Novati schisma confirmare tentabant*. Tandem ad illum pertinet convocatio Conciliorum in particulari, qui veram, & legitimam auctoritatem habet super illos, qui ad Concilium convocantur, atqui auctoritas ista competit illi, qui dignitate, & jurisdictione primus est initer illos, qui conveniunt: atque hinc S. P. Augustinus vocatus ad Concilium a Victorino, recusavit illud adire etiam propter hanc rationem, quoniam non satis constabat, Victorinum in illo Concilio primum esse, cui potestas illud convocandi jure competeret: ut patet ex Epist. 50. ejusdem S. Doctoris; ergo convocatio conciliorum in particulari pertinet ad illum Episcopum, qui dignitate, & jurisditione primus est inter illos, qui ad Concilium conveniunt.

Ex his autem intelligitur Concilia Nationalia convocari debere a Patriarchis, vel Primatibus illius nationis; cujus Episcopi ad Concilium congregantur; Provincialia vero a Metropolitis; & Diæcesana ab Episcopis respectivae Diœcesis: quae omnia ita fieri debere fateri videtur etiam Calvinus lib. 4. Instit. cap. 7. in qua re tamen non semper sibi constant Calvinistae, siquidem major illorum pars docet cum Lutheranis Imperatoris esse convocare Concilia Generalia, Regum nationalia, & Magistratuum inferiorum ea, quae in subjectis sibi civitatibus celebrantur.

Propositio III. Jus ordinarium convocandi Concilium Generale competit soli Romano Pontifici.

Probatio patet ex dictis, & confirmatur ulterius

primo, ex sacra Scriptura Joan. cap. 21. Petrus, & in Petro etiam successor illius Romanus Pontifex constituitur supremus Ecclesiae Pastor: nam ibidem vers. 16. ait Christus ad Petrum *pasce agnos meos*, & vers. 17. *pasce oves meas* ergo ad illum solum spectat jus ordinarium congregare omnes agnos, & oves Christi, & ita providere bono totius Ecclesiae: idipsum confirmari etiam potest ex perpetua Ecclesiae praxi: nam praeterquam quod tota distinctio XIV. Gratiani jus istud Romano Pontifici perpetuo attribuit, profecto illud competit jure ordinario soli Romano Pontifici, quod ab ipso in Ecclesia Dei semper gestum, & auctoritative peractum fuit: atqui ex praxi Ecclesiae constat, quod Romanus Pontifex sua auctoritate semper convocaverit Concilia Generalia, sicut non aequivoce colligitur ex Capitulo *Significasti* de Electione, & electi potestate; ubi perspicue legimus *ajunt in Conciliis statutum non inveniri. Quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint, cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiae auctoritatem, & facta sint, & robur acceperint*. Profecto enim si omnia Concilia per Romanae Ecclesiae auctoritatem facta sunt, ab eaque robur acceperunt, necesse est, ut Romanus Pontifex, eadem omnia etiam sua auctoritate convocaverit: idem evincitur ex singularibus quoque monumentis, quae nulli exceptioni subjecta esse possunt: nimirum Concilium Generale Nicenum primum convocatum fuisse a Constantino magno non tamen auctoritate sua sed *ex Sententia Sacerdotum, & nominatim Silvestri* testatur aperte Ruffinus in lib. 10. Hist. cap. 1., & in Concilio Secundo Generali seu in Constantinopolitano primo, quod anno 381. celebratum fuit, Patres manifeste profitentur, quod Constantinopolim ad Concilium convenerint de mandato Damasi Papae;

etenim in Epistola Synodica ad eundem Summum Pontificem inquiunt = *quoniam vos nos velut membra propria per Deo amantissimi Imperatoris literas accersivistis . . . . Constantinopolim conveneramus mandato literarum superiori anno a Vestra Reverentia ad Imperatorem Theodosium missarum* : deinde non minus aperte hanc veritatem fatentur, & comprobant Patres tertii Concilii Generalis Ephesi congregati dum Act. 3. in Relatione ad Theodosium inquiunt *antequam hæc Sanctissima Synodus conveniret Cœlestinus tunc regnans magnæ Romaæ Episcopus per suas literas indicaverat, Cyrilloque Sanctissimo ut suas vices obiret commiserat*. Quod autem attinet ad Concilium quartum Generale, idest ad Chalcedonense, de eo testimonium sibi ipsi reddit Summus Pontifex Sanctus Leo in Epistola ad Marcianum scribens, *literas dedimus ad Fratres, & Coepiscopos nostros, iisque Concilium Generale indiximus*. Praeterea in eodem Concilio Chalcedonensi Dioscorus Patriarcha Alexandriuus prohibitus fuit sedere inter Episcopos, propterea quia ausus fuit Synodum Generalem facere sine auctoritate Apostolicae Sedis, *quod nunquam licuit, nunquam factum est* quemadmodum expresse, & iisdem plane verbis in actione 2. ejusdem Concilii nemine prorsus reclamante testatus est, & publice affirmavit Leontius ad idem Concilium Apostolicae Sedis Legatus (1). Tan-

(1) In hanc rem extat Canon antiquissimus in quo statuitur *præter sententiam Romani Pontificis non posse Concilia celebrari* : qui a Julio Papa in Epistola ad Episcopos Antiochenæ Provinciæ Canon Apostolicus appellatur, & a Concilio Nicæno I. renovatus fuit : præterea rem hanc confirmant aperte etiam Patres Africani in Epistola Trium Conciliorum nimirum Provinciæ Numidiæ Byzacenæ, & Mauritaniæ, quæ scripta fuit ad Theodorum Summum Pontificem, & lecta in

dem illi soli competit jus ordinarium convocandi Concilium Generale, qui potest universis Episcopis per orbem Christianum dispersis auctoritative praecipere, ut ad Concilium se conferant, atqui hoc potest solus Romanus Pontifex; nam ille solus habet Primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam; ut sequenti Sectione cap. I. demonstrabitur: ergo jus ordinarium convocandi Concilium Generale competit soli Romano Pontifici.

Dictum tamen est jus ordinarium: nam sunt certi casus, in quibus jure illud convocare possunt etiam Cardinales: sunt autem primo quando duo aut plures contendunt inter se de Summo Pontificatu, & nullus illorum est in legitimo possessu: secundo quando stante ista contentione ille, qui suspicitur esse in legitimo possessu non vult convocare Concilium, quo lis ista, & contentio secundum juris formam efficaciter dirimatur: tertio si Summus Pontifex esset captivus inter infideles, si factus imbecillis, si Pontificiae dignitati renuntiasset, si esset mortuus, & interim urgeret stricta necessitas convocandi Generale Concilium propter causam aliquam ex illis, quas supra ad calcem primi capitis ex Bellarmino enumeravimus: & ratio est quia Cardinales primum a Papa locum occupant in Ecclesia Christi: ac proin-

Concilio Lateranensi sub Martino I. anno 649., & relata habetur apud Philippum Labbeum Tom. VII. Concil. pag. 131. in qua Patres ajunt *antiquis regulis sancitum est, ut quidquid quamvis in remotis vel longinguis positis ageretur provinciis, non prius tractandum, vel accipiendum sit. nisi ad notitiam almæ sedis vestræ fuisset deductum, ut hujus auctoritate, justa, quæ fuisset pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent cæteræ Ecclesiæ veluti de natali suo fonte prædicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptæ maneant fidei sacramenta salutis.*

de quando vel non adest legitimus Pontifex, sicut contingeret in primo, & tertio casu, vel quando is, qui tempore schismatis tanquam legitimus suspicitur non vult convocare concilium ad schisma abolendum, tunc ipsa immediata auctoritas, atque cura generalis providendi necessitatibus Ecclesiae pertinet ad Cardinales; ac proinde possunt jure proprio, etiam Generale Concilium convocare.

Huc pertinet alius casus ex Duvallio part. 4. quæst. 2. qui tamen vix possibilis esse videtur, ut aliquando contingat: est autem sequens, nempe *si contingeret* (sunt verba laudati auctoris) *Concilium œcumenicum Ecclesiæ esse prorsus necessarium, ita ut ejus defectu omnia retro sublapsa ferrentur in Ecclesia, neque induci posset Pontifex* (loquitur autem auctor extra casum schismatis, & de Pontifice legitimo) *ut illud indiceret, in hoc casu Cardinales possent illud indicere*: & cum prævidisset fieri posse quod etiam Cardinales non patiantur se inducere, ut concilium ipsi convocare velint, subjungit ibidem dicens: *Qui si etiam nollent, Primates diversorum regnorum possent inter se convenire, & Episcopos sibi subjectos in unum locum convocare: quibus etiam renuentibus, Episcopi ipsi mutuo hortatu in unum locum ad Ecclesiæ rebus providendum legitime inter se convenire possent.*

Ut autem convocatio, sive jure ordinario a Summo Pontifice, sive extraordinario a Cardinalibus facta legitima sit, atque ad generale Concilium proprie dictum sufficiens, necesse est primo, ut sit generalis, idest ut omnibus Christiani orbis Provincijs innotescat: & secundo, ut a Concilio nullus excludatur Episcopus, nisi fuerit vel hæreticus, vel schismaticus, vel excomunicatus, de quibus superius jam dictum est, quod in Concilijs locum non habeant.

Solvuntur opposita argumenta.

Opp. Octo priora Concilia generalia in Oriente celebrata fuerunt singula convocata ab Imperatoribus, ut testantur historici illorum temporum Evagrius, Sozomenus, Socrates, Nicephorus, & alij communiter: deinde summi Imperantes sunt defensores, & Advocati Ecclesiæ, ergo ad illos pertinet providere bono totius Ecclesiæ, ac proinde etiam convocare Concilia generalia.

Respond. Ad primum *dist.* octo priora Concilia in Oriente celebrata convocata fuerunt ab Imperatoribus ex sententia Romanorum Pontificum *conc.* absolute, & auctoritate propria ***nego***. Universim aliud est jus, aliud vero factum: neque sequitur rem aliquam alicui jure semper competere, vel alterum jus originarium, quod in illam habet, amittere ex eo, quod ille eandem sibi vindicavit: quamobrem licet negari non possit, quod octo priora generalia Concilia in oriente celebrata, omnia fere proxime, & immediate ab Imperatoribus convocata fuerint, sicuti de singulis tradunt singulares historici communiter fere omnes, qui illis temporibus floruerunt, Evagrius Socrates, Sozomenus, Nicephorus, & alij, qui videri possunt apud eos, qui materiam istam ex professo pertractant, certum tamen est, quod in hoc negotio Imperatores functi non fuerint jure proprio, sed alieno: neque unquam convocaverunt revera aliquod ex illis concilijs, nisi de sententia idest de consensu, & ex nutu Romanorum Pontificum: sicuti patet tum ex actis illorum Conciliorum, tum ex epistolis Synodicis ad Romanos Pontifices perscriptis, & alijs monumentis in probatione productis, tum etiam ex eo, quia Romani Pontifices omnibus fere

illis Concilijs per legatos suos præsederunt, ut mox infra dicemus.

Neque vero mirari quis debet, quod summi Pontifices tunc libentissime consenserint, imo aliquando etiam ipsi postulaverint, ut Imperatores potius, quam ipsi suo nomine, & sua auctoritate immediate, prout erat de jure ordinario ipsorum, concilia convocarent, sicut fecit Leo, qui post celebratum Ephesinum sub Dioscoro Patriarcha prædatarium Concilium, rogavit Theodosium, ut aliud Concilium intra Italiam celebrari juberet, dum Epist. 12. ad eundem scribit dicens: *Si pietas vestra suggestioni, ac supplicationi nostræ dignetur annuere, ut intra Italiam habere jubeatis Episcopale Concilium*: nam *primo*. Sine Imperatorum consensu tunc non erat permissum Conventus cujusque generis, & uniones celebrare; & *secundo*, tunc Concilia fiebant sumptibus ærarij publici, & in civitatibus regijs: *tertio*, tunc etiam Episcopi sæpe erant urgendi, ut se ad Concilium conferrent, & subinde etiam vi externa compellendi, quod magis apte fiebat atque efficacius quodammodo auctoritate Imperatoris, quam Romani Pontificis: ac tandem; *quarto*, tuenda tunc, & defendenda erat vi externa, & Imperatoria, tam Episcoporum, quam summorum Pontificum auctoritas contra hæreticorum pervicaciam, qui libentius, & frequentius ad Imperatores, quam ad Ecclesiam provocabant.

Ad alterum respondendum est, quod jus *Advocatiæ* ut ajunt, seu defensionis Ecclesiæ summis Imperantibus orthodoxis conveniens, consistat in eo, ut Ecclesiam adjuvent, atque defendant: sive ut explicatius loquamur, ut leges civiles ita ordinent, atque instituant, quibus subditi illorum non impediantur a cultu, & servitio divino; ut auxilium Ecclesiæ ferant in suis necessitatibus, tam contra hære-

ticos, quam etiam contra refractarios, & perduelles illius filios: ac tandem ut leges Ecclesiasticas etiam auctoritate sua executioni mandari jubeant: non autem quod præditi sint, vel esse debeant potestate ordinaria miscendi se rebus Ecclesiasticis (2). Quemadmodum, vel ipsi Imperatores non semel confessi sunt: sic sane, ut vel unum hujus rei exemplum in medium proferamus Valentinianus teste Sozomeno in lib. 6. hist. cap. 7. petentibus Episcopis quibusdam ut sibi liceret Synodum congregare respondit: *Sibi, qui e laicorum numero erat non licere se ejusmodi negotijs interponere: & ideo Sacerdotes, & Episcopi, quibus hæc curæ sunt, seorsum per se, ubicunque ipsis libitum fuerit, in unum conveniant.*

Nunc quod ad alterum requisitum, sive conditionem Conciliorum attinet, scilicet quantum ad legitimam illorum celebrationem, ista generatim duobus

(2) Pulcherrima plane est in hanc rem Basilij Imperatoris sententia, atque confessio, quæ extat in Collect. Concil. auctoritate Pauli V. facta & typis Cameræ Apostolicæ edita Romæ anno 1612. Tom. III. pag. 289. ad finem Concilij VIII. generalis: & quoniam non parum lucis affert ad dilucidandam non solum istam, de jure convocandi concilia generalia, sed complures alias, de juribus Ecclesiæ controversias, congruum visum est integram hic transcribere: *itaque post lectionem termini* (idest actorum Concilij) *Basilius pijssimus et Christo amabilis Imperator ad Sanctam Synodum dixit* „ de vobis autem „ laicis (sunt verba Imperatoris) tam qui in dignitatibus, „ quam qui absolute conversamini, quid amplius dicam „ non habeo, quam quia nullo modo vobis licet de ecclesiasticis causis sermonem „ movere, neque penitus resistere integritati Ecclesiæ, & „ universali Synodo adversari. „ Hoc enim investigare & quærere Patriarcharum, Pontificum, & Sacerdotum est, „ qui regiminis officium sortiti „ sunt, qui sanctificandi, qui „ ligandi, & solvendi potestatem habent: qui Ecclesiasticas & cælestes adepti sunt

absolvitur, nempe jure præsidendi legitime exercito, & suffragijs decisivis legitime latis.

Præsidentia autem in Concilijs duplici modo spectari potest: nimirum proprie, & quatenus directionem agendorum omnium in Concilio simul cum jure definitivam sententiam proferendi annexam habet; & improprie, sive quatenus respicitur tantum honoratior locus in sedendo: sive quod idem est, spectari potest formaliter, & materialiter: nobis hoc loco tantum est sermo de presidentia formaliter, & proprie accepta, non autem de materiali, & impropria.

Quoniam vero Concilia alia sunt generalia, alia autem particularia, ut supra capite primo dictum fuit: quod attinet ad Præsides Conciliorum particularium satis convenit inter omnes, quod in Concilijs Diocesanis jus præsidendi competat Episcopo: Metropolitæ autem in Provincialibus, & Primati sive Patriarchæ in Concilijs nationalibus.

„ claves: non nostrum, qui „ pasci debemus, qui sancti- „ ficari, qui ligari vel a li- „ gamentis solvi egemus. „ Quantæcunque enim religio- „ nis & Sapientiæ laicus exi- „ stat, vel etiamsi universa „ virtute interius polleat, do- „ nec laicus est, ovis vocari „ non desinet: rursumque „ quantacunque Episcopus sit „ irreverentia, & irreligiosi- „ tate plenus & nudus omui „ virtute, donec antistes est, „ & veritatis verbum recte „ prædicaverit, pastoris men- „ tionis, & dignitatis damna „ non patietur: quæ ergo no- „ bis ratio est, in ordine o- „ vium constitutis pastores ver- „ borum subtilitate discutiendi, „ & ea quæ super nos sunt quæ- „ rendi, & ambiendi? oportet „ nos cum timore, & fide sin- „ cera hos adire, & a facie „ eorum vereri, cum sint mi- „ nistri Domini omnipotentis, „ & hujusmodi formam possi- „ deant: & nihil amplius, „ quam ea, quæ sunt nostri „ ordinis requirere. „

Nec multam patitur difficultatem quæstio de jure præsidendi in Concilijs generalibus: quamvis enim luterani, & cæteri novatores doceant illud competere Imperatori, & sint quoque ex catholicis, qui, quoniam cum gallicanis theologis auctoritatem Pontificis deprimunt infra auctoritatem Concilij generalis, contendunt penes Concilium ipsum esse jus sibi eligere Præsidem, attamen non est difficile ostendere, etiam jus istud originaliter ita Romano Pontifici esse proprium, ut alteri ordinarie loquendo competere non possit: ac proinde etiam hic concludendum est, quod ad Romanum Pontificem pertinet ordinaria potestas præsidendi in Concilijs generalibus, sive per se, sive per legatos suos.

Nec immerito: nam ille solus habet jus ordinarium præsidendi in Concilijs generalibus, qui omnium Ecclesiarum caput est, & magister, sive qui Primatum gerit in tota Ecclesia. hujusmodi autem est Romanus Pontifex ex omnium consensione, ut ex dicendis sequenti Sectione patebit. Deinde Romanus Pontifex præfuit, & præsedit reipsa, vel per se, vel per legatos suos omnibus Concilijs, non solum illis, quæ post decimum sæculum in Occidente celebrari cæperunt, de quibus nemo est, qui dubitat, sed etiam illis, quæ ante istud tempus in Oriente celebrata sunt: nam in Nicæno primo Osius, Vitus, & Vincentius legati Summi Pontificis primi omnium semper subscripserunt: ergo fuerunt primi auctoritate, & jurisdictione, adeoque præsederunt Concilio præsidentia proprie dicta. Quod autem spectat ad Concilium Constantinopolitanum primum advertendum est istud non evasisse generale, nisi inquantum in unum coaluit cum illo, quod eodem tempore in eadem causa, scilicet contra Macedonium Romæ a Damaso Papa celebratum fuit, cui profecto non alius formaliter præsedit, quam Summus Pontifex

ipse: in Concilio autem Ephesino, quod fuit tertium Oecumenicum præfuit Cœlestinus Papa per legatum suum Cyrillum, ut refert Evagrius lib. I. hist: cap. 4., & patet ex act. 3. ejusdem Concilij in relatione ad Theodosium supra laudata in probat. ad 3. propositionem: idem patet de Chalcedonensi ex Epistola ejusdem Concilij ad Leonem Papam, in qua Patres eundem alloquuntur dicentes: *Tu quidem sicut membris caput præeras, Imperatores vero ad ornandum decentissime præsidebant*: ex quibus, etiam istud colligitur, quod Imperatores, qui dicuntur ab Historicis præsedisse Concilijs in Oriente celebratis non alio sensu præsederint, nisi *ad ornandum decentissime*; sive quod in loco tantum honoratiori consederint, & auctoritate sua istud effecerint, ut pax externa integra, & imperturbata constaret.

Quod autem spectat ad Concilium V. generale, seu Constantinopolitanum secundum cui Summus Pontifex Vigilius, tametsi eo tempore Constantinopoli personaliter præsens esset, etiam rogatus adesse continuo recusavit; fatendum utique est, quod eidem non præsederit, neque per se neque per legatos suos, interim tamen Patres Concilij palam agnoverunt jus istud eidem competere: nam Eutychius Patriarcha Constantinopolitanus nomine omnium Episcoporum aperte petijt, ut ipse præsideret in Epistola ad eundem perscripta, in qua inquit: *petimus præsidente nobis vestra Beatitudine de tribus capitulis quæri*.

De Concilio VI. generali, & Constantinopolitano tertio, patet Præsides fuisse legatos Summi Pontificis, quos Agatho ad Concilium istud ablegavit, tum ex Zonara in Vita Constantini IV. tum etiam ex eo, quia isti in omnibus actionibus primi subscripserunt: idem quoque præstiterunt legati summi Pontificis Adriani I. ad Concilium VII. generale, sive Nicænum

II. & illi, qui ad Concilium VIII. sive Constantinopolitanum quartum ab Adriano II. destinati fuerunt: ex quibus jure concludi potest quod supra dictum est; nimirum, quod Romani Pontifices omnibus Concilijs generalibus præsederint vel per se, vel per legatos suos; & quia facta non interrupta, & in sua prima institutione a nemine oppugnata aut contradicta, cujusmodi sane est factum istud, facile & per se etiam jura demonstrant, consequitur sua sponte, quod jus proprium, & ordinaria potestas præsidendi in Concilijs generalibus vel per se vel per legatos suos, ita competat romano Pontifici, ut nulli alteri competere possit.

Nunc quod pertinet ad jus ferendi suffragium decisivum, sive definitive pronuntiandi auctoritatem in concilijs generalibus: Lutherani & Calvinistæ attribuunt jus istud communiter cuilibet fidelium etiam laicis, dummodò ut ipsi ajunt, docti sint, & in rebus tractandis sufficienter instructi: contra quos sit.

Propositio IV. Soli Episcopi habent jus proprium & ordinarium ferendi suffragium decisivum in Concilijs generalibus.

Probat. Illi soli habent jus proprium & ordinarium ferendi suffragium decisivum in Concilijs generalibus, quibus a Christo commissum fuit munus docendi & regendi Ecclesiam suam: atqui solis Apostolis, & in istis illorum successoribus Episcopis, non vero laicis cujuscumque dignitatis vel doctrinæ fuerint utrumque hoc munus commissum fuit; nam primo illis tantum dixit Christus Math. cap. 28. v. 28. *euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ*: deinde Paulus Apostolus, cum esset Mileti, non laicis, sed *majoribus natu* sive ut habetur in græco *Presbyteris*, quos ab Epheso ad se acciverat

actor. cap. 20. v. 17. (3) præcipit vers. 28. dicens *attendite vobis & universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*: præterea, ut quis jure proprio & ordinario ferre possit definitivam sententiam in Concilio generali, satis non est doctrina, sed requiritur, ut præditus sit jurisdictione & auctoritate relative ad omnia illa, quæ in Concilijs hujusmodi pertractantur: nimirum necesse est, ut præditus sit auctoritate definiendi res fidei & morum, damnandi hæreses, condendi canones tum fidei & morum, tum etiam pro statuenda & reformanda disciplina Ecclesiæ; item judicandi in causis Episcoporum, & generatim statuendi, & ordinandi omnia illa, quæ ad bonum Ecclesiæ vel in communi, vel in particulari pertinent: atqui ex Christi institutione auctoritate ista præditi sunt soli Episcopi: nam istis tantum in persona Apostolorum dictum fuit a Christo *sicut misit me Pater & ego mitto vos* Joan. cap. 20. v. 21. & *quæcunque alligaveritis super terram erunt ligata & in cœlis* Math. cap. 18. v. 18 Ulterius sicuti in Comitijs imperialibus soli status habent jus proprium definiendi decisive illa, quæ pertinent ad imperium, quia simul totum imperium repræsentant, ita propter eandem rationem quod Episcopi conjuncti cum capite totius Ecclesiæ romano Pontifice repræsentant totam Ecclesiam, possunt

(3) Quod per *majores natu Ecclesiæ* actor. cap. 20. v. 17. quos Paulus ab Epheso ad se Miletum accivit, intelligi debeant Præsbyteri, & quod Presbyteri isti ijdem sint, qui infra vers. 28. Episcopi vocantur, notat Augustinus Calmet Comment. in hunc locum. Ne tamen aliquis putet, quod tunc Ephesi plures sederent Episcopi, notandum est cum eodem auctore, quod Paulus Miletum acciverit ab Epheso tum Episcopum relictum ibi in locum Timothei, qnem socium sui itineris habere voluit, ut patet ex vers. 4. ejusdem capitis, tum Episcopos vicinarum Civitatum, qui tunc Ephesum convenerant.

soli jure proprio & ordinario definitive pronuntiare in concilijs generalibus, quæ spectant ad totam Ecclesiam. Tandem ex perpetua Ecclesiæ praxi constat, quod soli Episcopi decretis Conciliorum generalium subscribere consueverunt tanquam judices sub hac verborum forma *Ego N. N. Episcopus definiens subscripsi* & in Concilio Chalcedonensi, cum plures ex simplicibus Præsbyteris in illud se se introduxissent conclamatum fuit a Patribus *mitte foras superfluos concilium Episcoporum est* ergo soli Episcopi habent jus proprium & ordinarium ferendi suffragium decisivum in Concilijs generalibus.

Dictum est *jus proprium & ordinarium* nam postquam in Occidente cæperunt concilia generalia celebrari, de jure extraordinario, jus seu auctoritas ferendi decisivum suffragium competit etiam S. R. E. Cardinalibus: item Abbatibus, & Generalibus quoque ordinum regularium: nec immerito, nam ut concilium in sua celebratione vere generale sit, necesse est, ut Ecclesiam universam sufficienter repræsentet: jam vero nisi Cardinales Abbates & Generales Ordinum regularium admitterentur ad ferendum suffragium decisivum, tunc sane magna, & minime spernenda Ecclesiæ pars non posset sufficienter repræsentari in Concilio: nempe non possent repræsentari Ecclesiæ titulares Cardinalium, siquidem in eos non Episcopi, sed Cardinales ipsi habent jurisdictionem quasi Episcopalem: item repræsentari non possent sufficienter monasteria monachorum & Regularium omnium Ordinum, cum Monachis & Regularibus omnibus, qui longe lateque per totum orbem Christianum diffunduntur, quoniam omnes sunt exempti a jurisditione Episcoporum, & Sedi Apostolicæ immediate subjecti: ex quo fit, quo non immerito illis concessa fuerit auctoritas definitive loquendi in Concilijs ge-

neralibus: hoc tamen intelligi debet de jure extraordinario: nam generatim loquendo quod Abbates atque Generales Ordinum regularium cum respectivis illorum monasterijs & Monachis exempti existant a jurisdictione Episcoporum, & quod Cardinales jurisdictionem habeant in Ecclesijs suis titularibus, istud habent non ex jure aliquo inhærente, sed ex mero beneplacito Sedis Apostolicæ.

Solvuntur opposita Argumenta.

Opp. 1. Ad Concilium Apostolicum Actor. cap. 15. convenerunt etiam laici: nam vers. 6. legitur *convenerunt Apostoli & seniores videre de verbo hoc*: sane autem Seniores isti convenerunt ad eundem finem, ad quem convenerunt Apostoli, scilicet, ut *viderent de verbo hoc*: deinde etiam illorum nomine scripta fuit Epistola Synodica, ut patet ex vers. 23. ubi legitur, *Apostoli & Seniores fratres his, qui sunt Antiochiæ, & Syriæ, & Ciliciæ fratribus salutem*: ac tandem omnes elegerunt ex æquo viros, quos Antiochiam mitterent: unde ibidem vers. 22. legitur *tunc placuit Apostolis & Senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis & mittere Antiochiam*: ergo generatim etiam Seniores definitive locuti sunt, sicut Apostoli.

Respond. Ad primum *dist. ans.* Ad Concilium Apostolicum actor. cap. 15. convenerunt etiam laici ad diversum finem ab eo, ad quem convenerunt Apostoli *esto*: ad eundem finem *nego*. Imprimis in Concilio Jerosolemitano, de quo fit sermo actorum cap. 15. adfuerunt utique Apostoli, adfuerunt Seniores, & adfuit tota Ecclesia, & ideo adfuerunt etiam laici, sed diversimode: nempe Apostoli convenerunt, & adfuerunt ad definiendum: reliqui autem omnes

nullo charactere Episcopali insigniti convenerunt, & adfuerunt, vel ad consulendum, sicut posterioribus temporibus Ecclesiæ præter Episcopos in concilijs generalibus conveniunt Theologi, & Juris doctores; vel etiam simpliciter ad audiendum, quemadmodum nunc interveniunt Oratores Principum temporalium, nullatenus autem ad definiendum.

Deinde quod ad Seniores spectat, qui, ut eo loci legitur, *convenerunt*, cum Apostolis *videre de Verbo hoc*, observandum est, quod quamvis in scriptura sacra, præsertim veteris testamenti, seniorum nomine sæpius designentur seniores populi, attamen in novo testamento, dum vocabulum istud absolute profertur, & sine addito, sicuti fit act. cap. 15. designari non solent, nisi Seniores ordine, & dignitate; ut patet primo ex actor. cap. 20. v. 17. de majoribus natu Ecclesiæ, quos Episcopos fuisse constat ex eodem cap. vers. 28., secundo etiam ex I. S. Petri cap. 5. v. 1. ubi Apostolus inquit: *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior, & testis Christi Passionum*: neque enim Petrus obsecrat Seniores populi, sed Seniores Ecclesiæ, idest Episcopos, siquidem orat eos ibidem, ut verbo, & exemplo pascant gregem Dei, dum vers. 2. immediate subjungit dicens: *pascite qui in vobis est gregem Dei providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum*. Præterea idipsum confirmatur etiam ex secunda, & tertia Epistola S. Joannis, in quibus ipse seniorem se nominat, licet esset Apostolus: quæ omnia, cum ita sint, non incongrue ex inde inferri potest, quod per seniores ibidem intelligi debeant illi, qui ex septuaginta duobus discipulis Christi simul cum Apostolis Concilio illi interfuerunt, & qui etiam ipsi jam a Christo missi fuerunt: *bini ante faciem suam in omnem*

civitatem, *& locum quo erat ipse venturus* lucæ cap. 10. v. 1.

His observatis ad primam probat. *dist.* Seniores convenerunt ad eundem finem cum Apostolis, quia erant etiam ipsi Episcopali dignitate jam præditi *conc.* secus *nego* & generatim fatemur non solum quod non minus Seniores quam Apostoli convenerint ad Concilium de quo fit sermo actor. cap. 15. ut *viderent de verbo* hoc, sed etiam quod illorum nomine scripta sit Epistola synodica, & quod tam isti quam Apostoli jure suo elegerint viros, quos cum Paulo, & Barnaba Antiochiam mitterent: negamus tamen, quod Seniores illi fuerint laici simplices: atque ita sua sponte concidit tota vis argumenti, quo ex voce ista *Seniores* lutherani vindicare conantur laicis auctoritatem proprie dictam definitive loquendi in Concilijs generalibus.

Præterea ex hoc eodem motivo concedimus, quod hic ulterius urgeri quodammodo posset, nimirum, quod non minus Senioribus, quam Apostolis adscribi debeat definitivum illud judicium, quod eodem in loco vers. 25. pronuntiatum legitur, videlicet *visum est enim Spiritui Sancto, & nobis nihil ultra imponere oneris quam hæc necessaria*: siquidem cum constat, quod fuerint Episcopi, ut probatum est, & congruum sit existimare, quod fuerint ex Septuaginta duobus Discipulis Christi; dubitari non potest, quod simul cum Apostolis auctoritative sententiam in illo concilio pronuntiaverint, & reliqua peregerint, quæ in Concilio illo jure Episcopali peracta fuerunt.

Neque quemquam movere debet, quod postremo loco ex vers. 22. urgent adversarij, nempe: *tunc placuit Apostolis, & Senioribus cum omni Ecclesia eligere viros*. Nam hoc verbum *placuit* non obtinet vim definitivæ sententiæ pronuntiatæ ex æquo ab

Apostolis, a Senioribus, & ab omni Ecclesia, idest a laicis, qui tunc forte in illo Concilio simul cum Apostolis, & Senioribus aderant; sed ostendit tantum in genere, quod tam electio, quam missio illorum virorum, idest Judæ; qui cognominatur Barsabas, & Silæ, tam Apostolis, & Senioribus, qui illos auctoritative elegerant, quam etiam toti Ecclesiæ, idest laicis quoque, qui tunc præsentes erant, gratissima fuerit, non autem ut contendunt lutherani, quod ab omnibus æquali jure, & auctoritate facta sit.

Oppos. 2. Fides pertinet ad omnes etiam laicos: porro autem, ut habetur in regula juris 19. in sexto *quod omnes tangit ab omnibus debet approbari*: ergo etiam laici in Concilijs generalibus habent jus, & auctoritatem definitive loquendi: præterea laici sæpissime sunt doctiores pluribus Episcopis; ergo saltem istis concedendum erit jus ferendi suffragium decisivum in prædictis Concilijs.

Respond. Ad primum *dist.* Fides pertinet etiam ad laicos tanquam ad discipulos *conc.* tanquam ad doctores, & Magistros *nego*. Fides pertinet utique ad omnes fideles; sed non eodem modo: nimirum ad Episcopos pertinet tanquam ad Doctores, & Magistros fidei: ad laicos autem cujuscumque doctrinæ, vel dignitatis fuerint pertinet tanquam ad discipulos: (Vid. Nota 2.) nam Deus posuit in Ecclesia sua primum *Apostolos*, secundo *Prophetas*, tertio *Doctores* ut inquit Apostolus in I. ad Corinth. cap. 12. vers. 28. omnibus autem divisit diversa Spiritus charismata, ut in modum humani corporis unum quodque membrum proprio defungatur officio: de quo ibidem vers. 29. subjungit idem Apostolus dicens: *Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetæ? nunquid omnes Doctores*: quibus manifeste insinuat,

quod licet fides ad omnes fideles pertineat, non omnes tamen eandem auctoritative, & jure suo tanquam Apostoli, & Doctores docere debeant.

Hinc patet quid respondendum sit ad regulam juris in sexto: nimirum ab omnibus quidem probandum est, quod omnes tangit, sed sub illo tantum respectu, sub quo aliquem tangit: eo ferme modo, sicut in bello, quod omnes milites tangit, debent quidem omnes strenue pugnare, sed diversimode: nam gregarij muneri, & officio suo satisfaciunt arma tractando, Duces vero aciem illorum, & impetum dirigendo: omittimus, quod ex præfata regula in rigore accepta etiam istud absurdum sequeretur, nempe quod mulieres quoque jure ordinario in concilijs generalibus definitivam pronuntiare possent sententiam, quod tamen Apostolus expresse vetat in I. ad Corinth. cap. 14. v. 34. ubi inquit: *mulieres in Ecclesijs taceant, non enim permittitur eis loqui*, quia nimirum ut mox subjungit versiculo sequenti: *turpe est enim mulieri loqui in Ecclesia*.

Ad ultimum *transeat ant*, nam ad jus definitive pronuntiandi in Concilijs generalibus non sufficit doctrina, sed requiritur præterea jurisdictio, & legitima auctoritas relate ad omnia, quæ in hujusmodi concilijs pertractari solent; ut dictum est in probatione, qua sine dubio laici omnes destituti sunt, quacumque demum doctrina etiam in gradu eminenti præditi fuerint; nam ut inquit Basilius Imperator supra Nota 2. laudatus: *quantacunque religionis, & sapientiæ laicus existat, vel etiam si universa virtute interius polleat, donec laicus est, ovis vocari non desinet*; nec proinde pastor evadet; ac propterea quoque jure docendi, & statuendi, ea, quæ credenda, & agenda sunt in Ecclesia Dei nunquam gaudebit, sed neque gaudere poterit.

Postremo quod spectat ad tertiam conditionem conciliorum generalium, scilicet ad legitimam illorum approbationem, seu confirmationem, ut vocant, docent in primis gallicani doctores, ut nihil hic interim dicamus de opinione Protestantium, qui etiam jus confirmandi, & approbandi generalia Concilia Imperatori attribuunt; docent inquam, gallicani doctores, quod Concilium generale omnem suam auctoritatem intrinsecam habeat a legitima celebratione extrinsecam vero ab acceptatione Ecclesiæ: idest a consensu Ecclesiarum, quæ per orbem Christianum dispersæ existunt: sed communior est, & analogiæ fidei magis conformis sententia aliorum fere omnium Theologorum, qui tenent, quod ad utramque auctoritatem generalis Concilij omnino necessaria sit approbatio, & confirmatio Summi Pontificis.

Ut autem Conclusio ista in clara luce ponatur, principio notandum hic est, quod approbatio sive confirmatio Summi Pontificis, quam hic cum communiori opinione ad legitimum Concilium generale omnino necessariam esse statuimus, nihil aliud sit, quam explicitus Summi Pontificis consensus in illa, quæ in generali aliquo Concilio statuta atque definita fuerunt, ejusdemque expliciti consensus ad universam Ecclesiam publica, & solemnis manifestatio, eo sensu, quo infra dicturi sumus Sect. 5. cap. 4. Nota 4.

Deinde notandum est quod acta Conciliorum generalium, sive potius Concilia ipsa generalia in ordine ad approbationem, & confirmationem istam sub triplici respectu considerari valeant: nimirum *primo* considerari possunt, quatenus Patres Concilij instructionibus Summi Pontificis per legatos suos sibi manifestatis per omnia consentiunt, nihilque statuunt, vel definiunt, quod in illis expressum non habeatur:

& *secundo* considerari possunt quatenus Summus Pontifex ipse personaliter præsens, & auctoritative singula dirigens, atque disponens, in omnibus quæcunque definitive pronuntiantur ita cum concilio conspirat, ut nihil vel præter, vel contra illius mentem in eo statutum ac definitum inveniatur: ac tandem *tertio* quatenus vel Concilium ipsum celebratnm est sine interventu Summi Pontificis, vel immediato, & per se, vel etiam imediato, & per legatos suos; vel in Concilio non omnia gesta fuerunt secundum instructionem, & mentem Summi Pontificis, aut statutum fuit aliquid, quod a Summo Pontifice non prævisum, in instructione suorum legatorum ad Concilium ipsum minime continebatur.

Si Concilia generalia considerentur sub primo, & secundo respectu, evidens est, quod ad intrinsecam illorum auctoritatem constituendam tunc nulla ulterius necessaria sit Summi Pontificis approbatio, & confirmatio: siquidem in primo casu, consensus illius in acta istorum conciliorum continetur jam prævie in Instructione, seu informatione legatorum suorum: in secundo autem casu consensus iste comitatur acta ipsa, ut per se patet: ac proinde si etiam decreta istorum Conciliorum, quæ sic celebrata fuerunt, ad Pontificem mittuntur approbanda, & confirmanda, in his casibus approbatio, & confirmatio ista proprie aliud non est, quam renovatio consensus, vel prævij, sicut fit in primo casu, vel concomitantis, sicut fit in secundo, neque tribuit Concilijs ipsis aliam auctoritatem, nisi extrinsecam tantum, ex qua scilicet Ecclesiæ innotescit nihil in illis Concilijs gestum, & statutum fuisse menti Summi Pontificis vel contrarium, vel non consentiens.

Si autem Concilia considerentur sub tertio respectu, tunc patet, quod nullus plane sit, nec habea-

tur Summi Pontificis consensus, tam relate ad acta, & decreta conciliorum, quæ celebrata fuerunt sine illius vel immediato vel mediato interventu, quam etiam relate ad illa quæ vel contra, vel præter instructionem legatis suis datam definita, & statuta fuerunt: & sub hoc respectu locum habet vera, & proprie dicta approbatio, & confirmatio Summi Pontificis, ita ut Concilia hujusmodi, sine tali approbatione, & confirmatione, neque extrinsecam, neque intrinsecam auctoritatem habeant in Ecclesia Dei.

Nec immerito: nam primo Concilia, quæ sine interventu Summi Pontificis celebrantur, non possunt stricto jure generalia vocari, neque representant universam Ecclesiam: siquidem deest in illis Ecclesia Romana, quæ est aliorum omnium Ecclesiarum Magistra: & quoniam Summus Pontifex nemine Catholicorum contradicente est caput visibile totius Ecclesiæ, sequitur necessario, quod hujusmodi concilia sint acephala; idest corpus sine capite: idem dici debet de decretis, & statutis Conciliorum quorumlibet in quæ Summus Pontifex neque prævie, neque concomitanter suum præstitit assensum: nimirum etiam ista, ut per se patet, nisi per subsequentem approbationem, & confirmationem roborentur, sunt etiam ipsa necessario acephala, & sine capite facta; atque ideo nullam habere possunt in Ecclesia Dei firmitatem.

Deinde perpetua & constans praxis & consuetudo Ecclesiæ præbet viro theologo certum, & firmissimum argumentum: siquidem cum sit perpetua & constans, non potest habere originem, quam ex traditione majorum minime interrupta, quæ in materia religionis semper regulam firmat: at vero ex perpetua & constanti Ecclesiæ praxi & consuetudine constat primo quod Concilia generalia tamdiu auctoritatem infallibilem penes Ecclesiam non obtinuerint, quamdiu a

Summo Pontifice approbata, & confirmata non fuerunt: ut patet de Concilijs Constantinopolitano primo & secundo, quæ pro generalibus & œcumenicis suscepta & agnita non fuerunt, donec a Summo Pontifice, illud quidem a Damaso Papa, istud autem a Vigilio confirmatum & approbatum non fuisset: deinde constat etiam quod alia, tametsi numero Episcoporum & celebratione vere generalia essent, sicuti est Ephesinum II. sub Dioscoro Patriarcha anno 449. pro Eutychete celebratum, quod proprie latrocinium ephesinum appellatur, & illud Constantinopolitanum sub Photio anni 879., cui interfuerunt præter legatos Pontificios juxta computum græcorum ex universo orbe Christiano Episcopi 383. nihilominus neque istud neque illud habetur pro legitimo, quia deest illis approbatio, & confirmatio Summi Pontificis. Tandem constat universim quod Patres tam priorum, quam posteriorum Conciliorum generalium constantissime semper exquisiverint a Summis Pontificibus actorum suorum confirmationem: nempe ut brevitatis gratia aliqua tantum exempla hujus rei in medium proferamus, imprimis Patres Concilij Nicœni I., quod omnium celeberrimum est, in Epistola Synodica ad Sylvestrum ajunt: *quidquid autem statuimus in Concilio Nicœno precamur vestri oris consortio firmari*: sic etiam Patres Chalcedone ex universo orbe Catholico simul congregati ad præfocandam hæresim Eutychianam, scribunt ad Leonem Summum Pontificem in hunc modum: *rogamus igitur, & tuis decretis nostrum honora judicium*: sic pariter Patres VI. Concilij generalis in Epistola ad Agathonem Papam inquiunt: *Orthodoxæ fidei splendidam lucem vobiscum prædicavimus, quam ut iterum per honorabilia vestra rescripta confirmetis, vestram oramus paternam Sanctitatem*. Imo ipsi quoque Patres

Concilij Constantiensis, tametsi Sessio: IV., & V. statuissent, quod omnes quacunque auctoritate etiam Papali præditi, Concilio subjecti esse debeant, nihilominus electo deinceps, & legitime in eodem Concilio ad Summi Pontificatus apicem evecto Martino V. petierunt ab ipso, ut acta omnia sua auctoritate confirmaret, profecto non ob aliam rationem, neque ex alio motivo, nisi quia ipsis persuasum erat decreta, & statuta, quæ sine consensu vel prævio, vel concomitante Romani Pontificis in illo firmata fuerunt a Patribus, nullius in Ecclesia futura esse auctoritatis, nisi a Pontifice ipso approbata, & confirmata essent.

Quod autem quidam reponunt Patres præteritorum Conciliorum petijsse actorum suorum confirmationem a Summis Pontificibus ex quadam convenientia erga primam sedem, parvam, imo nullam plane meretur attentionem: nam ut patet ex dictis, Patres exquirunt, & petunt illam approbationem, ex qua decreta, & statuta illorum robur, & firmitatem accipiant: quod profecto non indicat purum aliquod humanitatis officium, sed certam potius, & internam animi persuasionem, quod decreta sine præveniente, vel concomitante consensu Summi Pontificis facta, tam intrinsecam, quam extrinsecam auctoritatem suam a subsequenti demum illius consensu, & explicita approbatione mutuare, & accipere debeant.

Sed erit fortassis qui hic opponat, si res ita se habet, & jus confirmandi generalia Concilia summo Pontifici competit, ita ut Concilia ipsa sine tali confirmatione nullam auctoritatem habeant in Ecclesia, jam nulla erit Episcoporum in concilio Auctoritas, & suffragia illorum, quæ tamen ab omnibus tanquam decisiva habentur, & prolata non tanquam a consultoribus, sed tanquam a veris, & legitimis fidei, &

morum judicibus, nullius plane erunt roboris, quia quidquid definiverint, & statuerint Episcopi invalidum erit, si illud Pontifex calculo suo non probaverit & confirmaverit; atque ita tota Conciliorum auctoritas alia non erit, quam una, & singularis auctoritas summi Pontificis? sed falsissime, & plane inepte; nam ex eo, quod jus confirmandi concilia generalia proprie summo Pontifici competat, ita ut sine tali confirmatione relative ad diversos respectus, & in sensu usque modo explicato, concilia legitima existimari non debeant, & tam intrinseca, quam etiam extrinseca auctoritate destituta sint, istud tantum consequitur, quod concilium quantumvis generale, & ex toto orbe christiano congregatum firmitatem & auctoritatem suam non habeat, neque a solis Patribus, ex quibus Concilium ipsum coalescit, & componitur, sive, ut ajunt gallicani doctores, a seipso, & ex intrinsecis suis, neque etiam a solo Summo Pontifice separatim spectato, sed ex consensu & conjunctione utriusque partis simul: ex quibus etiam intelligitur, quod auctoritas Concilij generalis & legitimi non sit, neque sola auctoritas Patrum definitive loquentium, neque sola auctoritas summi Pontificis, sed tertia quædam ex concursu & conspiratione utriusque consurgens; & generatim loquendo, sicut Concilium generale sine concursu auctoritatis Pontificiæ legitimum esse non potest, ita etiam econtra conciliare non fit judicium, si major Episcoporum numerus in sententiam aliquam, etiam secundum mentem Pontificis expositam, minime consentiat: quomodo autem hoc non obstante maxima sit, & præcipua summi Pontificis auctoritas, non solum extra, sed etiam intra generale Concilium, videbitur clarius infra Sect. V. cap. 4. Nota 1.

CAPUT III.

De Auctoritate Conciliorum.

Ut Concilium aliquod quodcunque legitimum sit, & suam, quæ illi competit, & jure competere potest auctoritatem habeat, præter debitam convocationem, & approbationem, necesse est, ut in ipsa illorum celebratione Patres, qui ad Concilium aliquod celebrandum conveniunt, plenam habeant, & perfectam suffragiorum libertatem ; ita ut, si ista illis quoquomodo adimatur, Concilium ipsum nullius erit auctoritatis in Ecclesia Dei.

Præterea ad constituendum Concilium Generale legitimum, cujus scilicet statuta, & definitiones ad universam Ecclesiam pertineant, præter modo dicta, quæ Conciliis in genere conveniunt, requiritur ulterius, primo ut ex majori parte Provinciarum Ecclesiæ Episcopi personaliter conveniant, saltem aliqui, & tot, ac tanti, qui absentium Episcoporum vota, & vices supplere satis sunt : & secundo ut statuta, & definitiones vim, & robur suum habeant, requiritur unanimis Episcoporum omnium consensus saltem moralis, qui in eo consistit, quod major Episcoporum numerus cum capite Romano Pontifice conjunctus in illas consentiat.

Porro autem inter Episcopos definientes in Conciliis Generalibus illi quoque solent communiter numerari, qui cognita cæterorum sententia determinata non reclamant, neque contradicunt ; siquidem etiam isti suo silentio videntur consentire libere in illa quæ cognoscunt ab aliis definitive teneri : ac proinde ad formandum dogmaticum, & irreformabile judicium in Conciliis Generalibus satis est, ut pars Episcoporum

notabilis explicite definiat, & sensum suum determinatum definitive enuntiet, cæteris expresse non reclamantibus.

Protestantes, sicuti docent solam Ecclesiam internam non posse deficere, ita pariter affirmant, quod omne Concilium quantumvis generale, & ex toto Orbe Christiano legitime convocatum, & celebratum fuerit, errare possit, & a recta fide deficere, eo quod, ut ipsi ajunt, externam tantum Ecclesiam repræsentat, quare sit.

Propositio. Concilium Generale, cui nulla deest ex supra notatis conditionibus, est prorsus infallibile in suis fidei, & morum definitionibus.

Probat. Idem judicium quod de suo Concilio Jerosolymis celebrato Actor. cap. 15. pronuntiarunt Apostoli, pronuntiare jure possunt etiam Patres Conciliorum Generalium, quæ in Ecclesia Christi legitime celebrantur; siquidem illud erat norma, & regula istorum, & utrobique idem est finis, & eadem illa celebraudi ratio principalis, nempe, ut fidei, & morum doctrina integra, & incorrupta subsistat: atqui Apostoli pronuntiarunt Concilium suum infallibile, & ejus generis, cui nullus error subesse possit: nam vers. 28. attribuunt definitionem in eo statutam primario non tam sibi, quam Spiritui Sancto dicentes *visum est Spiritui Sancto & nobis*: ergo Concilium Generale legitimum, cui scilicet nulla deest ex necessariis conditionibus, est omnino infallibile in suis fidei, & morum definitionibus: deinde apud illos, quos Christus sua præsentia nunquam orphanos, & sua defensione viduatos, & vacuos relinquit, quibus Spiritus Veritatis omnia suggerit, & in quorum medio est Christus ipse, error non potest habere locum in iis, quæ ad doctrinam Christi pertinent, sicuti sunt res omnes fidei, & morum; atqui Patres in Concilio ge-

nerali legitimo Christus non relinquit orphanos, nec defensione sua vacuos; nam Joan. cap. 14. v. 18. ait ad discipulos suos *non relinguam vos orphanos veniam ad vos*, & Spiritus Veritatis docet illos, & suggerit illis omnia: ibidem vers. 28. ubi iterum inquit Christus *Paraclytus autem Spiritus Sanctus quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia*: ac tandem in medio eorum adest certissime Christus ipse, siquidem Math. cap. 18. v. 20. promittit fidelibus omnibus dicens *ubi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*: profecto autem, si Christus adest in medio duorum, vel trium, qui in nomine ejus simul congregati sunt, multo magis debet adesse in medio Patrum, qui non duo, vel tres, sed complures ex universo Orbe Christiano vocati ad Concilium celebrandum, atque ad res fidei, & morum definiendas simul congregati existunt: ergo apud illos error in fide, & moribus nullum omnino potest habere locum: Præterea quod Concilium hujusmodi in fide, & moribus errare non possit constantissima est, & minime interrupta omnium temporum traditio: siquidem quemcumque fidei Canonem, quodcunque Fidei Symbolum, quodcunque Fidei Dogma, Concilium aliquod hujus generis firmo decreto tenendum esse statuit, Ecclesia semper suscepit, & ab omnibus tanquam Catholicæ Fidei Articulum suscipi voluit: hinc S. Leo in Epist. 78. docet *non posse inter Catholicos computari eos, qui Nicæno, aut Chalcedonensi Concilio resistunt*: hinc S. Ambrosius Epist. 32. protestatur dicens *sequor tractatum Nicænæ Synodi, a quo nec mors, nec gladius me poterit separare* hinc etiam S: Gregorius Magnus in Epist. 24. ad Joannem Antiochenum, intendens ad quatuor prima Concilia Generalia, indubitanter pronuntiat *sicut Sancti Evangelii*

quatuor libros, sic quatuor Concilia suscipere, & venerari me fateor. Huc accedit, quod Concilium Generale legitimum repræsentat Ecclesiam universam, ut omnes fatentur: nec immerito: nam hoc ipso, quod ad illud vocati sunt, & conveniunt Episcopi ex toto Orbe Christiano, defertur ab illis fides omnium Ecclesiarum, quæ per totum orbem dispersæ existunt, adeoque fides totius Ecclesiæ: unde Tertullianus in lib. de jejun. cap. 13. inquit *aguntur certis in locis Concilia ex universis Ecclesiis, per quæ altiora quæque in commune tractantur, & ipsa præsentatio totius nominis Christiani magna veneratione celebratur*, & Martinus V. ut refertur ad calcem Concilii Constantiensis, jubet expresse, ut quicunque in hæresis suspicionem venerint; semper interrogari debeant *an non credant Concilium Generale universam Ecclesiam repræsentare?* jam vero Ecclesia universa non potest errare in fide, & moribus: nam si errare posset, jam possibile esset, ut aliquando deficerent promissiones Christi, quibus spopondit eandem ita firmiter ædificandam supra petram, ut portæ inferorum adversus eam nunquam prævalere valeant. Math. cap. 16. v. 18. at vero impossibile plane est, ut aliquando deficiant promissiones Christi; siquidem de illis testatur Christus ipse Math. cap. 24. v. 35. dicens *cælum & terra transibunt verba autem mea, non præteribunt*: ergo Concilium Generale, cui nulla deest ex necessariis conditionibus, est omnino infallibile in suis de fide, & moribus definitionibus.

Solvuntur opposita argumenta.

Opp. Omnes Ecclesiæ Pastores possunt errare, sunt enim homines erroribus obnoxii; ergo errare potest etiam Concilium Generale: deinde sane Sacerdotes

omnes veteris legis erant errori obnoxii, ut testatur Isaias cap. 56. v. 10. dicens *speculatores ejus cæci omnes, neque quidquam noverunt, omnes canes muti, nec valent latrare*: at vero quæ generatim dicuntur de veteri Sacerdotio, pertinent aliquo pacto etiam ad Sacerdotium novum: ergo errare possumt etiam Pastores Ecclesiæ. Præterea si Concilium Generale esset infallibile profecto eorum celebratio non esset fugienda, & quoniam decreta fidei infallibilia sunt etiam immutabilia, sequeretur, quod definitiones cujuslibet Concilii legitimi non possent amplius emendari: atqui ex doctrina Sanctorum Patrum, & fugienda est celebratio Conciliorum, ut docet manifeste S. Gregorius Nazianzenus in Epist. 3. ad Procopium dum ait *ego, si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut omnem Episcoporum conventum fugiam: quoniam nullius Concilii finem lætum faustumque vidi*, & Decreta Conciliorum revera possunt emendari; ut affirmat S. P. Augustinus in lib. 2. de Bapt. cap. 3. dicens *ipsa Concilia plenaria priora a posterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod clausum erat, & cognoscitur quod latebat*. Tandem si Concilium Generale esset infallibile in suis de fide, & moribus decretis, hujusmodi Concilia haberent auctoritatem relate ad omnes fideles; atqui ex modo citato S. Doctore Concilia Generalia non habent auctoritatem relate ad omnes, nam in lib. 2. contra Maximinum inquit *nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præjudicaturus proferre Concilium: nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris*, Ergo Concilium Generale non est infallibile in suis de fide, & moribus difinitionibus.

Respond. ad primum *dist.* Omnes Pastores Ecclesiæ seorsim, & distributive sumpti possunt errare *conc.* collective sumpti, aut in generali legitimo Concilio

simul congregati *nego*. Nempe Deus non promisit cuilibet Pastori in individuo inerrantiam, sed Petro, & in Petro Ecclesiæ universæ; ut dictum fuit Sect. 3. cap. 3. Prop. 4. in Resp. ad alterum.

Ad probat. *dist.* In Veteri lege Sacerdotes omnes erant errori obnoxii distributive *conc.* collective *nego.* Nam etiam Sacerdotes veteris legis erant constituti a Deo, ut judicarent *judicii veritatem*: Deuter. cap. 17. v. 9. ac proinde licet distributive essent omnes errori obnoxii, collective tamen non poterant omnes errare: unde etiam in veteri lege non secus ac in nova, obtemperandum erat Sacerdotum judicio in illis, quæ ad Religionem pertinebant, secundum ea, quæ leguntur in citato capite Deteronomii vers. 12. ubi præcipitur, ut *qui superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio . . . . morietur homo ille*: & ita verum est, quod aliquo pacto ad novum Sacerdotium pertineant ea, quæ generatim dicuntur de veteri Sacerdotio, quin tamen inde sequatur quod Pastores omnes in Concilio legitimo congregati errare possint: dictum est autem aliquo pacto: nam quod Levitico Sacerdotio excellentius sit Sacerdotium novæ legis, ostendit Apostolus in Epist. ad Hebr. cap. 7., & 8. præsertim ex eo quod *necessarium fuit secundum ordinem Melchisedech* (4) *alium surgere Sacerdotem, & non*

(4) Tria sunt præsertim, in quibus persona, & Sacerdotium Melchisedech adumbravit Sacerdotium, & personam Christi: nempe primo Melchisedech ex Apostolo ad Hebræos cap. 7. v. 2. idem est ac *Rex justitiæ*, & fuit Rex Salem, sive *Rex pacis*: qui uterque titulus convenit eximie Christo Domino, quoniam ipse, ut ait Apostolus in Epist. ad Coloss. cap. 1. v. 20. *est justitia nostra pacificans . . . . sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt*: *secundo* Melchisedech exhibetur *sine Patre, sine matre, sine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens* ad Hebr. cap. 7. v. 3. & Chri-

secundum ordinem Aaron dici, ut ait Apostolus cap. 7. v. 11. idest Christum Jesum, qui *eo quod maneat in æternum sempiternum habet Sacerdotium*, ut ibi vers. 24. subjungit idem Apostolus; ac proinde verba Isaiæ cap. 56. v. 10. dicentis *Speculatores ejus cæci omnes, neque quidquam noverunt, omnes canes muti, nec valent latrare*: minime nos urgent: quanquam hic etiam subjungi posset, quod Scriptura Sacra sæpe reprehendit omnes, & redarguit universos, propter plures: sic Paulus in Epist. ad Philip. cap. 2. v. 21. conquæritur dicens, *omnes enim, quæ sua sunt, quærunt, non quæ sunt Christi*, & tamen cap. 1. v. 14. jam dixerat *& plures e fratribus in Domino confidentes vinculis meis abundantius auderent sine timore Verbum Dei loqui*, ut adeo etiam verba illa Isaiæ intelligi debeant non stricte de omnibus, sed potius in sensu accommodo, & de pluribus.

Ad alterum *dist*. Ex S. Gregorio Nazianzeno fugienda est celebratio Conciliorum illegitimorum *conc*. secus *nego*. Neminem plane movere debet id, quod S. Gregorius Nazianzenus protestatur in Epistola ad Procopium de fuga sua omnium Conventuum Episcoporum: nam Sanctus iste Doctor ita loquitur, quia suo tempore plurima celebrata fuerunt Concilia, quæ propter multitudinem Episcoporum hæreticis faventium infaustum habuerunt exitum, siquidem *vita fun-*

stus quoque, ut homo, nullum Patrem, & ut Deus nullam matrem habuit: præterea Christo, ut Deus est, non fuit initium, nec erit finis; & ejus Sacerdotium in æternum mansurum est: ut dictum est ex Apostolo loco citato v. 24. tandem tertio sicut Melchisedech panem, & vinum obtulit, ita & Christus Corporis, & Sanguinis sui sacrificium sub panis, & vini speciebus obtulit in Eucharistia, & a novæ legis Sacerdotibus suo nomine offerendum in Ecclesia instituit.

ctus est Orator, & Theologus præstantissimus anno 389., ut de eo affirmat noster Laurentius Berti in Breviar. Histor. & floruit sæculo IV. Ecclesiæ, in quo habita fuerunt Concilia quæ revera neque lætum, neque faustum habuerunt finem: sicuti sunt 1. Mediolanense anno 355. in quo Catholici Episcopi nolentes subscribere condemnationem S. Athanasii pulsi sunt in exilium: 2. Ariminense anno 359. in quo Episcopi 480. Arianorum fraudibus circumventi subscripserunt formulæ supprimentis vocabulum *Homousion*, quod tunc erat tessera Catholicæ Fidei (Vid. Sect. 3. cap. 3. Propos. 2. Opp. 2. ad alterum, & Nota 2.) ut nihil interim dicamus de Synodo Cæsareæ in Palæstina anno 334. de Tyria anno 335. de Constantinopolitana Eusebianorum anno 336. de Antiochena anno 341. in quibus omnibus S. Athanasius ab Arianis non semel, sed sæpe depositus, & in exilium actus, atque depulsus fuit: nec non de tribus Syrmiensibus in quarum prima anni 351. & tertia anni 357. vox *Homousion* sive *consubstantialis* in formula fidei callide suppressa fuit, atque de secunda eodem anno 357. paulo ante tertiam celebrata, in qua eadem vox non solum simpliciter suppressa, sed etiam palam atque expresse proscripta, & damnata fuit: de cætero autem quod S. Gregorius loco laudato superius nullimode loquatur de Conventibus Episcoporum legitimis, patet ex eo, quia dum sermonem instituit de Conciliis legitimis, non dubitat affirmare eadem a Spiritu Sancto congregata esse; ut constat ex Oratione pro Sancto Athanasio in qua loquens de Concilio Nicæno I. inquit *Episcopos fuisse a Spiritu Sancto congregatos*.

Ad tertium *dist.* Ex S. Parente Augustino decreta Conciliorum emendari solent priora a posterioribus relative ad disciplinam *conc.* Relative ad fidem *nego*.

Non omnia quæ in Conciliis generalibus decretantur, & definiuntur pertinent ad fidem, ut paulo infra videbimus: proinde dum S. P. Augustinus in lib. 2. de Bapt. cap. 3. affirmat dicens *Concilia plenaria sæpe priora emendari a posterioribus*; intelligi debet, non de rebus fidei, & morum, quæ immutabiles sunt, sed de rebus disciplinæ, quæ pro temporum, & locorum circumstantiis mutabiles sunt, quemadmodum ex ipso verborum contextu lucide apparet: siquidem eo in loco docet emendationem istam fieri, quando *experimento aliquo aperitur quod clausum erat*: quod sane locum non habet, nisi tantum in quæstionibus facti, & generatim in illis, quæ ad disciplinam externam pertinent: nam quæstiones fidei, & morum non aperiuntur experimento, sed scriptura, & traditione, auctoritate Ecclesiæ ad credendum propositis.

Ad postremum *dist.* & Sanctus Doctor loquitur eo loci hypothetice *conc.* loquitur absolute *nego*. Ex eo quod S. P. Augustinus contra Maximinum inquit *nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præjudicaturus proferre Concilium* cum reliquis, quæ ibi sequuntur, nihil plane inferri potest adversus infallibilem generalium Conciliorum in fidei, & morum controversiis definiendis auctoritatem, nam cum hæreticus ille Nicænum Concilium tanquam legitimum non agnosceret, & S. Augustinus vicissim rejiceret Concilium Ariminense, quod tanquam legitimum suscipiebat, & probabat Maximinus Ariana labe infectus, & cum aliunde S. Doctor optime sciret, hæreticum istum ex sola Sacra Scriptura, cujus auctoritatem fatebatur, satis revinci, & confundi posse, ne cogeretur per longam disputationem utriusque Concilii discrimen ostendere, & defendere auctoritatem unius, atque oppugnare illam alterius, existimavit magis sibi expedire suo jure paulisper cedere, cum ista con-

ditione, ut etiam Maximinus non adhiberet ad suam defensionem Concilium Ariminense: atque ideo dum S. Pater subjungit dicens *nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris*. Loquitur in omnibus hypothetice, nimirum per figuram præteritionis, tanquam de re ad definiendam controversiam illam cum Maximino non necessaria, non autem absolute, quasi revera pro nihilo haberet, & sperneret, sicut Ariminensis, ita etiam Nicæni Concilii auctoritatem: nam quod Sanctus Doctor postremi hujus Concilii auctoritatem plurimi fecerit, ita ut sincere existimaverit eidem omnes acquiescere debere, evincitur manifeste, sicut ex aliis ejus lucubrationibus, in quibus de eo sermonem injicit, ita etiam ex hoc ipso libro 2. contra Maximinum cap. 14. num. 3. ubi non multo ante verba in objectione citata de vocabulo *Homousion* inquit *hoc est illud Homousion, quod in Concilio Nicæno adversus Arianos hæreticos a Catholicis Patribus veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate firmatum est*.

Instabis. Non desunt exempla quibus constat priora Concilia generalia subinde emendata fuisse a posterioribus etiam in rebus fidei: nam in Concilio IV. generali idest in Chalcedonensi Theodoretus, & Ibas habiti sunt ut catholici, ut constat ex actione VIII., ejusdem Concilij: imo etiam de Ibæ Epistola ad Marim Persam, quæ in illa actione perlecta fuit, Patres pronuntiarunt dicentes *relecta Ibæ Epistola agnovimus eam orthodoxam esse*: & tamen Concilium sequens, seu generale Quintum Constantinopoli celebratum sub Vigilio Papa proscripsit, & damnavit cum Theodoro Mapsuesteno, & scriptis ejus, etiam scripta Theodoreti, & prædictam Ibæ Epistolam tanquam scripta hæretica, & Nestoriano errore infecta, ergo Concilia generalia possunt emen-

dari ab alijs Concilijs etiam in rebus fidei, & morum, atque ideo non sunt infallibilia.

Respond. Nego ans. & universim loquendo ex facto Quinti Concilij generalis, sive Constantinopolitani secundi, in quo tanquam hæretica damnata fuerunt tria famosa Capitula idest scripta Theodori Mopsuesteni, Theodoreti, & Ibæ Edesseni Episcopi sub Vigilio Papa anno 553, nulla plane ratione inferri potest, quod Concilia generalia in rebus fidei, & morum priora emendari possint a posterioribus, vel etiam errandi periculo obnoxia sint, sicut hæretici ex facto isto concludunt: nam primo verum est utique, quod in illo Concilio Theodorus tanquam hæreticus damnatus fuit, & cum eo tanquam hæresi Nestoriana infecta damnata fuerint etiam prædicta tria famosa scripta, idest cum singulis scriptis prædicti Theodori, etiam Anathematismi Theodoreti adversus sanctum Cyrillum, & Epistola Ibæ ad Marim Persam, in qua Theodorum summis laudibus exornat: deinde verum est etiam quod in Concilio Chalcedonensi, seu Quarto generali uterque iste, idest tam Theodoretus quam Ibas, ut Catholici habiti fuerint: falsum tamen est, quod in Concilio quinto aliquid emendatum sit, quod Patres Chalcedone congregati circa fidem, & mores in causa ista trium Capitulorum non recte statuerunt: siquidem primo in Concilio isto Chalcedonensi nulla prorsus facta fuit mentio de anathematismis Theodoreti adversus Sanctum Cyrillum, & Epistola Ibæ fuit tantum lecta, non autem approbata tanquam Catholica, non enim omnes Patres, sed unus tantum, scilicet Maximus Patriarcha Antiochenus ex privata, non autem ex publica, & auctoritativa totius Concilij sententia fertur dixisse: *agnoscimus*

eam esse Ortodoxam sine eo, ut cæteri Patres in ejus sensum expresse convenerint, ut non obscure colligitur ex actis Concilij V. in Collatione VIII. deinde in prædicto Concilio Chalcedonensi Theodoretus, & Ibas Judicati fuerunt Catholici, & a nota hæresis Nestorianæ, de qua accusabantur, immunes declarati, non ex eorum scriptis, quæ Judicio Patrum non fuerunt subjecta, sed ex eorum declaratione viva voce facta, qua nempe Nestorio, & doctrinæ illius in publico dixerunt anathema, atque etiam ex propria eorum agendi ratione, qua præterea etiam Epistolæ S. Leonis ad Flavianum, in qua damnabatur Eutychianorum error, sponte, propria manu subscripserunt: ex quibus clare patet, quod tota causa ista, quæ in concilio Chalcedonensi relative ad Theodoretum, & Ibam acta fuit, versata sit circa personas, ut dictum est, non autem circa illorum scripta: ac proinde quod Concilium V. generale, in quo non de personis Theodoreti, & Ibæ, sed tantum de illorum scriptis actum fuit, damnando scripta ista simul cum Theodoro, & scriptis ejus tanquam hæretica, revera nihil in fide emendaverit.

Quoniam vero in Concilijs generalibus multa pertractantur, & statnuntur, non solum in materia fidei & morum, sed etiam in omni alia materia, quæ ad Ecclesiam, & Religionem vel directe vel indirecte pertinent, observandum hic est, quod non omnia quæ in hujusmodi conciliorum actis, & decretis subinde inserta habentur, haberi debeant tanquam infallibilia: nam multa sæpe occurrunt in illis, quæ non ad fidem, sed ad disciplinam tantum pertinent, & multa etiam, quæ quamvis fidei materiam respiciunt, quia tamen, vel adducuntur tantum simpliciter, vel non proponuntur in forma decretorum fidei, non pertinent ad fidem, neque ha-

bent annexam infallibilem auctoritatem (1), sic ex Bellarmino lib. 2. de Concil. auctor. cap. 12. generatim *non sunt de fide disputationes, quæ præmittuntur, neque rationes quæ adduntur, neque ea quæ ad explicandum, & illustrandum afferuntur.*

Ne tamen hic error subrepat, maxime quantum pertinet ad *rationes*, quæ in Concilijs hujusmodi adducuntur, sciendum est generatim, quod rationes, quibus dogmata fidei, & morum comprobantur, aliæ sunt fundamentales, aliæ vero subsidiariæ tantum: fundamentales vocantur illæ, quibus dogma aliquod intrinsece constituitur, idest quæ vel clare in sacra Scriptura continentur, vel ex certa, & universali traditione innotescunt, vel denique ex alijs generalium

(1) Ut rem istam exemplo illustremus: quamvis falsa sit opinio plurium græcorum docentium Angelos productos fuisse (sive in cœlo empireo, ut est communior sententia, sive etiam in superiore parte aeris, de qua re disputant theologi) ante mundum aspectabilem, & seorsim a cæteris rebus creatis, inter quos recensetur etiam S. Gregorius Nazianzenus: nam ut observat Doctor Angelicus quæst. 61. art. 3. *non est probabile ut Deus, cujus perfecta sunt opera, ut dicitur Deuter. 32. creaturam Angelicam seorsim ante alias creaturas creaverit*: non potest tamen vocari hæretica & fidei contraria ex eo quia in Concilio IV. Lateranensi cap. I. legimus *Creator omnium, qui sua omnipotenti virtute simul ab initio condidit creaturam spiritualem et corporalem angelicam videlicet et mundanam*: nam in his Concilij verbis nullum plane elucet firmum & certum fidei decretum, ita ut contrarium sentientes hæretici censeri debeant, ut immerito prorsus putant nonnulli, sed tantum universalis quædam & vaga affirmatio: & absolute loquendo particula illa *simul ab initio* a Concilio apposita, non incongrue exponi potest adhibita fuisse ad demonstrandum, quod Angeli non sint æterni, nec semper extiterint, sed producti fuerint in tempore, & ex nihilo, sicut in tempore & ex nihilo producta fuerunt mundana omnia.

Conciliorum, & summorum Pontificum solemnibus fidei, & morum decretis desumuntur; subsidiariæ vero sunt, quæ afferuntur ad dogma ipsum magis elucidandum, seu quæ ex scripturis dubijs, & traditionibus incertis, vel etiam ex principijs naturalibus, & disciplinis mere humanis ad veritatem aliquam fidei magis roborandam ab extrinseco veluti in subsidium vocantur: evidens autem est quod rationes primi generis pertineant etiam ipsæ ad fidem, licet non sub hoc respectu, quatenus adducuntur a Concilio ad explicandum, & illustrandum dogmata illa, quæ in eo ad fidem spectare definiuntur: sed ideo, quia in se ipsis spectatæ, & ab intrinseco doctrinam fidei comprehendunt.

Quamobrem universim loquendo illæ tantum generalium Conciliorum definitiones haberi debent tanquam infallibiles, atque ad fidei Catholicæ doctrinam immediate spectantes, in quibus certo, & firmo decreto proponitur aliquid ab omnibus fidelibus expresse credendum, vel rejiciendum, tanquam Evangelio Christi, & doctrinæ Apostolorum repugnans, atque contrarium: quod secundum consuetam Ecclesiæ formam duplici modo fieri intelligitur: nempe primo, quando contrarium sentientes pro hæreticis declarantur; & secundo, quando decretum ipsum concipitur sub tali, vel consimili forma aliqua verborum, nempe *Si quis hoc vel illud dixerit, senserit, vel docuerit, anathema sit*.

Dictum est autem *certo & firmo decreto*, nam si aliquid etiam in Generali Concilio proponeretur ad credendum, vel rejiciendum opinative tantum, & judicio probabili duntaxat, tunc decretum hujusmodi non haberet characterem decreti dogmatici, ac proinde definitio hujus generis non esset per se, & stricto jure infallibilis auctoritatis.

Præterea in actis Conciliorum generalium distingui semper debent decreta & statuta, ut vocant, mere synodalia, quæ ad mores externos, atque ad disciplinam Ecclesiasticam pertinent, a decretis dogmaticis fidei & morum: nam ista tantum sunt immutabilia, & necessario a fidelibus omnibus suscipienda, atque credenda: illa autem, quamvis etiam ipsa a fidelibus omnibus de jure communi suscipienda sint, & obligent omnes ad eorum observantiam, eo quia cum sint facta in generali Concilio, pertinent ad Ecclesiam universam, nihilominus pro temporum & locorum diversitate possunt subinde variari, imo etiam per contrariam consuetudinem legitime introductam penitus abrogari.

His ita constitutis, quæri hic potest, quid sentiendum sit de celeberrima illa quæstione, scilicet an Concilium generale sit supra vel infra Romanum Pontificem? quæ quæstio maxima animorum contentione in scholis agitatur,& agitata semper fuit occasione declarationis Cleri Gallicani editæ in celebri Congregatione habita de mandato Ludovici XIV. anno 1682., & in qua auctoritate Cleri illius declaratum, & Sancitum fuit *sic inesse Sedi Apostolicæ ac Petri successoribus Christi Vicarijs rerum Spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant sanctæ œcumenicæ Synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia gallicana perpetua religione custodita decreta de auctoritate Conciliorum generalium quæ Sessione IV., & V. continentur*, idest quod quælibet auctoritas etiam Papalis auctoritati Concilij generalis subesse debeat.

Ut autem intelligatur quo sensu Sanctio ista pro-

prie intelligi, & accipi debeat, atque ita jure etiam tanquam illegitime statuta, & analogiæ fidei nostræ Catholicæ contraria directe oppugnari valeat; oportet hic primum generatim observare, quod auctoritas Concilij generalis cum auctoritate Romani Pontificis, & vicissim auctoritas romani Pontificis cum auctoritate Concilij generalis diversimode comparari possit; & quidem *primo*, fieri potest comparatio inter concilium generale, & Pontificem dubium, atque incertum, vel quia Canonica non apparet illius electio, vel quia suspectus est de hæresi; in qua comparatione, sicut etiam in casu schismatis universim fatendum est, & fatentur communiter omnes, auctoritatem Concilij generalis esse superiorem auctoritate dubij, & incerti Pontificis.

Secundo. Fieri potest comparatio inter summum Pontificem ex una parte, & inter Concilium generale ex altera, cui ipse Romanus Pontifex præest, vel per se, vel per legatos suos; idest inter Pontificem, & Concilium legitimum, atque Oecumenicum, sive quod idem est, inter Concilium legitime celebratum, & legitime quoque approbatum: in qua comparatione auctoritas summi Pontificis constituit etiam ipsa in solidum partem unam illius Concilij: siquidem ut patet per sese, & supra ad finem secundi capitis notatum fuit, auctoritas Concilij hujusmodi coalescit ex auctoritate Patrum, & summi Pontificis simul sumpta: ac proinde cum totum sit semper majus sua parte, videtur negari non posse, quod etiam in hac comparatione auctoritas Concilij generalis major sit auctoritate Summi Pontificis: nam ut supra Sect. 3. cap. 2. prop. 5. Opp. I. ad alterum jam notavimus ex Wallemburgicis: *hoc sensu Ecclesia major est singulis membris etiam regentibus: & hoc sensu ipse Pontifex Romanus tenetur legitimis Pa-*

storibus obedire, atque respectu factorum decretorum sese ut inferiorem gerere: Deinde quod Concilium generale legitimum, idest debite celebratum, & debite quoque approbatum, atque confirmatum in definiendis fidei, & morum controversijs sit infallibilis auctoritatis, hoc pertinet ad fidem Catholicam, nec sine fidei discrimine a quopiam denegari potest: econtra autem quod Summus Pontifex in hujusmodi controversijs definiendis infallibilis sit per seipsum, & independenter a consensu Ecclesiæ, quamvis secundum nostrum intelligendi modum certissimum sit, & analogiæ fidei per omnia consentaneum, nihilominus hoc non pertinet ad fidem, & innoxie etiam controvertitur in scholis: & quia auctoritas certa, semper prævalet, & major est illa, de qua controvertitur, sequitur profecto, quod hoc sensu concilium sit supra Pontificem: *neque tamen istud quidquam impedit* (ut cum Wallemburgicis modo citatis loquamur) *quominus eundem Pontificem agnoscamus supremum in terris Pastorem nullis inferiorem*: nec immerito, nam is, etiam quando judicat simul cum Episcopis in generali legittimo Concilio congregatis, sive per se, sive per legatos suos, semper major est, non solum singulis, sed etiam omnibus eo ipso, quia Jure suo omnibus præsidet, & quia sine ejus assensu nulla fit, aut fieri potest definitio conciliaris, & si fiat, vel facta sit, non habet auctoritatem, nisi approbata, & confirmata fuerit a summo Pontifice; sicut ex illis, quæ superiori capite dicta sunt, clare colligitur.

Tertio tandem institui potest comparatio inter Concilium generale, cui Summus Pontifex non assistit neque per se, neque per legatos suos, & inter ipsum Pontificem; atque hic demum proprie loquendo est casus, ad quem respicit Sanctio illa, seu declaratio

Cleri Gallicani (2) superius memorata, & in hoc sensu invaluit apud Theologos illos proverbium, *major est auctoritas orbis, quam urbis*: quamobrem, ut circa propositam superius quæstionem nostram quamcumque de illa proferamus sententiam, affirmamus atque concludimus, quod in postrema ista comparatione Summus Pontifex, ejusque auctoritas sit supra, non vero infra auctoritatem concilij generalis.

Nec immerito, nam Summus Pontifex, nemine prorsus catholicorum contradicente, & consentientibus etiam gallicanis Theologis est, non solum visibile

(2) Quoniam declaratio ista non habetur præ manibus omnium, neque omnibus commodum est illam proprijs in fontibus inspicere, nolui negligere occasionem istam, qua de illa hic sermo incidit, ut eam in commodum lectorum meorum de Verbo ad Verbum exscriberem una cum quatuor, imo vero rectius, quinque famosis propositionibus, quæ sub nomine libertatum Ecclesiæ gallicanæ in scholis innotescunt: desumpsi autem tam illam, quam istas ex præclaro Opere Antonij Charlas cui titulus *Tractatus de libertatibus Ecclesiæ gallicanæ* in cujus fronte typis edita reperitur declaratio prædicta sub sequenti forma verborum.

„ CLERI GALLICANI DE „ ECCLESIASTICA POTE- „ STATE DECLARATIO. „

„ Ecclesiæ gallicanæ decreta „ & libertates a majoribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta „ sacris canonibus & Patrum „ traditione nixa, multi diruere moliuntur: nec desunt, qui earum obtentu „ Primatum B. Petri ejusque „ successorum romanorum Pontificum a Christo institutum, „ ijsque debitam ab omnibus „ Christianis obedientiam, sedisque Apostolicæ, in qua fides prædicatur, & unitas servatur Ecclesiæ, reverendam „ omnibus gentibus majestatem „ imminuere non vereantur; „ hæretici quoque nihil prætermittunt, quo eam potestatem, qua pax Ecclesiæ continetur, invidiosam, & gravem regibus & populis ostentent, ijsque fraudibus simplices animas ab Ecclesiæ „ matris, Christique adeo communione dissocient: quæ ut „ incommoda propulsemus,

Ecclesiæ caput, sed etiam, quod ex ista prærogativa necessario sequitur, supremus illius Pastor, & Rector, atque centrum unitatis Ecclesiæ: at vero Caput dirigit, & movet, non solum singula membra, sed etiam omnia simul, quoadusque corpori suo conjuncta existunt, & sine capite non solum membrum quodlibet singulare, sed etiam corpus ipsum totum non potest omnino vivere: deinde Pastor supremus debet regere, & pascere omnes tam agnos, quam oves; nec recte supremus vocatur, qui non omnibus auctoritative præest, & multo minus qui alijs

„ Nos Archiepiscopi & Episcopi Parisijs *mandato regio* congregati Ecclesiam gallicanam repræsentantes una cum Ecclesiasticis viris nobiscum deputatis diligenti tractatu habito hæc sanciendа & declaranda esse duximus. „

„ I. Beato Petro ejusque successoribus Christi Vicarijs, ipsique Ecclesiæ rerum spiritualium & ad æternam salutem pertinentium non autem civilium ac temporalium a Deo traditam potestatem, dicente Domino *Regnum meum non est de hoc mundo*, & iterum *reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei Deo*: ac proinde stare apostolicum illud *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas, nisi a Deo. Quæ autem sunt a Deo, ordinata sunt: itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit*. Reges ergo & Principes in temporalibus nulli Ecclesiasticæ potestati Dei ordinatione subjici, neque auctoritate clavium Ecclesiæ directe vel indirecte deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia, ac præstito fidelitatis Sacramento solvi posse, eamque sententiam publicæ tranquillitati necessariam. nec minus Ecclesiæ, quam imperio utilem, ut Verbo Dei, Patrum traditioni & Sanctorum exemplis consonam omnino retinendam. „

„ II. Sic autem inesse Sedi Apostolicæ ac Petri successoribus Christi Vicarijs rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant, atque immota consistant, sanctæ œcumenicæ Synodi

subest, & ab alijs dependet, sive singillatim spectatis, sive simul conjunctis: neque ullo modo intelligi potest, quomodo Summus Pontifex habere possit necessariam, & essentialem relationem ad unitatem Ecclesiæ formandam, & intrinsece constituendam, ita ut vere, & recte vocari possit hujus unitatis centrum, nisi sub hoc respectu, quia Episcopi tam dispersi, quam in generali Concilio simul congregati, ad illum subordinati esse debent, non autem ille ad Episcopos: præterea sicut ex eo, quod Episcopus quilibet est caput, & Pastor suæ Ecclesiæ particularis, cujus regimini præpositus est, sequitur, quod illi non modo singuli suæ diœcesis fideles su-

„ Constantiensis a Sede Apostolica comprobata, ipsoque romanorum Pontificum, ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia gallicana perpetua religione custodita decreta de auctoritate conciliorum generalium, quæ Sess. IV. & V. continentur: nec probari a gallicana Ecclesia, qui eorum decretorum, quasi dubiæ sint auctoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus concilij dicta detorqueant. „

„ III. Hinc apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos, & totius mundi reverentia consecratos; Valere etiam regulas, mores, & instituta a regno & Ecclesia gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos, atque id pertinere ad amplitudinem Apostolicæ sedis, ut statuta & consuetudines tantæ sedis & Ecclesiarum consensione firmatæ propriam stabilitatem obtineant. „

„ IV. In fidei quoque quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse judicium, nisi Ecclesiæ consensus accesserit. „

„ V. Quæ accepta a Patribus, ad omnes Ecclesias gallicanas atque Episcopos iis Spiritu Sancto autore præsidentes mittenda decrevimus; ut idipsum dicamus omnes; simulque in eodem sensu, & in eadem sententia. „

besse debeant, sed etiam Ecclesia ejus tota simul, ita etiam ex hoc eodem titulo, quod summus Pontifex est Caput, Pastor, & Rector, totius Ecclesiæ, ei subesse debet etiam ejus Ecclesia tota, id est non solum fideles simplices, sed etiam Pastores fidelium, & quidem non solum quatenus dispersi existunt per Ecclesias particulares, sed etiam quatenus in Concilio congregati Ecclesias illas simul, & conjuntim repræsentant; ac proinde in hoc casu Summus Pontifex est supra, non infra Concilium generale: huc accedit quod omne Concilium, quantumvis generale, sine Summo Pontifice nunquam potest esse legitimum extra casum schismatis, & incerti Pontificis, est enim semper necessario acephalum, & sine capite; ut supra cap. 2. notatum est.

Postremo, ut quædam breviter dicamus etiam de auctoritate Conciliorum particularium, nullum plane ex illis est infallibile in suis definitionibus quibuslibet, etiam illis de fide, & moribus; quia Christus nulli particulari Ecclesiæ, sed universali tantum suam promisit perpetuam præsentiam; ac proinde singula hujusmodi Concilia possunt errare non solum in factis, & in rebus ad disciplinam, atque ad externos ritus spectantibus, in quibus errare possunt etiam Concilia generalia, sed etiam in fide: neque tamen propterea spernenda est universim illorum auctoritas, nam generatim aliud est, quod possint, errare, aliud vero quod erraverint, & continuo errent: maxime quando sermo est de Concilijs hujusmodi, quæ legitime, vel jam celebrata fuerunt, vel etiam celebrari in Ecclesia pergunt: de cætero enim de conciliabulis, quæ ab hæreticis olim congregata fuerunt, illa essentialiter debere esse semper erronea, utpote ab erronibus congregata, dubium esse non potest.

Deinde neminem latet, quod primis Ecclesiæ sæculis, & tempore persecutionum, antequam a Constantino magno pax & tranquillitas ei reddita esset, non solum severior Ecclesiæ disciplina, sed etiam fides ipsa pura, & salva conservata fuerit, & hæreses jam tunc emergentes suppressæ, sola vigilantia Episcoporum, & præsertim Summorum Pontificum, atque auctoritate Conciliorum particularium (Vid. cap. 1. Nota 1.) quæ subinde, quando per calamitatem illorum temporum fieri licuit, celebrata fuerunt: unde fit, quod non parva haberi debeat de istorum Conciliorum auctoritate in Ecclesia Dei existimatio: ea autem regulariter loquendo est semper in ratione directa numeri Episcoporum, ita ut quo plures simul convenerint, eo major futura sit istorum Conciliorum auctoritas, dummodo tamen in illorum celebratione nulla defuerit ex illis conditionibus, quas superiori capite, ad legitimam celebrationem Conciliorum requiri dictum est: Et universim loquendo Concilia nationalia, Provincialia, & Diœcesana, habent semper vim legis apud illam nationem, Provinciam, & Diocesim, in qua, & apud quam celebrata fuerunt: prout Canonistæ, & Theologi communiter statuunt.

SYNOPSIS HISTORICA

Brevem generalium Conciliorum notitiam exhibens (1).

Præter Concilium Constantiense, & Basileense, quæ duo supra cap. I. jam rejecta sunt in numerum Conciliorum generalium, quæ partim approbata, & partim reprobata fuerunt, e numero Oecumenicorum Conciliorum sine dubio excludi debet etiam Concilium Pisanum anno 1409. occasione schismatis inter Gregorium XII. alias Angelum Corarium: & Benedictum XIII. alias Petrum de Luna, a vigintiduobus Cardinalibus Pisas convocatum, in quo dejecto a Pontificatu tam Gregorio, quam Benedicto, Pontifex renuntiatus fuit Alexander V. prius Petrus Philaretus dictus, ex Ordine Minorum (Vid. sect. 3. cap. 3. cap. 3. Nota 4.) Nam licet convocatio illius censeri possit legitime facta, quia tamen schisma, ad quod abolendum convocatum fuerat, extinctum non est, sed auctum potius, quippe quia neque Gregorius, neque Benedictus eidem paruit, factum est,

(1) Præcipuæ conciliorum generalium Collectiones sunt sequentes: nimirum 1. Severini Binnij Tomi IX. 2. Omnium Conciliorum generalium & Provincialium Collectio regia Vol. XXXVII. 3. Conciliorum Collectio maxima græce & latine ad Philippi Labbei & Gabrielis Cossartij labores haud modica accessione facta cum novis locupletissimis Indicibus studio Joannis Harduini Vol. XII. 4. Sacrosancta Concilia ad regiam editionem exacta studio Philippi Labbei & Gabrielis Cossartij insertis Stephani Baluzj & Joannis Harduini additamentis cura Nicolai Coletti Volum. XXIII. & 5. Nova & amplissima collectio evulgata a Dominico Mansi Archiepiscopo Lucensi Vol. XXVI.

ut hoc modo tres eodem tempore existerent, qui ad summi Pontificatus dignitatem contenderent: & quia magna pars Hispaniæ, & Italiæ cum cæteris nationibus, Gallis duntaxat exceptis, illud numquam tanquam legitimum habuerunt, non videtur, quomodo inter Concilia Oecumenica locum jure occupare valeat.

Itaque primum, illudque celeberrimum Concilium Oecumenicum est Nicænum I. sub Sylvestro Papa, & Constantino Magno Imperatore Nicaeæ in Bytinia celebratum, anno 325. Ad illud præter mille circiter Presbyteros convenerunt ex omnibus mundi partibus Episcopi 318. adfuerunt etiam tres legati Romani Pontificis, nimirum Hosius Cordubensis Episcopus, qui Concilio præsedit, Vitus, & Vincentius, ambo romanæ Ecclesiæ Presbyteri: interfuit quoque Constantinus Imperator: in eo damnata fuit hæresis Ariana, & Arius Alexandrinæ Ecclesiæ tunc Presbyter, a quo hæresis originem, & nomen accepit, anathemate percussus: præterea in eo conditum fuit symbolum fidei cum inserto vocabulo *Homousion*; quo Verbi divini cum Patre consubsantialitas declaratur: deinde damnati fuerunt *Quartodecimani*, ita dicti ab eo, quia Pascha celebrabant more Judæorum quartadecima luna mensis Martij, in quamcumque hebdomadæ diem incidisset, & statutum fuit, ut deinceps in tota Ecclesia celebraretur Dominica proxime sequenti ad prædictam lunam 14. Martij: tandem fuit compositum Schisma Meletianum conflatum a Meletio Episcopo Lycopolis, qui postquam in persecutione Maximini idolis immolasset, & propterea jam anno 305. Synodali sententia a S. Petro Alexandrino Patriarcha damnatus, & ab Episcopatu depositus fuisset, cum hoc non obstante ordinationes, & alia Episcopalia munera peragere non

cessaset, in hoc Concilio iterum damnatus est: permissum tamen fuit, ut Meletius ipse retento nomine Episcopi sine alijs insignibus Lycum reverteretur, & statutum, ut illi, qui ab ipso tempore schismatis ordinati fuerant, subjecti deinceps existerent Alexandrino Episcopo: de numero Canonum, qui in Concilio isto editi fuerunt, magna est dissensio: nam quidam ajunt constare ex S. Athanasio fuisse LXX. Arabice autem habentur LXXX., qui etiam in latinum versi fuerunt; communiter non agnoscuntur tanquam authentici, nisi tantum XX.

Sequitur Concilium Sardicense convocatum a Julio I. Summo Pontifice anno 347. sub Constantio, & Constante Imperatoribus, in quo novis suffragijs stabilita fuerunt, quæ Patres Nicæni statuerant: & quia Canones hujus Concilij sæpe laudantur ab antiquis sub nomine Canonum Nicænorum, ideo habetur communiter tanquam continuatio sive appendix ad Concilium Nicœnum.

Alterum Concilium Oecumenicum est Constantinopolitanum I. sub Damaso Papa, & Theodosio seniore imperante Constantinopoli celebratum anno 381. ad istud Concilium intervenerunt imprimis Episcopi catholici 150. & præterea etiam 36. Macedoniani, qui tamen omnes, cum noluissent approbare vocabulum *Homousion* a Concilio Nicœno consecratum, quod approbare jussi fuerant, a Concilio ipso discesserunt antequam finiretur: in eo confirmata fuit fides Nicœna, & conditum novum Symbolum, in quo magis explicite declarata fuit Spiritus Sancti divinitas contra hæresim Macedonianam, & quod idem est, quo nunc utitur Ecclesia inter Missarum solemnia, cum addita particula *filioque*, quæ sæculo IX. in publicis orationibus adjungi cæpit adversus schisma græcorum a Photio excitatum, cujus fautores etiam

a recta fide desciverunt in eo quod doceant Spiritum Sanctum a Patre, non autem a Filio procedere. Præterea in hoc Concilio damnati fuerunt, & anathemate percussi prædicti hæretici Macedoniani, sic dicti a Macedonio Archiepiscopo Constantinopolitanio, qui etiam *Pneumatomachi* vocantur, quia negabant divinitatem Spiritus Sancti: item damnati rursus fuerunt Ariani, Sabbelliani, Photiniani, & Apollinaristæ, & postremo post depositum ab Episcopatu Maximum Pseudoepiscopum Constantinopolitanum, & S. Gregorio Nazianzeno sponte Episcopatum illum abdicante, suffectus eidem fuit Nectarius vir Senatorij ordinis (2).

Tertium Concilium Oecumenicum est Ephesinum celebratum Ephesi ab Episcopis 274. sub Cœlestino Papa, & Theodosio juniore imperante anno 431.: in eo damnatus fuit Nestorius, qui duas in Christo dogmatizabat personas, & affirmabat Deum, & hominem conjunctione morali tantum in eo conjunctos fuisse, atque ideo Beatam Virginem Mariam hominem tantum, non autem etiam Deum peperisse: præterea damnatus fuit etiam Pelagius, qui negavit originale peccatum, & docuit gratiam secundum merita dari, qui jam antea sæpe damnatus fuerat, nimirum Romæ sub Innocentio I., & deinde sub Zosimo Papa,

(2) Concilium istud celebratum a solis Episcopis Orientalibus evasit Œcumenicum, quia Damasus Papa, qui eodem tempore aliud convocaverat ex occidente Concilium in eadem causa Romæ celebrandum, eidem adhæsit, & rata habuit, quæ contra Macedonium in illo definita & statuta fuerunt: quod autem attinet ad Canones & ad reliqua gesta, ea in occidente recepta non fuerunt ut patet ex S. Gregorio Magno lib. 6. Epist. 31. ubi ait: *Romana Ecclesia eosdem Canones vel gesta illius Synodi hactenus non habet, nec accipit: in hoc autem eandem Synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum.*

atque etiam in duobus plenarijs Concilijs Affricanis: & universim in eo Concilio propugnata fuit una in Christo persona, divina scilicet, & inter utramque naturam divinam scilicet, & humanam, unio illa, quam Theologi *hypostaticam*, sive unionem subsistentiæ appellant, ex qua unione intelligitur in Christo duas naturas subsistere in unitate personæ; atque sancitum, quod Beata Virgo Maria *Deipara* sive ut græci loquntur *Theotocos*, non vero *Christotocos*, seu *Christipara* tantum, ut Nestoriani docebant, appellari debeat.

Quartum Concilium Oecumenicum est Calcedonense sub Leone I. Pontifice, & Marciano Imperatore celebratum anno 451. adversus hæresim Eutychianam Nestorianæ oppositam; adfuerunt Episcopi 690. in eo damnatus fuit Eutyches, a quo hæresis nomen accepit, docens in Christo unam tantum esse sicut personam, ita etiam naturam, ex divina, & hnmana permixtam. Prætera damnatus fuit Dioscorus Patriarcha Alexandrinus præcipuus ejusdem hæresis fautor atque Promotor, qui anno 449. Concilium sua auctoritate Ephesum convocavit, quod vulgo in scholis latrocinium Ephesinum appellari consuevit, in quo Eutychen ipsum ab omni errore absolvit, Flavianum vero Constantinopolitanum Episcopum, qui eidem hæresi adversabatur, atrocissime tractavit, & postremo etiam Leonem Summum Pontificem anathemate damnavit. Ulterius in hoc concilio discussa fuit, & pertractata causa Theodoreti, & Ibæ Edesseni Episcopi, qui ambo cum se plene purgassent ab hæresi Nestoriana, de qua accusati fuerant, & anathema quoque dixissent in Nestorium, in communionem recepti sunt, & a nota hæresis absoluti, ut supra dictum jam fuit: Porro Concilium istud absolutum fuit actionibus XVI:, & conditi canones XXX. inter quos 28.,

& 29. in quibus Sedi Constantinopolitanæ attribuitur primus locus post romanum Pontificem, pleno suo vigore in Ecclesia Occidentali semper caruerunt donec in Concilio IV. Lateranensi sub Innocentio III. expresse confirmati non fuissent.

Quintum Concilium Oecumenicum est Constantinopolitanum II. sub Vigilio Papa, & Justiniano Imperatore Constantinopoli celebratum anno 552. convenientibus Episcopis 155. omnibus fere Orientalibus; ad istud Concilium Vigilius Papa quamvis tunc Constantinopoli præsens esset, nunquam intervenire voluit, nec per se, nec per legatos suos, propterea quod nulli in eo adessent Episcopi Occidentales, consensit tamen, ut eidem præsideret Eutychius: in illo confirmata fuerunt quatuor superiora Concilia, generalia, & conditi Canones seu Anathematismi 34. contra hæreses in præcedentibus concilijs jam damnatas, & alij 15. contra errores Origenis; damnata quoque fuerunt tria famosa capitula: idest scripta Theodori Mopsuesteni, quibus hæresim Nestorianam promovebat, una cum suo auctore; & secundo scripta Theodoreti, quibus anathematismos S. Cyrilli Alexandrini contra Nestorium oppugnabat; ac tandem Epistola Ibæ ad Marim Persam, in qua multa laude Theodorum Mapsuestenum prosequebatur (3).

(3) Celebrationem hujus Concilij assignant complures ad annum 549., de eo autem notandum est, quod licet illud Vigilius Papa post reditum suum in Urbem Constituto suo confirmaverit, & idipsum quoque præstiterint subsecuti Pontifices Pelagius I. Joannes III. Benedictus I. & Pelagius II. ut affirmat Laurentius Berti in Breviar. histor. ad sæcul. VI. cap. 2., nihilominus tanquam oecumenicum & legitimum diu non agnoverunt complures occidentis Ecclesiæ & Episcopi, neque nisi sæculo IX. ab omnibus tanquam legitimum agnitum & receptum fuit: & videtur quod occidentales Ecclesiæ atque E-

Sextum Concilium Oecumenicum est Constantinopolitanum III. celebratum anno 680. sub Agathone Papa, & Constantino Pogonato Imperatore: adfuerunt secundum Annales græcorum Episcopi 289., sed præter legatos Apostolicos subscripti habentur tantum 166. in eo damnata fuit hæresis Monothelitarum, quæ est surculus quidam seu Appendix hæresis Eutychianæ: nam sicuti Eutychiani asserebant unam tantum in Christo naturam, ita Monothelitæ dogmatizabant in illo unam tantum voluntatem, & unam Operationem, quam *theandricam*, seu *deovirilem* nominabant: præterea damnati fuerunt, & anathemate percussi præcipui hujus hæresis fautores, inter quos errore facti simplicis, ut dictum fuit sect. 3. cap. 3. Prop. 5.

piscopi ita constanter rejecerint Concilium istud ex numero Conciliorum Œcumenicorum, quia putabant nefas esse quintum ad quatuor modo memorata superaddere, quæ ab ipsis communiter habebantur tanquam quatuor Evangelia, ut patet ex Epist. 24. S. Gregorij Magni ad Joannem Antiochenum, de qua supra cap. 3. in probat. & iterum ex lib. 3. Epist. 37. ad Constantium, qui eidem significaverat, quod Epistolam illius ad Theodolindam minime consignaverit, eo quod in illa mentio fieret V. Synodi, cui propterea respondens Summus Pontifex in citata Epistola inquit: *quod autem scripsistis quia Epistolam meam Reginæ Theodolindæ transmittere minime voluistis, pro eo quod in in ea quinta Synodus nominabatur, si eam exinde scandalizari posse credidistis, recte factum est, ut minime transmitteretis. Unde nunc ita facimus, sicut vobis placuit, ut quatuor Synodos solummodo laudaremus*: quæ omnia confirmari possunt ex Baronio ad annum 556. ubi celeberrimus iste Annalium scriptor testatur dicens: *adeo visi sunt exhorruisse occidentales Antistites fere omnes aliam Oecumenicam Synodum post quartam admittere, ut nec potuerit Pelagius reperire Episcopos Romæ, a quibus consecraretur: atque opus fuerit Presbyterum Ostiensem, quod nunquam antea accidisset, loco Episcopi munus istud obire ipso Pelagio ita jubente.*

in Resp. 1. ad 2. Opp. connumeratus fuit etiam Honorius I. Romanus Pontifex: ac tandem damnata fuit *Ecthesis* Heraclij Imperatoris, idest Monothelitica fidei expositio jam antea a Joanne IV. condemnata, in qua una tantum in Christo voluntas, & una tantum actio enuntiabatur: & præterea etiam *Typus* Constantis, sive edictum jubens, ut non diceretur una vel duplex voluntas in Christo; qui pariter jam antea damnatus fuerat a Martino I. simul cum *Ecthesi* prædicta anno 649. in suo Concilio Romano 105. Episcoporum.

Sequitur Concilium Trullanum de quo supra cap. 1. quod in Ecclesia Græca, & apud Novatores, ut ibi dictum est, pro generali suscipitur, quod tamen a Romanis Pontificibus Sergio I., & Joanne VII. expresse reprobatum fuit: in eo conditi sunt Canones 102. inter quos plerique notari merentur, tanquam absurdi, illi præsertim quibus castitas, sive cælibatus Clericorum palam concutitur.

Septimum Oecumenicum Concilium est Nicænum II. sub Adriano I. Papa imperantibus Constantino IV., & Irene illius Matre celebratum anno 787. adfuerunt Episcopi circiter 350. una cum legatis Apostolicæ sedis; in eo damnati fuerunt *Iconomachi*, sive *Iconoclastæ*, quorum duces fuerunt Leo Isauricus, Constantinus Copronymus, & Leo Armenus, omnes Orientis Imperatores, qui sacras imagines, & Cruces confringebant, dogmatizantes, earum venerationem ad idolatriam pertinere (4).

(4) Adversus Concilium istud ejusque legitimam auctoritatem non diu post illius celebrationem valde pugnatum est in occidente: nimirum jam anno 794. reprobatum fuit in Concilio Francofordiensi, cui interfuerunt plusquam tercenti Episcopi, una cum legatis Adriani summi Pontificis, & Ca-

Octavum Concilium Oecumenicum, & ultimum in Oriente celebratum est Constantinopolitanum IV. sub Adriano II. Papa, & Basilio Imperatore anno 869., causam illud celebrandi præbuit Photius, qui ope Michaelis Imperatoris, & Bardæ Cæsaris, Patriarchalem sedem Constantinopolitanam invaserat dejecto exinde Sancto Ignatio. Interfuerunt autem, & Concilio

rolo magno, & postea etiam a Concilio Parisiensi anno 824. Praeterea insectarunt illud etiam celeberrimi complures illorum temporum scriptores, sicuti sunt inter alios Jonas Aurelianensis, Agobardus Lugdunensis & Hincmarus Rhemensis, ut nihil dicamus de libris Carolinis, qui vulgo Carolo Magno adscribuntur, licet non desint, qui scriptos fuisse putant, non sua manu, sed illo jubente: verum omne id, quod ex ista controversia jure hic colligi potest, consistit in eo, quod tam memorata duo Concilia, quam praedicti scriptores mentem VII. Concilij generalis non probe perceperint; nam si attente expendantur, quae in Concilio Francofordiensi & Parisiensi decreta & gesta fuerunt, fit manifestum quod revera ab illis nihil aliud reprobatum fuerit, quam cultus *Latriæ*, qui ex vi primi praecepti soli Deo debitus est, & anathema inflictum illis, qui Sacris imaginibus eandem ac Deificae Trinitati venerationem impendunt: siquidem Concilium Francofordiense Canone 2. ita loquitur: ***Altera est in medium quæstio de nova græcorum Synodo*** (idest VII.) ***quam de adorandis imaginibus Sanctorum Constantinopoli fecerunt, in qua scriptum habebatur; ut qui imaginibus Sanctorum, ita ut Deificæ Trinitati servitium aut adorationem non impenderent anathema judicarentur***; in qua re profecto deceptum fuit Concilium istud; quippe actione 7. Concilij VII. generalis, in qua definitum fuit Imagines Christi, Beatae Mariae Virginis, Angelorum & Sanctorum virorum retinendas esse, cultus, quem Patres Imaginibus sacris exhibendum esse statuerunt, vocatur expresse ***honoraria adoratio***: & ne quis falso existimare posset honorariam istam adorationem accipiendam esse de cultu *latriæ*, statim subjungitur, ***non tamen ad veram latriam, quæ secundum fidem est, quæque solam naturam divinam decet impertiendam***: ut intelligatur a Concilio nullum alium sacris ima-

subscripserunt Episcopi 109. neque enim ad subscribendum admissi fuerunt alij, qui stabant a partibus Photij invasoris: in eo fuit auctoritate Concilij in sedem suam iterum restitutus S. Ignatius, & depositus Photius, anathemate in ipsum pronuntiato, & firmato calamis *in Sacro Calice intinctis* (5).

Ad istud Concilium notandum est primo, quod depravato paulatim ex suggestionibus Basilij Imperatoris animo Joannis VIII., qui fuit immediatus Adriani II. in Pontificatu successor, defuncto jam S. Ignatio, Photius, consentiente summo Pontifice, ad eandem sedem restitutus fuerit: qui etiam, ut erat animo in schisma semper proclivis, novum Concilium Constantinopoli celebrandum convocavit anno 879. cui interfuerunt Episcopi 383., in quo suppressum fuit Concilium superius tanquam illegitimum, & pro-

ginibus praescriptum fuisse cultum, quam illum, qui in scholis *duliæ* vocatur, & ex mente Concilij *a vera latria* in eo distinguitur, quia non est nisi *honoraria adoratio*: ac proinde non erravit VII. Synodus, quae generalis erat, quam Patres Francofordienses Constantinopoli factam ajunt, quia Constantinopoli incaepta fuit, & postea Nicaeam translata, sed erravit Concilium Francofordiense, quod particulare fuit; & erraverunt cum illo etiam Concilium Parisiense, & scriptores omnes reliqui, qui Concilium Francofordiense secuti sunt, existimantes a Concilio Sacris imaginibus statutum fuisse cultum, qui *Deificæ Trinitatis* proprius est: sicuti non incongrue etiam inde colligitur, quia ubi ab occidentalibus postea intellectus fuit germanus Concilij sensus, receperunt illud tanquam legitimum ejusque definitionibus adhaeserunt non solum Francofordiensis & Parisiensis, sed occidentis Ecclesiae omnes.

(5) Osiander apud Albertinum *in Interesse Christianarum Religionum* artic. 9. narrat, quod etiam Theodorus Pontifex scripturus excomunicationem contra Pyrrhum Archiepiscopum Constantinopolitanum, calamum in consecratum calicem instillaverit.

scripta particula *filioque*, qua significabatur processio Spiritus Sancti a Patre, & Filio, & quamquam cum Ioanne VIII. communionem servaverit, postea tamen adversum animum erga sedem Romanam pertinaciter palam semper ostendit: ex quo factum est ut ab omnibus schismatis Græcorum, quod usque ad hodiernam diem in Ecclesia illa obtinet, principalis auctor merito habeatur.

Secundo notandum pariter est, quod, cum Joannes iste VIII. propter debilem illius animum, quo se ita facile inflecti permisit, ut versipellem Photium in sedem Constantinopolitanam restitueret, jocculariter fortassis, ut sæpe fieri solet, fœmina vocatus esset, magna probabilitate non careat, quod ab ista denominatione joculari suam sumpserit originem fabula illa, quam otiosi narrant de *Joanna Papissa*, quæ sedem Petri duobus annis occupaverit (6), & quam non solum Catholici omnes, sed

(5) Conjecturam istam suggerit nobis Baronius ad annum 879. num. 5. dicens: *Hinc puto factum, si quæ tamen veritatis, vel saltem species mendacij apertissimi esse potuit, quod ob nimiam Joannis animi facilitatem et mollitudinem, abjecta penitus omni virilitate fractus animo, Sacerdotalis constantiæ expers, atque robore enervatus, non Papa, ut Nicolaus, et Hadrianus, sed Papissa fuerit contumeliæ loco dictus utpote quod, qui nec resistere sciret Eunucho, quique vinceretur a semiviro, non vir, sed esset fœmina potius nuncupandus; et sic nomen contumeliæ transierit posteris rerum inscijs in veritatis opinionem: atque a compluribus decantatum fuerit Joannem VIII. Papam fuisse fœminam, sicque jactata vulgo invenerit locum fabula*: ut autem pateat non penitus spernendam esse conjecturam istam, juvabit hic breviter observare, quod duo tantum ab amatoribus hujus fabulae afferantur scriptores paulo antiquiores, qui factum enarrant, scilicet Marianus Scotus Monachus Fuldensis, & Martinus Polonus; qui tamen ambo a tempore, quo factum contigisse ferunt,

plurimi etiam ex hæreticis scriptoribus, sicuti sunt Conringius, Caveus, & alij quoque complures, tanquam meram fabulam explodunt.

Nonum Concilium Oecumenicum, & primum ex Occidentalibus est Lateranense I. sub Callisto II. Papa, & Henrico V. Imperatore in Ecclesia S. Joannis in Laterano celebratum anno 1123. præsidente ipso Summo Pontifice: adfuerunt Episcopi 300. Causæ autem illud celebrandi erant tres præcipuæ; nimirum Primo Reformatio abusuum, qui in Ecclesiam irrepserant in conferendis ab Imperatoribus Investituris feu-

valde distant, neque ullum producunt vel contemporaneum, vel qui a contemporaneo aliquo teste acceperit, scriptorem, ex quo notitiam istam hauserint: nam ille natus est anno 1024. & denatus anno 1086., iste vero supremum diem obijt anno 1278. id est integris fere quatuor saeculis a tempore quo Joannam in sede Petri sedisse enarrat; praeterea Marianus Scotus refert factum ipsum simpliciter in suo Chronico dicens, *anno 853. Leo Papa obijt Kalendis Augusti, huic successit mulier annis duobus mensibus quinque diebus quatuor*: & nihil amplius neque de ejus educatione, de amoribus, de partu, de morte, & sepultura, quae tamen omnia prosequitur in suo Chronico Martinus Polonus inquiens. *Post hunc Leonem* (scilicet hujus nominis IV.) *Joannes Anglus natione Moguntinus, qui alibi legitur fuisse Benedictus III.* (ubi autem ? non indicat) *sedit annis duobus mensibus quinque diebus quatuor* (ut affirmavit Marianus); *et cessavit Pontificatus mense primo: mortuus est Romæ: hic ut asseritur fæmina fuit, et cum in pupillari ætate a quodam suo amasio in habitu virili Athenas ducta fuit, in diversis sciensijs ita profecit, ut nullus sibi par inveniretur, adeo ut post Romæ triennium legens magnos magistros discipulos, et auditores haberet, et cum in Urbe vita et scientia magnæ opinionis esset, in Papam concorditer eligitur: sed in Papatu per suum familiarem impraegnatur: verum tempus partus ignorans, cum de Sancto Petro in Lateranum tenderet angustiata inter Colosseum et Sancti Clementis Ecclesiam peperit, et postea mortua ibidem,*

dorum imperialium, quæ Episcopis, & Abbatibus conferebantur per traditionem annuli, & baculi Pastoralis: *secundo* promovenda contra Saracenos expeditio ad recuperandam Ecclesiæ terram Sanctam; ac tandem; *tertio* extirpatio Simoniæ, & concubinatus, quibus vitijs non pauci, etiam ex Clero infecti erant: in eo Concilio Henricus remisit Ecclesiæ liberam Ecclesiasticarum dignitatum electionem, & consecrationem: Callistus vero concessit Imperatori ut electiones Episcoporum, & Abbatum regni germanici fierent illo præsente, sed absque Simonia, & violentia; atque ut electi acciperent ab illo Regalia, seu feuda, vel per sceptrum, vel aliud signum externum, minime vero per baculum, & annulum pastoralem, quippe quod ista sint signa denotantia Ecclesiasticam jurisdictionem, ad quam conferendam Imperatori jus nullum est (7).

ut dicitur, *sepulta fuit*: Profecto autem si ista Martinus ipse perscripsit, & non potius in chronicum illius a fabulatore quodam post obitum suum ex mulierum narrationibus intrusa fuerunt, sicuti non sine solidis rationibus eruditi permulti suspiciunt, & breviter demonstrat etiam Laurentius Berti in Brev. hist. ad saecul. IX. cap. 1., quis non videt, quod tota ista narratio, cui tamen tanquam unico fundamento nititur uniuersa haereticorum turba, quae fabulam istam tanquam alterum quoddam Evangelium suscipit, quis inquam non videt, quod ipsa per se maximam ingerit suspicionem, quod Martinus in ea anilem fabulam secutus fuerit: siquidem quid aliud significant verba illa *ut asseritur*, *ut dicitur* nisi animum fluctuantem & incertum testimonium? huc accedit quod recepta ab omnibus chronologia Pontificum nullum reliquit pro Joanna Papissa locum vacuum post Leonem IV. ut ostendit imprimis Philippus Labbeus in Opusculo, *Cenotaphium Joannæ Papissæ etc. eversum funditusque excisum demonstratione Chronologica ineluctabili*: quod extat in ejus Collect. Concil. Tom. VIII. pag. 154. edit. Paris. 1671.

(7) Damnatae fuerunt inve-

Decimum Concilium Oecumenicum est Lateranense II. sub Innocentio II. Papa, & Lothario II. Imperatore celebratum anno 1139. adfuerunt Episcopi, & alij Prælati circiter mille. Causæ pariter erant tres, *primo*: Extinctio schismatis inter ipsum Innocentium II., & Petrum Leonis sub nomine Anacleti; & hoc defuncto alterius Pseudo Pontificis, qui Victor IV. dicebatur; *secundo*: Hæresis Petri de Bruis & Arnoldi de Brixia; & *tertio*: Reformatio disciplinæ Ecclesiasticæ. In hoc Concilio rescissa fuerunt acta Pseudo Pontificis Anacleti II., & damnati sunt primum *Petrobrusiani* sic dicti a memorato Petro de Bruis, qui docebat Baptismum non prodesse ad salutem parvulis ante usum rationis susceptum: evertenda esse templa, & confringendas Cruces: item in Eucharistia non contineri verum Christi corpus, & mortuos nihil juvari sacrificijs, & orationibus fidelium viventium: deinde damnati sunt etiam Arnoldistæ, ita dicti ab Arnaldo de Brixia, qui dogmatizabat, *nec Clericos proprietatem, nec Episcopos regalia, nec Monachos possesiones habentes aliqua ratione posse salvari*, ut narrat Otto Frisingensis de gestis Friderici I. lib. 2. cap. 21. (8). Tan-

stiturae primum in Synodo romana a S. Gregorio VII. & iterum in alia anno 1080., in qua idem S. Pontifex Henricum IV. qui erat Pater Henrici V. de quo hic sermo est, anathemate percussum imperio & regno exutum esse declaravit, propterea, praesertim quod maxima audacia jus investiturarum in omnes Episcopos sibi subjectos exerceret, ita ut etiam electiones illorum libere fieri non sineret, nec concedebat cuiquam fruitionem bonorum temporalium, nisi per traditionem baculi & annuli pastoralis, quae sunt insignia, non temporalis sed Ecclesiasticae jurisdictionis.

(8) Arnoldus a Brixia, ut refert citatus Otto Frisingensis immediate post verba adducta, docebat quoque *cuncta* (Idest

dem damnatæ iterum fuerunt investituræ; item Simonia, atque Nicolaitarum turpitudines, idest abominabile vitium concubinatus, quod illis temporibus fere commune erat, præsertim inter potentiores, ita ut quasi legitimus crederetur. Tandem conditi fuerunt Canones 30., inter quos eminet famosus Canon. 15. qui ita se habet: *item placuit, ut si quis suadente diabolo hujus sacrilegij reatum incurrit, quod in Clericum, vel Monachum, violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere, nisi mortis urgente periculo, donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat. Præcipimus etiam, ut in eos, qui ad Ecclesiam,*

Regalia, & Monachorum possessiones) *Principis esse, ab ejusque beneficentia in usum tantum laicorum cedere oportere*; quae hic notatu digna videntur, ut appareat cujus auctoris doctrinam secuti sint temporibus nostris bonorum Ecclesiae raptores: atque ut simul appareat, quam sortem in Ecclesia Christi habeant, qui illa illegitime retinent, placet hic apponere Canonem 5. hujus Concilij, qui ita se habet: *illud autem quod in sacro Chalcedonensi constitutum est Concilio* (Can. 22.) *irrefragabiliter conservari præcipimus. Ut videlicet decedentium bona Episcoporum a nullo omnino homine diripiantur, sed ad opus Ecclesiæ & successoris sui in libera œconomi & Clericorum permaneant potestate. Cesset igitur de cætero illa detestabilis & sæva rapacitas: si quis autem ammodo hoc attentare præsumpserit excomunicationi subjaceat: qui vero morientium Presbyterorum, vel clericorum bona rapuerit simili sententiæ subjiciantur*. Praeterea notatu hic dignissimus est etiam Canon 24., qui ad hanc materiam spectat, Concilij Chalcedonensis, & qui statuit. *Quæ semel voluntate Episcopi consecrata sunt monasteria, perpetuo manere monasteria, & res quæ ad ea pertinent, servari, eaque non amplius fieri sæcularia habitacula, eos autem, qui hoc fieri permittunt, canonum pœnis subjici.*

vel cæmeterium confugerint, nullus omnino manum mittere audeat. Quod si fecerit excomunicetur.

Undecimum Concilium Oecumenicum est Lateranense III. sub Alexandro III., & Friderico I. Imperatore celebratum anno 1179., adfuerunt Episcopi 300., inter quos etiam aliqui Orientales: causæ illud celebrandi erant *primo*, Reformatio disciplinæ, & *secundo* Hæresis Waldensium, & Albigensium; ac tandem, *tertio* etiam schisma Octaviani Antipapæ, qui Victor V. dicebatur, & aliorum trium Pseudopontificum. In hoc Concilio, cui præfuit Alexander ipse, ad vitandum schismata, exclusis omnino ab electione Summi Pontificis Clero inferiori, & populo, statutum fuit atque decretum, ut Pontifex deinceps eligeretur a solis Cardinalibus, *& ille absque ulla exceptione ab universali Ecclesia Pontifex habeatur, qui a duabus partibus concordantibus electus fuerit, & receptus*, ut habetur Cap. *licet* in sexto *de Electione*. Postremo conditi fuerunt Canones 27. ad disciplinam præcipue spectantes (9).

Waldenses, quorum auctor fuit Petrus Waldus de Lugduno, qui propterea etiam *Pauperes de Lugduno* dicti sunt, quia paupertatem fanaticam profitebantur; nec a vero multum abesse videtur, quod *les sans culottes*, qui in theatro gallicæ revolutionis primas partes agebant, essent surculus istorum hæreticorum; & Albigenses sic dicti ab *Alba Helviorum*, seu *Albiga* Galliæ Urbe, in qua frequentissimi insederunt, dogmatizabant, *Ecclesiam Romanam*

(9) In hoc Concilio inita fuit concordia inter Alexandrum III & Fridericum I. qui per viginti duos annos apertas inimicitias & simultates cum Alexandro fovens, utpote Schismaticis Pontificibus continuo addictus, tandem ad saniora consilia conversus una cum Episcopis & Principibus sibi adhaerentibus schisma ipsum ejuravit.

a Sylvestri tempore defecisse, ac modo esse vitiorum omnium sentinam; jejunia, ritus, indulgentias, obedientiam Ecclesiasticis Prælatis exhibendam, juramentum, res esse inutiles, & interdictas: nullum dari Sacramentum præter baptismum, & Eucharistiam: hanc etiam a Laicis confici sola recitatione orationis Dominicæ, & Sacerdotes in grave peccatum lapsos consecrandi amittere potestatem: ita noster Laurentius Berti in Brev. Hist. ad sæcul. XII. cap. 3. quorum errores, ut attendentibus patet sæculo XVI. maxima ex parte resuscitarunt Lutherus: & Calvinus.

Duodecimum Concilium Oecumenicum est Lateranense IV. sub Innocentio III. Papa, & Friderico II. Imperatore celebratum anno 1215., adfuerunt Episcopi 412., inter quos Patriarcha Constantinopolitanus, & Jerosolemitanus, nec non Abbates, & alij Prælati plusquam octingenti una cum Oratoribus omnium fere Principum Christianorum. Causæ illud celebrandi erant, *primo* ut restitueretur disciplina Ecclesiæ tunc plurimum depravata; *secundo* ut ageretur de liberanda Palæstina a Turcarum Tyrannide; & *tertio* ut damnarentur iterum errores Albigensium, qui præter illos, qui ipsis communes erant cum Waldensibus, de quibus supra, admittebant etiam alios sibi proprios; nempe duo principia bonum unum, & malum alterum; præterea negabant corporum resurrectionem, & docebant quoque transmigrationem animarum de uno corpore in aliud; ex Sandero apud Labbeum Tom. X. Concil. pag. 1534., in hoc Concilio, cui præsedit summus Pontifex ipse, pertractata quoque fuit causa Joachimi Abbatis, cujus extant futurorum Pontificum vaticinia, & qui, ut refert Eymericus in directorio Inquisitorum part. 2. quæst. 7. docuit, *Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum esse unum non unitate essentiæ; & natu-*

ræ, sed unitate callectiva; sicut cum dicimus quod multi homines sunt unus populus: deinde etiam causa Almarici, qui ex Spondano ad annum 1204. docebat: *quemlibet fidelem omnino teneri credere se esse membrum Christi, ita ut dum a Judæis Christus pateretur, una cum ipso quique fideles dolorem fuerint revera perpessi*; in eo autem editi fuerunt Canones septuaginta: in decimotertio prohibetur, ne quis de cætero novam religionem inveniat; & præscribitur, ut quicumque voluerit ad Religionem converti, unam de approbatis assumat: in 21. statuitur. Ut *omnis utriusque sexus fidelis* (sunt verba Canonis) *postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur saltem semel in anno proprio Sacerdoti, & injunctam sibi poenitentiam studeat pro viribus adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha Eucharistiæ Sacramentum, nisi forte de consilio proprij Sacerdotis ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abstinendum: alioquin, & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur; & moriens Christiana careat sepultura* (10); & in

(10) Quod Confessio Sacramentalis, sive secreta & auricularis, quae a graecis, *Exomologesis* vocatur, a Christo ipso instituta sit, nulla ratione inficiari potest; nam Joan. cap. 20. v. 22. Christus dedit Apostolis eorumque successoribus potestatem plenissimam remittendi & retinendi peccata dicens *accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, igitur constituit eos judices peccantium: at vero Christus non potuit illos constituere judices peccantium, quin simul intelligatur tulisse legem, ut peccatores sese accusarent de peccatis quantumvis occultis: siquidem Judex, ut in comperto est apud omnes, judicare non potest, nisi cognita causa: proinde merito per Concilium Tridentinum sess. 14. can. 7. ju-

Canone 68. jubentur Judæi, & Saraceni inter Christianos degentes gestare externum aliquod vestimenti genus, quo a Christianis discernantur. Præterea Concilium istud primum est, a quo ad explicandum in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento mutationem panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Domini nostri

betur esse anathema, qui dixerit confessionem peccatorum jure divino non esse necessariam; & halluciuantur quam maxime Novatores, dum affirmant eandem in Concilio IV. Lateranensi sub Innocentio III. primitus institutam fuisse: nam in hoc Concilio nihil aliud actum fuit, neque aliud quidquam in canone citato 21. sancitum, nisi ut illud, quod ex Christi institutione in Ecclesia plenissime jam obtinebat, cum inter fideles neglectum jaceret, certo & statuto tempore ad praxim reduceretur: & nihil plane ad rem hanc facit, quod ajunt haeretici, nimirum si confessio ista auricularis, ut eam vocant, antiquissima est in Ecclesia, & ex Christi institutione, qua auctoritate illam abrogavit Nectarius in Sede Constantinopolitana Sancti Gregorij Nazianzeni successor? qui ut testatur Socrates lib. 5. hist. cap. 19. Presbyterum pœnitentiarium de Ecclesia sua ita removit, *ut unumquemque pro arbitrio, & pro animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem sineret accedere*: nam Nectarius non abrogavit confessionem secretam, seu auricularem, sed publicam, & coram testibus: neque removit pœnitentiarium destinatum ad audiendas Confessiones fidelium ab excipiendis eorum confessionibus, nisi propter scandalum ortum ex confessione publica, quae tunc obtinebat, etiam occultorum peccatorum, & quidem occasione mulieris cujusdam nobilis, quae ut ibidem Socrates testatur *hoc modo*, idest publice *confessa est Ecclesiæ diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse*: ex qua confessione factum est *ut Ecclesiastici homines dicterijs appeterentur*: ac proinde amovit tantum pœnitentiarium destinatum ad excipiendum confessiones publicas occultorum peccatorum, & quoniam juxta illorum temporum disciplinam nullus publicae pœnitentiae addictus admitteretur ad Eucharisticam communionem, sine istius Pœnitentiarij testimonio, ex quo constaret, quod pœnitentiae sibi impositae ab eo

Jesu Christi adhibitum fuit *Transubstantiationis* vocabulum.

Decimumtertium Concilium Oecumenicum est Lugdunense I. sub Innocentio IV. Lugduni in Gallia celebratum anno 1245. præsedit Innocentius ipse, & adfuerunt Episcopi 140. præter S. R. E. Cardinales; item

stadium accurate decurrisset, intelligitur quomodo eo sublato unusquisque pro arbitrio, & animi sui conscientia ad communionem Sacramentorum, ut subjungit Socrates, libere jam accedere posset: nempe istud intelligi debet, non de libertate, quae omnem excluderet legem confitendi peccata sua in secreto, sed de libertate comparate ad tempus praecedens, in quo stante auctoritate Pœnitentiarij, publicis Confessionibus praepositi, difficilis erat accessus ad sacram communionem omnibus, qui vel vere publice peccaverant, vel etiam de peccato aliquo hujus generis notorie suspecti habebantur: de caetero enim nullus plane ex scriptoribus illorum temporum loquitnr de alia abrogatione confessionis, quam de illa, quae eidem occasionem praebuit, & quae, ut dictum est, non privata, sed publica fuit: & Sanctus Joannes Chrysostomus immediatus Nectarij in Episcopatu successor, licet in abrogatione publicae confessionis praedecessoris sui exemplum secutus esset, quod etiam aliae Orientales Ecclesiae complures tunc praestiterunt, attamen varijs in locis inculcat expresse necessitatem Confessionis privatae: & speciatim hom. 30. in cap. 11. Genes. num. 1. ubi ait *quia in magnam hanc hebdomadam Dei gratia pervenimus, nunc maxime . . . . facienda diligens ac pura peccatorum confessio*: neque his obstat quod idem S. Doctor hom. 3. de pœnit. num. 4. inquit *soli Deo peccatum tuum dic. . . . et dimittitur tibi*, nam eo loci ita loquitur, ut significet necesse non esse, ut confessio fiat palam, & coram testibus: generatim enim Confessio Sacerdoti facta in secreto, perinde se habet, ac si soli Deo fieret: & apud graecos Presbyter Pœnitentiarius ad se accedentem in actu confessionis sic alloquitur: *ne verearis, non enim mihi, sed Deo, coram quo stas, peccata tua enuntias*: ut testatur Goarius in rituali graecorum pag. 679. edit. Paris. anno 1647.

Patriarchæ tres, Constantinopolitanus, Antiochenus, & Aquilejensis: atque Balduinus Latinus in Oriente Imperator, cum Oratoribus omnium fere Christianorum Principum: causas illud celebrandi enumerat Innocentius ipse in Oratione ad Patres: sunt autem; *primo* excessus Prelatorum, aliorumque Clericorum: & *secundo* Irruptio Tartarorum per Hungariam, Poloniam, aliasque finitimas provincijs istis adjacentes regiones Christianas: *tertio* Schisma græcorum abolendum, & *quarto* amissio terræ sanctæ: ac tandem *quinto* Friderici II. Imperatoris crimina, ejusque in Ecclesiam Romanam persecutio (11), qui propterea etiam actione 3. anathemate percussus, & Imperio privatus fuit: in hoc Concilio conditi sunt Canones XVII., & concessus primum S. R. E. Cardinalibus ruber pileus in signum, *quod in persecutione fidei, & justitiæ Romana Ecclesia, quæ caput est omnium Ecclesiarum, præ cæteris debet caput apponere, si necesse fuerit, cruentandum*, ut notat Nangius apud Thomassinum in opere de Veteri, & Nova disciplina Eccles. lib. 2. part. 1. cap. 113. ad finem.

Decimumquartum Concilium Oecumenicum est lugdunense II. sub Gregorio X. Papa, & Rodulpho I. Habsburgensi, a quo domus Austriaca propagata fuit,

(11) Fridericus II. ut colligi potest ex sententia ab Innocentio prolata adversus illum, reus habebatur. 1. Violatae pacis inter Ecclesiam & Imperium initae. 2. Sacrilegij in captura & violenta detentione Cardinalium & Episcoporum, qui ad Concilium a Gregorio IX. Romam convocatum pergebant. 3. Invasionis Patrimonij Sancti Petri. 4. Contemptus censurarum, quibus a Gregorio IX. innodatus fuerat. 5. Oppressionis Ecclesiae in electione suorum Antistitum, ac tandem. 6. Frustrationis census Romanae Ecclesiae debiti propter Siciliam, quam jure beneficiario ab eadem Ecclesia possidebat.

celebratum anno 1274. adfuerunt Episcopi 500. Abbates 70., & Prelati alij complurimi. Præsedit Gregorius ipse, sed jubente Pontifice cuncta in eo directa fuerunt a Sancto Bonaventura. Causæ illud celebrandi erant tres præcipuæ: nimirum prima, restauranda Unio græcorum cum Ecclesia latina: secunda, promovenda inter Principes Christianos expeditio ad recuperandam terram Sanctam: & tertia, Reformatio disciplinæ Ecclesiasticæ: in hoc Concilio conclusa tandem fuit communio inter græcam, & latinam Ecclesiam: & græci in eo palam professi sunt processionem Spiritus Sancti a Patre, & Filio: præterea auctoritate Gregorij X. edita quoque fuit nova Constitutio præscribens modum circa electionem Summi Pontificis Vid. sect. 3. cap. 2. Nota 11.

Decimumquintum Concilium Oecumenicum est Viennense, Viennæ in Gallia celebratum anno 1311. sub Clemente V. summo Pontifice: qui perspiciens Italiam varijs factionibus agitatam, ne illis etiam ipse implicaretur, substitit in Gallia: erat enim Archiepiscopus Burdigalensis, & absens a Conclavi electus fuit in summum Pontificem Perusiæ die 21. Julij, & coronatus Lugduni 14. Novembris 1305. Hic primus fuit, qui sedem Apostolicam Avenionem transtulit, ubi annis fere 70. permansit: adfuerunt huic Concilio Patriarcha Alexandrinus, & Antiochenus, atque Episcopi tercenti, aliorum autem Prælatorum ex Joanne Villano ingens plane numerus. In eo suppressus, & extinctus fuit celeberrimus illorum temporum equestris *Ordo Templariorum* dictus, qui gravissimorum criminum reus putabatur; (12), & quo-

(12) Sancita fuit & Decreta totalis & perpetua hujus Ordinis abolitio post duorum millium testium adversus illum depositionem, & post confessionem praecipuorum ejusdem

niam opibus redundabat, & plurima possidebat bona temporalia, maxime vero in Germania, & in Gallia, proinde eadem addicta fuerunt partim Fisco regio, & partim Equitibus Sancti Joannis de Malta: Præterea in hoc Concilio emanatum fuit decretum de Festo Sanctissimi Corporis Christi per totam Ecclesiam quotannis solemniter celebrando feria V. post octavam Pentecostes: item in eo damnati fuerunt Beguardi, & Beguini, Fraticelli, & Dulcinistæ, qui omnes turpitudinibus varij generis polluti duas fingebant Ecclesias, unam paupertate præditam, & virtuosam, quam summa jactantia ipsorum esse ajebant; & alteram carnalem, atque delicijs affluentem, de qua impudentissime affirmabant; quod illius Romani Pontifices haberent dominium.

Ad Concilium istud in ordine temporum sequitur Concilium Pisanum celebratum anno 1409., de quo sect. 3. cap. 3. Nota 4., & ab initio hujus Synopsis: quod hic de eo observandum superest, consistit in eo, quod illud diversi Scriptores generale fuisse, & esse reputant; præsertim ex Gallicanæ Ecclesiæ doctoribus: Bellarmino autem lib. I. de Concilijs cap. 8. nec approbatum nec reprobatum esse existimatur: & S. Antoninus in 3. part. Chron. tit. 22. cap. 5. §. 2. vocat *Conciliabulum*: in eo, ut locis citatis dictum fuit, depositis a Pontificatu Gregorio XII., & Benedi-

Ordinis Professorum: ac proinde dubitari nullatenus potest, quin aequissima fuerit pronuntiata in illum totalis extinctionis sententia: sunt autem qui putant, & fortassis non sine gravi fundamento, quod liberi muratores, seu spiritus fortes, ut passim vocantur, a templarijs istis suam repetant originem: dictum est non sine gravi fundamento: nam mysteriosa illa Salomonici templi fabricatio, qua se muratores isti detineri, & occupari palam gloriantur, prodit per sese, quod templariorum surculi existant.

cto XIII. ad Summum Pontificatum assumptus fuit Alexander V. quem omnes tanquam Pontificem legitimum agnoscunt; ut videre est apud Natalem Alexandrum in hist. Eccl. sæcul. XV., & XVI. diss. 2. num. 19.

Sequitur deinde Concilium Constantiense celebratum anno 1415. quod inter Concilia partim approbata, & partim reprobata numerandum esse dictum est cap. 1. licet a Theologis Gallis fere communiter tanquam legitimum, & Oecumenicum Concilium XVI. integre, & ex omni parte recipiatur: adfuerunt autem in illo Patriarchæ IV., & Episcopi cum alijs Prælatis circiter tercenti; adfuit etiam Sigismundus Imperator, & Oratores Principum Christianorum fere omnium. Causæ illud celebrandi erant tres: nimirum prima, & præciqua extinctio Schismatis, quo Ecclesia plusquam triginta annis lacerata erat: secunda Reformato Ecclesiasticæ disciplinæ, quæ Schismatis tempore magis semper corrupta fuit; ac tandem tertia, defensio, & explicatio Catholicæ fidei adversus errores Wicleffi, Joannis Hus, & Hieronymi de Praga: in hoc Concilio de quo Vid. etiam Sect. 3. cap. 3. Nota 4. damnati fuerunt articuli 45. tanquam notorie hæretici, erronei, scandalosi etc. Joannis Wicleff., & 25. Joannis Hus Præsbyteri, & in Academia Pragensi professoris: præterea tam Joannes Hus, quam Hieronymus de Praga, traditi fuerunt sæculari potestati, a qua uterque igne crematus, & combustus fuit; ille quidem quia pertinaciter errores suos abjurare recusabat: iste autem quia in errores a Joanne Hus præceptore suo propugnatos, quos Sessione 19. publice ejuraverat, iterum cum pervicacia relapsus erat.

Sequitur tertio Concilium Basileense indictum a Martino V. anno 1424. die 19. Februarij celebrandum

anno 1431. in quo etiam reipsa celebrari cæpit die 19. Maij ab Eugenio IV. qui convocationem Martini prædecessoris sui ratam habuit, ut dictum est supra cap. 1. Concilium istud sub ejus initium fuisse legitimum consentiunt omnes; sed postea maxime vero quando Sess. 34. habita die 25. Junij anno 1439. iniquam depositionis sententiam in Eugenium ipsum pronuntiavit, & postquam ausu temerario die 5. Novembris alium elegit Pontificem scilicet Amedeum Sabaudiæ ducem qui Felix V. vocatus est (13), tunc profecto ex omnium consensu evasit certissime Concilium Satanæ; dictum est autem ex omnium consensu; nam revera exceptis paucis gallicanis Doctoribus cæteri Theologi fere omnes statuunt evasisse illegitimum, & nullius plane auctoritatis statim, quando sese opposuit constitutionibus, & literis Summi Pontificis, vel saltem quando Eugenius IV. anno 1438. illud expresse dissolvit, & auctoritate sua Ferrariam convocavit, sed progrediamur ad alia.

Decimumsextum ab omnibus receptum Concilium Oecumenicum est Florentinum sub Eugenio IV. Papa, & Alberto II. Imperatore celebratum anno 1439. indictum autem, & convocatum fuerat anno superiore Ferrariam, sed ob pestem ibi grassantem translatum fuit Florentiam; præsedit ei Eugenius ipse; & adfuerunt Episcopi 141. tam ex Oriente, quam ex Occidente, una cum Joanne Palæologo græcorum Imperatore, causa fere unica illud celebrandi erat unio græcorum cum Ecclesia Latina, & post diversas at-

(13) Agebat is protunc vitam Eremiticam ad lacum Lemannum, & perstitit pertinax in retinenda Pontificia dignitate ad biennium usque post mortem Eugenij IV. postea tamen idest anno 1449. subjecit se Nicolao V. Eugenij successori, & ad pristinam Eremum reversus est.

que longas disceptationes de Primatu Papæ, de Azymo adhibendo in Eucharistia, de processione Spiritus Sancti, & de additione in Symbolo particulæ *filioque*, idest de præcipuis capitibus, quæ utramque Ecclesiam divisam retinent, conclusa tandem fuit concordia, cui græci omnes subscripserunt, excepto Marco Ephesino, qui unus subscribere noluit: atque ita etiam factum est, ut concordia inita inter utramque Ecclesiam etiam hac vice, sicut illa firmata sub Gregorio X. in Concilio II. Lugdunensi, non diu duraverit: nam Marcus iste Ephesinus ita pertinax perstitit, ut exemplo suo redux in patriam totam Græciam in pristinum schisma iterum induxerit: Absolutum fuit Concilium Sessionibus XXV. e quibus XVI. habitæ fuerunt Ferrariæ, & reliquæ IX. Florentiæ, Huic Concilio subjectum est decretum Eugenij IV. pro instructione Armenorum, & editum fuit post discessionem Græcorum a Concilio (14).

Decimumseptimum Concilium Oecumenicum est Lateranense V. sub Julio II. Papa anno 1512. inchoatum, & sub Leone X. anno 1517. absolutum imperante Maximiliano I. adfuerunt primæ Sessioni Episcopi 94., inter quos Cardinales XV., & Patriarcha Alexandrinus, & Antiochenus, crevit tamen postea Episcoporum, & Cardinalium numerus ad centum quatuordecim, præter Prælatos alios, & Doctores complurimos. Causa fere unica illud celebrandi erat aboli-

(14) Concilium istud Florentinum est primum Œcumenicum, in quo post diuturnas & acerrimas disputationes, quae maxime efferbuerunt eo tempore, quo floruit, & inter vivos egit Joannes XXII. qui ad Summi Pontificatus apicem evectus fuit anno 1316. in quo expresse definitum fuit, quod animae justorum plene in hac vita purgatae statim post mortem assumantur ad fruendum intuitiva Dei visione.

tio conciliabuli cujusdam Pisani, quod Mathæus Longus Gurcensium Episcopus, & Cardinalis Pisas convocaverat cum alijs quatuor Cardinalibus anno 1511. occasione dissidiorum inter Julium II., & Ludovicum XII. Galliæ regem; & pax componenda inter Christianos Principes, ut junctis eorum armis bellum in Turcas moverent: in hoc Concilio rescissa fuerunt omnia acta prædicti conciliabuli, & statutæ pœnæ in Clericos, & Laicos blasphemiæ, & nefandi criminis reos; item abrogata fuit celebris *Pragmatica Sanctio*, & substitutum in ejus locum Concordatum inter Leonem X., & Franciscum I. Galliæ regem (15).

(15) *Sanctio Pragmatica* ut refert noster Laurentius Berti in Brev. hist. ad saeculum XVI. cap. 1. *est Constitutio edita in Synodo Bituricensi anno* 1438. *sub Carolo VII. Galliæ Rege, qua auctoritas Concilij præfertur auctoritati Pontificis, Episcoporum electio committitur Collegio Canonicorum, expectativis gratijs locum esse non sinit, prohibet beneficiorum reservationem, declarat possessionem triennalem esse sufficientem ipsorum beneficiorum titulum, numerum Cardinalium ad XXIV. coarctat, aliaque Apostolicæ sedi injuriosa, et in viginti tres articulos distributa definit*, porro pragmaticam istam sanctionem, ut loco citato prosequitur laudatus auctor *Eugenius IV. Pius II. alijque romani Pontifices frustra delere tentarunt, donec per Concordatum inter Leonem X. et Franciscum I. anno 1516. concessa Regi nominatione Episcoporum, reservata Pontifici confirmatione, alijsque articulis, aut omissis, aut emendatis sedata est controversia*. De hoc autem Concordato inter Leonem X. & Franciscum I. singulariter hic notandum remanet, quod ipsum iterum confirmatum fuerit, & ad pristinum vigorem revocatum conventione inita inter summum Pontificem Pium VII. & Regem Christianissimum Ludovicum XVIII. publicata in Concistorio secreto die 28. Julij anno 1817. & in qua primo loco habetur articulus sequens nimirum *Concordatum inter Summum Pontificem Leonem X. et Franciscum I. Francorum Regem initum restituitur*.

Decimumoctavum, & ultimum usque ad nostra tempora Concilium Oecumenicum est Tridentinum, Tridenti ad Italiæ confinia anno 1545. sub Paulo III. Papa inchoatum, postea sub Iulio III. continuatum, ac tandem anno 1563. sub Pio IV. absolutum, imperantibus interim Carolo V., & Ferdinando I. Causæ illud celebrandi erant, *primo* errores Lutheri, Calvini, & Zuvinglij, per totam ferme Germaniam, aliasque eidem adjacentes provincias longe lateque disseminati, & *secundo* reformatio Cleri ac populi Christiani: Adfuerunt teste Villalpando apud Bellarminum lib. I. de Conc. cap. 5. *Sex Cardinales*, *quatuor Legati*, *Patriarchæ tres*, *Archiepiscopi triginta duo*, *Episcopi ducenti vigintiocto*, *Abbates quinque*, *Generales Ordinum Ministri septem*, *Episcoporum procuratores plurimi*. Item adfuerunt Oratores fere omnium Principum, & Regum Christianorum, & magnus Theologorum, ac Jurisperitorum numerus: absolutum autem fuit Sessionibus XXV., e quibus primæ decem habitæ sunt sub Paulo III. nimirum octo Tridenti, & duæ Bononiæ, quo Concilium transferri debuit propter pestem, quæ Tridentum penetraverat: & sex sequentes iterum Tridenti sub Julio III. atque reliquæ novem ibidem sub Pio IV., porro *quidquid inter nos*, ut notat Laurentius Berti in Brev. hist. ad sæcul. XVI. cap. 2., *& hæreticos controvertitur præmissis pluribus discussionibus, hæc sacrosancta Synodus declaravit, ac definivit: nimirum Canonem divinarum scripturarum, Apostolicas traditiones, doctrinam de peccato originali, de justificatione, de gratia, numerum, & effectus Sacramentorum, partes pænitentiæ, transubsantiationem Eucharisticam, sacrificium Missæ, quæ pertinent ad matrimonium, sacrarum imaginum, & reliquiarum, usum, venerationem, & cultum; ijs, quæ*

ad reformationem Episcoporum, Clericorum, Monachorum, cunctorumque fidelium videbantur necessaria, luculenter expositis, & constitutis.

Ad Concilium autem istud notandum est primo, quod Paulus III. illud primum indixerit celebrandum *Mantuæ* anno 1536., & anno insequenti *Vincentiæ*; sed cum nec in illam, nec in istam Civitatem consentirent Germaniæ Principes, convocatum tandem fuit Tridentum anno 1542. ubi etiam celebrari incœpit, ut dictum est supra anno 1545. Dominica tertia Adventus imperante Carolo V., & celebratio ejus bis interrupta fuit: nempe semel anno 1547. usque ad annum 1551., & iterum anno 1552. usque ad an. 1562. ac tandem feliciter absolutum est anno 1563.

Secundo notandnm est, quod Carolus V. Imperator, postquam anno 1547. suspensa fuisset, & intermissa celebratio hujus Concilij, ut discordias, quæ causa religionis in Germania semper magis effervescebant, aliquo modo compesceret, promulgare jusserit famosum illud Edictum, quod sub nomine *Interim* innotescit; nimirum vocabulo initiali ejusdem Edicti, in quo jubebatur, ut omnia in eo contenta stricte observarentur, donec controversiæ illæ, quæ germaniam religionis causa dividebant, per Oecumenicum Concilium non essent ex integro definitæ. Porro autem in isto *Interim* continebantur viginti-sex capita, ad doctrinam, & disciplinam spectantia, inter quæ erant duo præcipua doctrinæ Ecclesiæ Romanæ manifeste contraria, nempe unum, quo permittebatur conjugium Sacerdotibus; alterum vero, quo concedebatur laicis sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie: & cum in eodem ex altera parte invenirentur quoque diversa capita, quibus coercebatur prurigo illa hæreticorum, qua omnia innovare tentabant, factum est, ut edictum istud

Imperatoris neque Catholicis, neque hæreticis probaretur, ut notat celeberrimus historiæ Concilij Tridentini scriptor Pallavicinus lib. 10. cap. 17.

Tertio denique notandum est, quod auctoritate Summi Pontificis Pij IV. Constitutione hac de re edita 7. Kalendas Februarij 1564. in qua etiam acta hujus Concilij confirmantur, cautum fuerit, ne a quopiam privata auctoritate commentarij, & interpretationes in acta ejusdem Concilij vulgarentur, atque pro solvendis dubijs, quæ circa decreta morum, & disciplinæ quocunque tempore etiam in futurum, & a quibusvis demum suscitari fortassis possent, instituta deinceps fuit specialis Congregatio Cardinalium Sacri Concilij Tridentini interpretum, quæ postea a summis Pontificibus Pio V., & Sixto V. confirmata, & ampliata fuit.

SECTIO V.

DE ROMANO PONTIFICE

CAPUT I.

De Primatu Romani Pontificis.

Multiplex, atque diversa in Romano Pontifice considerari potest prærogativa: est enim Romanæ Urbis Episcopus, Archiepiscopus Provinciæ, ut ajunt, Suburbicariæ, & Italiæ, ac totius Occidentis Primas, & Patriarcha, & postremo Caput universi Orbis Christiani visibile, atque in terris Christi Vicarius (1); nos relictis cæteris spectabimus illum in præsenti Exercitatione secundum prærogativam postremo loco positam: nimirum quatenus est Caput totius Ecclesiæ sive quod idem est, quatenus primatum habet in universam Ecclesiam.

Jam vero prærogativa ista non competit Romano Pontifici, nisi propterea, quia est Successor divi Petri, cui illa primum a Christo attributa fuit: & quia hæretici posteriorum temporum Lutherani, scilicet, &

(1) Dum praerogativae istae in Romano Pontifice seorsim considerantur, putandum non est, quod alius sit romanus Pontifex, & alius summus Pontifex totius Ecclesiae, quasi in eo considerari debeant duae distinctae potestates, vel duo distincti Episcopatus, unus romanae urbis, & alter Ecclesiae universae, sed unus tantum, & idem, ille scilicet, in quo Petro succedit, idest Episcopatus totius Ecclesiae, & quidem non solum unitate personae, sed etiam unitate & identitate Pontificatus, sicuti alius non est, sed unus, idemque Rex civitatis regiae, & totius regni,

Calvinistæ, nihil fere majori odio insectantur in Romano Pontifice, quam dignitatem Primatus, ex qua, ut infra videbimus capite IV., immediate descendit suprema illius auctoritas definiendi res fidei, & morum, atque illimitata potestas regendi, & pascendi Ecclesiam universam: ideo studium præcipuum, & industriam fere omnem in eo impendunt, ut neque Petrum cæteris Apostolis a Christo prælatum fuisse, neque ejus successorem Romanum Pontificem majorem, quam cæteri Episcopi in Ecclesia Dei auctoritatem habere ostendant: ac propterea ordo postulat, ut prærogativam istam prius in Petro vindicemus, postea vero in Romano Pontifice: unde sit.

Propositio I. S. Petrus fuit a Christo ipso constitutus totius Ecclesiæ Caput, & Rector, seu quod idem est, accepit primatum in universam Ecclesiam.

Prob. Principio Christus Dominus voluit Petrum non solum comitem in actionibus suis magis conspicuis, sicuti sunt ambulatio super mare, Math. c. 14. v. 29. solutio didrachmæ invento statere in ore piscis, Math. c. 17. v. 26. transfiguratio in monte ibid. v. 2. resuscitatio filiæ Jair, Lucæ c. 8. v. 51. sed voluit etiam, ut super ipsum, tanquam super petram, ædificaretur Ecclesia sua Math. c. 16. v. 18. ut traditis ipsi clavibus regni cœlorum seorsim a cœteris Apostolis, præ cæteris omnibus summam haberet ligandi, & solvendi potestatem: ibidem vers. 19. ac tandem ut, præ alijs pasceret agnos, & oves suas: Joan. cap. 21. v. 16., & 17. jam vero ratio fundamenti, quod scilicet regere, & sustentare debeat totam Ecclesiæ molem, alteri competere non potest, quam supremo totius Ecclesiæ capiti, & Rectori; & traditio clavium, atque illimitata ligandi atque solvendi potestas, sicut in civili societate, ita etiam in Ecclesia Dei alteri non convenit, quam illi, qui est summus illius gubernator,

& rector; ac tandem pascere, & regere omnes agnos, & oves Christi indiscriminatim sine ulla exceptione, proprium non est, nec esse potest, nisi primi Pastoris, qui omnibus alijs Pastoribus dignitate, & auctoritate supereminеat: præterea exploratissimum est, quod Petrus tam vivente adhuc Christo, quam post ejus mortem, dignitate Apostolos reliquos semper præcesserit, nam vivente adhuc Christo nominatur semper primus, & præ cæteris, ubicunque sermo fit de omnibus; ut patet ex Math. cap. 10. v. 2. Lucæ cap. 16. v. 16., & alijs locis passim, quamvis vocatione primus non fuerit, siquidem primus omnium vocatus est Andreas frater ejus: ut constat ex Joan. cap. I. v. 40. Post mortem autem Christi in conventibus publicis, & reliquis Apostolis præsentibus, loquitur semper primus; ut patet ex actis Apostolorum cap. I. v. 15., & cap. 2. v. 14. alijsque locis complurimis; & speciatim ex actor. cap. 15. ubi ita primus dicit sententiam in causa de observantia legalium, ut reliqui Apostoli omnes una cum Senioribus, qui in illo Concilio simul cum Apostolis aderant, in illam tanquam ab eorum capite, & Rectore prolatam sine cunctatione consentiant: profecto autem existimari non potest, vel quod Evangelistæ suo proprio arbitrio primum semper nominare voluerint Petrum, nisi certo scivissent illum a Christo reliquis Apostolis prælatum fuisse, vel quod Petrus ipse semper primus locuturus fuisset, & in dubijs primus sententiam dicturus, nisi cognovisset, quod ipse a Christo ipso constitutus esset caput, & Princeps cœterorum: huc accedit quod Petrus seipsum tamquam Principem, & caput cæterorum semper se gesserit, ut patet ex tota Evangelica historia: nam primo Math. cap. 16. postquam Christus quæsivisset ab Apostolis vers. 15. *vos autem quem me es-*

se dicitis. Petrus respondet nomine omnium vers. 16. dicens: *Tu es Christus filius Dei vivi*, & Math. cap. 19. v. 27. solus Petrus sollicitus de sorte omnium confratrum suorum audet a Christo petere, qua mercede ipsum secuti essent, dicens *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis?* ac tandem Joan. cap. 6. postquam multi discipulorum recessissent a Jesu, & ipse conversus ad duodecim dixisset eis, *nunquid, & vos vultis abire?* solus Petrus omnium nomine confidenter respondet, vers. 69. dicens: *Domine, ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes, & nos credimus, & cognovimus quia tu es Christus filius Dei*. Atqui omnium nomine loqui, & curam de omnibus gerere, non competit, nisi illi, qui princeps est, & caput aliorum; ergo Petrus fuit constitutus a Christo ipso totius Ecclesiæ caput, & Rector.

Idem evincitur perspicue etiam ex constanti Ecclesiæ fide, quam nobis manifestat nunquam interrupta Sanctorum Patrum traditio: nam sæculo primo S. Dionysius Areopagita, qui vixit circa annum Christi 78. in lib. de divinis nominibus, vocat Petrum, *Decus & antiquissimum theologorum culmen*: & iterum *Summum, & verticalem Apostolum*: & Tertullianus, qui exeunte secundo Ecclesiæ sæculo vixit, in lib. de Pudicitia docet, quod claves Petro personaliter commissæ fuerint, & Ecclesia super illum extructa sit: Origenes autem circa annum 250. commentar. in caput 6. Epist. ad Rom. inquit a *Petro cum summa rerum de pascendis ovibus traderetur, & supra ipsum velut petram fundaretur Ecclesia, nullius confessio, nisi charitatis exigitur*: deinde S. Cyprianus, qui eodem tempore in Affrica claruit, in Epist. ad Iubajanum non solum ostendit, quod Dominus super Petrum ædificavit Ecclesiam suam, sed etiam,

quod Petrus primus fuerit, cui solvendi potestas tradita est, & a quo origo unitatis suum duxit exordium, dum ait: *Petro primum Dominus, super quem ædificavit Ecclesiam, & unde unitatis originem instituit, & ostendit, potestatem istam dedit, ut id solveretur, in terris quod ipse solvisset*. Præterea Arnobius, qui circa annum 300. floruit Comment. in psal. 138. vocat Petrum *Episcopum Episcoporum*: & S. Ambrosius, qui ad finem quarti sæculi vixit, *firmamentum omnium*, & serm. 48. de Fide nominat illum *Magistrum Ecclesiæ*: Sanctus autem Hieronymus in exposit. in psalmum 13. vocat eum *Principem Apostolorum*, & *caput Ecclesiæ*: & S. Hilarius *felix Ecclesiæ fundamentum*: in Comment. in Mathæum: Ulterius S. Basilius Cæsariensis Episcopus, & vetustissimus post gentilium persecutiones inter græcos Theologus, in lib. 2. contra Eunomium de Petro loquens, ait: *qui per fidei excellentiam Ecclesiæ ædificationem in seipsum suscepit*, & S. Cyrillus Jerosolemitanus in Catech. 11. *omnibus* inquit *Apostolis reticentibus Petrus Princeps Apostolorum, & supremus Ecclesiæ Præco, non commniniscens sibi, neque ratione humana persuasus, sed a Patre Deo in mente illuminatus, dicit ad ipsum, tu es Christus filius Dei vivi*, & universim innummera propemodum produci possent ex qualibet aetate patrum, & Ecclesiasticorum scriptorum testimonia, ex quibus indubie *agnoscitur Petrus in figura gestasse personam Ecclesiæ* ut loquitur S. P. Augustinus enarrat. in psal. 108. num. 1. non ob aliam causam nisi *ob Primatum, quem in discipulos habuit*: ut loco laudato subjungit laudatus Doctor, ac proinde jure etiam concludi debet cum S. Eucherio in serm. de Natali SS. Petri, & Pauli, ubi expendens potestatem, quam Petrus a Christo accepit, dum illi pascendos agnos,

& oves commisit Joan. cap. 21. inquit: *prius agnos, & deinde oves commisit Petro: nam non solum Pastorem, sed & Pastorum pastorem eum constituit: omnium ergo Pastor est, quia præter agnos, & oves in Ecclesia nihil est* sive generatim S. Petrus fuit a Christo ipso constitutus totius Ecclesiæ caput, & Rector; seu quod idem est, accepit primatum in universam Ecclesiam.

Solvuntur opposita argumenta.

Opp. I. Petra illa, super quam fundanda promittitur Ecclesia, Math. cap. 16. non est Petrus, sed est vel Christus ipse, ut interpretatur S. P. Augustinus, præsertim in tract. 124. in Joannem dicens: *ideo quippe ait Dominus, super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, quia dixerat Petrus tu es Christus filius Dei vivi: super hanc ergo petram inquit, quam confessus es, ædificabo Ecclesiam meam: Petra enim erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus: fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*, vel etiam fides, sive confessio Petri, ut docet inter alios S. Hilarius Pictaviensis in lib. 2. de Trinit. dicens *unum igitur hoc est immobile fundamentum, una hæc est felix fidei petra, Petri ore confessa*: & lib. 6. ubi ait *hæc fides Ecclesiæ fundamentum est, per hanc fidem infirmæ adversus eam sunt portæ inferorum*. Præterea etiam claves, de quibus fit sermo eo loci v. 19. non promittuntur uni Petro, sed Ecclesiæ in persona Petri: ut iterum docet S. P. Augustinus loco supra citato dicens: *quando ei* (scilicet Petro) *dictum est, tibi dabo claves regni cælorum .... universam significabat Ecclesiam*: & in serm. 295. de Na-

tali Apostol. Petri, & Pauli inquit idem S. Doctor; *has claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiæ*. Ergo ex Verbis Christi Math. cap. 16. nihil plane concludi potest in favorem primatus Petri.

Respond. Ad primum *dist.* per petram Math. cap. 16. intelligi debet Christus ipse, sine exclusione Petri a ratione fundamenti Ecclesiæ *conc.* cum exclusione Petri; *nego* (2). Licet S. Pater Augustinus in operibus suis per petram, super quam ædificanda promittitur Math. cap. 16. Ecclesia Christi, sæpe doceat intelligi debere Christum ipsum, quem Petrus ibi confessus est, inde tamen minime sequitur, quod Sanctus Pater excludat Petrum a ratione fundamenti, super quod construenda erat Ecclesia Christi: nam primo in tractata illo 124. in Joannem loquitur præcise de Petra, quatenus est *summus lapis angularis* super quem ædificatum est ipsum fundamentum Apostolorum, &

(2) Ut intelligatur, quomodo universim hujus generis argumenta, desumpta scilicet ex diversa sacrae Scripturae interpretatione Sanctorum Ecclesiae Patrum, quae in theologia saepe urgeri solent, apte & facile dissolvi possint, notandum hic breviter est; quod licet unanimis Sanctorum Patrum consensus praebeat theologo certum & infallibile argumentum pro fide, & moribus, ut suo loco dicetur (Sect. VI. cap. 2. Reg. V.) atque Tridentinum Concilium Sess. 4. jure prohibeat, ne quis ipsam sacram Scripturam contra unanimem Sanctorum Patrum consensum interpretari audeat, nihilominus in deducenda aliqua fidei veritate ex sacra Scriptura, non est necesse, ut in explicatione loci cujusdam particularis v. g. Math. cap. 16. ex quo communiter deducimus Petri primatum super universam Ecclesiam, & de quo hic loquimur, vel alterius cujuslibet, omnes, vel fere omnes Patres idem sentiant, & in eandem explicationem omnes conveniant: neque enim veritas aliqua ideo praecise est dogma fidei, quia Sancti Patres illam ostendunt ex uno eodemque sacrae Scripturae testimonio, ita ut illud in eadem significatione omnes accipiant: sed ideo, quia universim in illam

Prophetarum: sive de petra, & fundamento de quo Paulus Apostolus in 1. ad Corinth. cap. 3. v. 11. ait: *fundamentum enim aliud nemo potest ponere, præter id, quod positum est*: & super quod, ut ait loco citato S. Pater, *etiam ipse ædificatus est Petrus*: idest, loquitnr de petra, quatenus est fundamentum omnium fundamentorum, princeps, & essentiale, quod ab æterno positum est: & hoc sensu utique solus Christus est petra, solus Christus est fundamentum illud, super quod Ecclesia ejus simul cum Petro ædificata est: at vero istud nihil impedit, quin Christus ipse in tempore etiam Petro largitus sit eam dignitatem, quam ipse habet ab æterno, scilicet ut Petrus quoque esset petra, & fundamentum Ecclesiæ a Christo in tempore positum, *namque* ut ait S. Basilius homil. 28. de pœnit. *dignitates suas Jesus largitur alijs*: *largitur autem eas, nec illis spoliatur*:

consentiunt, & unanimiter judicant, quod eadem vel in manifesta traditione, vel in sacra Scriptura in genere contenta sit, licet unus illam deducat, ex uno, alter vero ex alio scripturæ testimonio: ac proinde quando Sancti Ecclesiæ Patres in explicatione unius ejusdemque loci particularis non consentiunt, nemo plane obligatur ad sequendam hanc potius, quam aliam loci illius explicationem, ubi sermo est de illis scripturæ locis, qui diversos sensus admittunt, neque unus præ alio infallibili Ecclesiæ judicio determatus existit; omnes tamen, qui christiano nomine censentur, obligantur ad amplectendum dogma ipsum, statim ac constat, illud unanimi Sanctorum Patrum consensu firmatum esse, atque vel ex manifesta traditione, vel ex sacra Scriptura legitima consequentia deductum: sicuti constat de Primatu Petri; ex quibus colligitur quod ad argumentum quodvis ratione superius dicta ex Patrum auctoritate derivatum, apte dissolvendum, satis sit, ut ostendatur, quod Sanctus ille Ecclesiæ Pater, qui diversam sequitur textus alicujus intelligentiam, in substantia a dogmate minime dissentiat.

lux est; *vos estis lux mundi*: *Sacerdos est*; *& facit Sacerdotes*: & S. Hieronymus in cap. 16. Jerem. *non solum Christus petra*, *sed & Apostolo Petro donavit*, *ut vocaretur petra*: deinde S. P. Augustinus nullibi plane excludit interpretationem illam, quæ inter Patres, & interpretes fere communis est, & in qua per petram Math. cap. 16. directe intelligendus affirmatur Petrus, neque ullibi negat Petrum esse fundamentum, super quod Ecclesia Christi ædificanda promittitur; imo vero sæpe affirmat utrumque: sic serm. 1. de cathedra Petri, qui extat in Appendice num. 74. Tom. X. edit. Parisien. anno 1635. pag. 700. ait *Petrum itaque fundamentum Ecclesiæ Christi nominavit*; *& ideo digne fundamentum hoc Ecclesia colit*, *super quod Ecclesiastici ædificij altitudo consurgit*: & sermone 2. de eadem cathedra, qui est XV. inter sermones de Sanctis ibid. pag. 411. de Petro inquit: *Pro soliditate devotionis Ecclesiarum petra dicitur*: *sicut ait Dominus*, *tu es Petrus*, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*: *petra enim dicitur*, *eo quod primus nationibus fidei fundamenta posuerit*, *& tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem molemque contineat*: *Petra ergo pro devotione Petrus dicitur*, *& petra pro virtute Dominus nuncupatur*, *sicut ait Apostolus*; *bibebant autem de spirituali sequente eos petra*, *petra autem erat Christus*: *recte consortium meretur nominis*, *qui consortium meretur*, *& operis*: sic quoque ut alia omittamus, quæ huc conferri possunt, sermone V. in festo Apostolorum Petri, & Pauli, qui est XXIX. de Sanctis in prædicto Tom. X. pag. 418. inquit de Petro: *Solus inter Apostolos meruit audire*, *amen dico tibi*, *quia tu es Petrus*, *& super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; *dignus certe*, *qui ædificandis in*

Domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, & clavis ad regnum: ac tandem quod rem omnem penitus conficit, in lib. 1. Retractat. cap. 21. ubi retractat librum, quem Præsbyter contra Epistolam Donati scripserat, affirmat expresse dicens, *in hoc libro dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in illo tanquam in Petra fundata sit Ecclesia: qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beatissimi Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait; hoc ipsa petra Ecclesiæ canente culpam diluit: sed scio me postea sæpissime sic exposuisse; quod a Domino dictum est: tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, ut super hunc intelligeretur, quem confessus est Petrus dicens, tu es Christus filius Dei vivi.... harum autem duarum sententiarum, quæ sit probabilior, eligat lector*.

Ad alterum *dist.* Ex S. Hilario nomine Petræ Math. cap. 16. intelligi debet fides, quam Petrus confessus est, conjunctim cum persona Petri: *conc.* separatim a persona Petri *nego* Principio dubitari non potest, quod confessio illa *Tu es Christus filius Dei vivi* Math. cap. 16., sive fides Petri, propter quam audire meruit, *& ego dico tibi quia, tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, non fuerit neque Joannis, neque Andreæ, neque alterius cujusdam Apostoli, quatenus erant personæ singulares, sed Petri: deinde dubitari quoque non potest, quod Petrus confessionem illam: *tu es Christus filius Dei vivi* fecerit quidem nomine omnium Apostolorum, siquidem Christus ibidem interrogavit omnes in communi dicens, *vos autem quem me esse dicitis* ita tamen, ut tam fides ista, quam publica ejus omnium nomine facta confessio, esset primo, & principaliter ipsius Petri,

quatenus erat persona singularis, eo quia illi, & non item alijs singularibus Apostolis fidem istam revelavit Pater, *qui est in Cælis*; sicut affirmat Christus ipse vers. 17. igitur sive dicatur, quod in Petra Math. cap. 16. intelligi debeat Petrus, ut tenet communior sententia, sive etiam confessio Petri a Petro facta, ut docet S. Hilarius in lib. 2. de Trinit., sive tandem fides ipsa Ecclesiæ quam Petrus in illa Confessione complexus est, ut docet idem S. Doctor in lib. 6. de Trinit., & ut cum eo docere videntur S. Ambrosius in caput 2. Epist. ad Ephes., & S. Cyrillus Alexandrinus in lib. 4. de Trinit., ac S. Joannes Chrysostomus hom. 55. in Math. semper sequitur, quod in petra etiam Petrus necessario intelligi debeat, ita ut Ecclesia etiam super Petrum fundanda esset, eo ipso quia neque fides, in confessione Petri comprehensa, neque ipsa confessio fidei a Petro, quatenus erat persona singularis, nomine omnium Apostolorum facta, ulla ratione ab eo separari potest: proindeque dum S. Hilarius, & cum eo laudati Patres docent, vel fidem Petri, vel confessionem illius fidei, esse fundamentum Ecclesiæ, accipiunt, & considerant tam unam, quam alteram simul cum ipsa persona Petri, neque aliud docent nisi quod Petrus in eo, quod recte credidit, & fidem recte confessus est, sit fundamentum Ecclesiæ.

Ad tertium *dist.* Math. cap. 16. v. 19. Claves non promittuntur uni Petro idest tanquam soli, & propter Petrum *conc.* primario & principaliter *nego*. Si propositio ista, claves non promittuntur uni Petro, ita accipiatur, ut intelligatur eas non soli Petro collatas fuisse, tunc verissima est: nam Math. cap. 18. v. 18. Christus Dominus promittit illas ex æquo omnibus Apostolis, dicens: *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram erunt ligata, & in cælo, & quæcumque solveritis ssuper terram erunt*

soluta & in cælo; si autem ita accipiatur, ut intelligatur illas Math. cap. 16. non soli Petro specialiter, & præ omnibus promissas, ac propterea etiam potissimum, & tanquam supremo omnium Apostolorum capiti deinceps quoque fuisse collatas, tunc falsa est: nam sicut ibi ad solum Petrum dixit Christus *Beatus es Simon Barjona*, non autem ad omnes, *Beati estis*, quamvis antea omnes interrogaverit, *vos autem quem me esse dicitis?* ita etiam postea, quamvis Petrus omnium nomine responderit dicens, *tu es Christus filius Dei vivi* attamen Christus non omnibus dixit: *vobis dabo claves*, sed ad solum Petrum singillatim: *Tibi dabo claves*, quibus aperte indicavit, soli Petro speciatim, & promissas fuisse, & collatas claves ligandi, & solvendi.

Ad id quod sequitur *dist.* Math. cap. 16. Claves promittuntur Ecclesiæ in persona Petri mediate *conc.* immediate *nego* nimirum, quoniam Petrus Math. cap. 16. quærenti Domino *Vos autem quem me esse dicitis* respondit nomine omnium Apostolorum, qui tunc simul cum Petro constituebant aliquo pacto Ecclesiam, quamvis nondum perfectam, siquidem Christus nondum erat glorificatus, non est incongruum asserere, quod Claves ibidem promissæ, & postea etiam datæ fuerunt Ecclesiæ, quatenus est societas fidelium omnium: sed sub diverso respectu; nempe Petro, ad quem fit promissio, tanquam ad illum cujus proprie erat confessio: *tu es Christus Filius Dei vivi*, promissæ, & datæ fuerunt immediate, tanquam supremo Ecclesiæ capiti: Ecclesiæ autem promissæ, & datæ fuerunt mediate, & per Petrum, ita ut Petrus sit ille, qui illas a Christo immediate accepit, Ecclesia autem quatenus est collectio, & societas fidelium, mediate, & in persona Petri, eo sensu quo mox uberius dicturi sumus.

Ad primam probat. *dist.* Ex S. P. Augustino Petrus significabat Ecclesiam, quando illi promissæ fuerunt claves, tanquam illius visibile caput, & Principalis, atque primarius ejus Pastor, & rector *conc.* tanquam purus, & merus illius Procurator, & minister *nego* duplici modo potest quis significare alium, & figuram atque personam alterius gerere; nempe primo auctoritative, idest quatenus auctoritate, & jurisdictione sibi inhærente alterum representat, sicut Imperator in Imperio, & rex in regno suo, ex quibus ille jure suo imperium totum, hic vero regnum suum proprie repræsentat; & secundo ex commissione, idest quatenus quis auctoritate ab altero accepta vices illius supplet, atque exercet, sicut faciunt Procuratores, & administratores alieni patrimonij universim: jam vero quotiescumque S. P. Augustinus affirmat, quod Petrus, vel significaverit Ecclesiam, vel figuram aut personam ejus gesserit, loquitur semper non de hoc secundo modo, sed de priori: nam ex mente Sancti Doctoris tota ratio, cur Petrus, vel significavit Ecclesiam, vel figuram aut personam ejus gessit, quando illi vel promissæ, vel traditæ fuerunt claves, non consistit in alio, quam in Primatu, quem in Discipulos habuit; ut ipse diserte, & expresse affirmat pluribus in locis, & præsertim enarrat. in Psal. 108. ubi inquit: *Sicut enim quædam dicuntur, quæ ad Apostolum Petrum proprie videntur pertinere, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cum referuntur ad Ecclesiam, cujus ille agnoscitur in figura gestasse personam, propter Primatum, quem in Discipulos habuit, sicut est tibi dabo claves regni Cælorum*. Profecto autem iste Primatus, quem Petrus *in Discipulos habuit*, & propter quem agnoscitur gestasse in figura personam Eccle-

siæ, & *universam Ecclesiam significavit*, ut affirmat S. P. Augustinus in Tract. 124. in Joannem, Primatus inquam iste, est dignitas derivata in Petrum, non utique ab Ecclesia, tanquam in suum Administrum, aut Procuratorem, sed immediate a Christo ipso, tanquam in caput, & supremum ipsius Ecclesiæ Pastorem, & rectorem; ac proinde ex mente S. Doctoris Petrus, quando ei dictum est, *tibi dabo claves*, ita significavit Ecclesiam, ut eandem ipse auctoritate sua proprie, & perfecte repræsentaret: unde est quod id m S. Doctor eo ipso in loco, nempe tract. 24. in Joannem, paulo antequam dixisset, quod Ecclesia fundata sit super Christum, quem Petrus confessus erat, & quod Petrus in promissione clavium sibi facta universam significaverit Ecclesiam, de Petro ipso jam dixerat, *quod ad ipsum proprie pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Christianus, abundantiore gratia, unus idemque Primus Apostolus*.

Ad alteram probationem, nimirum ad difficultatem desumptam ex verbis S. Parentis sermone 295. de Natali Apostolorum Petri, & Pauli cap. 2. ubi inquit: *has claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiæ* respondendum est, sicut supra dictum est ad tertium: nimirum primo, recte dicitur de Petro, Claves non homo unus accepit, quia illas etiam alij acceperunt, & nihilominus quia alij illas acceperunt simul cum Petro (3). Petrus autem solus, & separatim ab alijs,

(3) Ad majorem hujus materiae dilucidationem notandum hic specialiter est, quod quando Christus Math. cap. 18. v. 18. omnes discipulos suos alloquens dixit, *amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo, et quæcunque solveritis super terram erunt soluta et in cælo*, tunc manifeste aderat inter eos etiam Petrus, atque ita

recte etiam dicitur, quod illas homo unus accepit, quia nullus alius easdem accepit, sicut accepit Petrus, idest specialiter, & sine alijs Apostolis, quando illi soli, & non etiam alijs dictum fuit: *tibi dabo claves* Math. cap. 16. deinde nihil plane impedit, quin utrumque verum, & recte dicatur, nempe Claves unus accepit Petrus, & simul Claves *unitas accepit Ecclesiæ*: sicut affirmat S. P. Augustinus: nam si integra Sancti Doctoris verba, quæ eo loci habentus, attente expendantur, liquido constabit, quod unitas ista Ecclesiæ claves acceperit, non immediate, sed mediate, idest in Petro, & per Petrum; in Petro quidem, quia Petro traditæ fuerunt; & per Petrum, quia ipse ratione sui Primatus Ecclesiam uni-

potestas ista clavium promissa omnibus, fuit promissa cum illis etiam Petro: econtra autem quando Christus Math. cap. 16. inquit ad Petrum *tivi dabo claves regni cælorum, et quodcunque ligaveris super terram erit ligatum et in cælis; et quodcunque solveris super terram erit solutum et in cælis* tunc sermo dirigitur ad solum Petrum: ex quibus intelligitur, quod potestas ista ligandi atque solvendi nulli alteri Apostolorum sine Petro, sed tamen Petro sine alijs sicut promissa, ita etiam vere collata fuerit: jam vero ex eo universim jure optimo deduci jam potest, quod licet caeteri Apostoli auctoritate a Christo ipso accepta potestatem istam exercere possent, non poterant tamen hoc praestare sine Petro, quia illam non sine, sed simul cum Petro acceperunt: econtra vero Petrus poterat hoc præstare sine alijs, quia potestatem istam ex speciali Domini privilegio accepit solus, & sine alijs: unde recte concludit hic S. Leo serm. 3. in anniversario suae assumptionis dicens, *transivit quidem in alios Apostolos jus potestatis istius, et ad omnes Ecclesiæ Principes decreti hujus constitutio commeavit: sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimatur: Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia cunctis Ecclesiæ rectoribus Petri forma proponitur: manet ergo Petri privilegium, ubicunque ex ipsius fertur æquitate judicium.*

versam auctoritative repræsentabat: nam primo eo ipso in loco inquit S. Doctor: *inter hos Apostolos ubique solus Petrus totius Ecclesiæ meruit gestare personam, & propter ipsam personam, quam totius Ecclesiæ solus gestabat, audire meruit tibi dabo claves regni Cælorum*, & postea subjungit verba in objectione citata dicens *has enim claves non homo unus sed unitas accepit Ecclesiæ*: tum vero immediate prosequitur, & inquit: *hinc ergo Petri eccellentia prædicatur, quia ipsius universitatis, & unitatis Ecclesiæ figuram gessit, quando ei dictum est, tibi trado, quod omnibus traditum est*; neque enim intelligi potest, quomodo solus Petrus, quando ei dictum est: *tibi trado quod omnibus traditum est*, gestavit solus personam totius Ecclesiæ, ut primo loco inquit S. Pater, & præterea etiam figuram ipsius universitatis, & unitatis ejus, nisi quia Petrus auctoritative Ecclesiam totam representabat; ac proinde verissimum est quod claves *non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiæ*: & nihilominus easdem immediate etiam accepit Petrus: quia Petrus constitutus fuit a Christo, ut ipse solus, & unus totam repræsentaret, & in se auctoritative gestaret figuram, & personam universæ Ecclesiæ.

Instabis Claves, quæ Petro promittuntur Math. cap. 16. non sunt Claves Petri, sed Ecclesiæ: ergo traditæ fuerunt, immediate Ecclesiæ.

Respond. dist. Claves quæ Petro promittuntur non suo claves Petri, sed Ecclesiæ: idest non fuerunt Petro datæ a Christo immediate propter Petrum, sed propter Ecclesiam *conc.* idest fuerunt datæ immediate Ecclesiæ, ita ut ab Ecclesia transire deberent ad Petrum, & traditæ fuerunt Petro tanquam administro Ecclesiæ *nego* nimirum tam Primatus, quam claves, sive suprema ligandi, & solvendi potestas fuit

Petro promissa, & cum pascendi agnos, & oves potestate Joan. cap. 21. a Christo etiam collata, & tradita, non propter personam Petri, sed propter Ecclesiam (4), quatenus fundata super petram, ita firma consistere debebat, usque ad mundi finem, adeo ut portæ inferi adversus eam prævalere non possent: & hoc sensu recte vocantur Claves Ecclesiæ, eo ferme pacto, sicut Sacramenta sunt Sacramenta Ecclesiæ, quia scilicet instituta sunt a Christo propter Ecclesiam, & quia in debita, & legitima Ecclesiæ forma in gremio ejus fidelibus administrantur ab illis, quibus eadem administrandi, & conficiendi a Christo ipso facta est potestas.

Opp. 2. Ex Sacra Scriptura constat Apostolos omnes inter se pares fuisse nam 1. Christus Lucæ cap. 6. v. 13. cum vocasset ad se discipulos suos, ***duodecim ex illis elegit, quos & Apostolos nominavit***, sine ulla inter eos differentia: deinde Joan. cap. 20. v. 21. mittit eos pari cum potestate dicens, ***sicut misit me Pater, & ego mitto vos***: & in Epist. ad Ephes. cap. 2. v. 29. atque in Apocalypsi cap. 21. v. 14. vocantur ex æquo ***fundamenta Ecclesiæ***: præterea in Prima ad Corinth. cap. 3. v. 41. Paulus vocat omnes

(4) Loquimur hic de Ecclesia, quatenus est societas fidelium, quod hic probe notari debet: nam si sermo sit de Ecclesia, quam Christus significat quando Math. cap. 18. loquens de fraterna correctione, praescribit formam illius, dicens *dic Ecclesiae* idest, si loquamur de Ecclesia quatenus coalescit ex Ecclesiae Pastoribus, tunc Claves vocabuntur etiam recte & vere claves Petri, imo in Petro etiam claves romani Pontificis, quia non secus romanus Pontifex quam Petrus Ecclesiam universam propter primatum, quem habet, auctoritative repraesentat, & quia propter plenitudinem potestatis Apostolicae etiam sensu non malo appellari potest Ecclesia ut Sect. 3. cap. 1. dictum fuit.

Ministros Christi, & *dispensatores mysteriorum Dei*: imo quod majus est, Petrus ipse fatetur se parem cum cæteris Apostolis in sua 1. Epist. cap. 5. v. 1. dicens: *Seniores ergo, qui in vobis sunt, obsecro consenior*: Ergo Petrus nullum accepit a Christo Primatum super cæteros Apostolos.

Respond. Ad primum *nego ans.* ad primam probat. *dist.* Christus nominavit omnes Apostolos sine ulla inter eos differentia relate ad dignitatem, & munus Apostolicum absolute *conc.* relate ad gradum muneris, & per exclusionem Primatus in Petro *nego*. Universim loquendo Primatus, qui tamen Petro cum effectu collatus non fuit, nisi post Christi passionem, non pertinet directe, & proprie ad munus, & dignitatem Apostolatus, sed ad administrationem Ecclesiæ per Apostolorum prædicationem jam fundatæ: unde nihil plane obstat, neque quidquam obstare potest Primatui Petri super cæteros Apostolos, quod Christus eligens duodecim ex discipulis suis Lucæ cap. 6. v. 13. nullam inter illos differentiam posuit, & omnes ex æquo Apostolos nominavit: nam tunc agebatur duntaxat de munere Aqostolatus in quo omnes pares fuerunt, ita ut omnes vi hujus vocationis potestatem acceperint a Christo, qua fidem ubique prædicarent, fundarent Ecclesias, Spiritum Sanctum infunderent, & alia omnia exercerent, quæ ad commune Ecclesiæ bonum pertinent: quæ omnia perfecte consistunt, nihilque impediunt, quin Petrus postea a Christo constitutus sit caput, & princeps Apostolorum, & primatum acceperit in universam Ecclesiam, atque ita dignitate, & munere Apostolatus cæteris Apostolis longe prælatus fuerit.

Dictum est autem quod primatus Petro cum effectu collatus non fuit, nisi post Christi passionem: nam quod ad promissionem illius attinet, consentiunt

omnes, quod primatus Petro promissus fuerit, primo in speciali, & singulari promissione clavium Petro facta seorsim a cæteris Apostolis: Math. cap. 16. v. 19. & iterum plenissime, ut infra ostendemus: Lucæ cap. 22. v. 32. ubi Christus ad Petrum inquit, *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* attamen promissio ista non est consecuta suum plenum effectum, nisi postquam Christus surrexit a mortuis, & quando Joan. cap. 21. post. trinam Petri publicam sui amoris protestationem ibidem vers. 16., & 17. ter illi dixit: *pasce oves meas, & pasce agnos meos.*

Ad alteram probat. *dist.* Christus mittit Apostolos omnes cum pari potestate Joannis cap. 20. ratione muneris, & officij Apostolatus *conc.* secus *nego* nempe negari non potest, quod Christus non soli Petro, sed omnibus Apostolis munus Apostolicum ex æquo injunxerit, & quod omnes pari cum potestate miserit Joan. cap. 20. v. 21. dicens: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*: ac propterea fatendum est, quod Apostoli omnes fuerint inter se sub aliquo respectu pares: sed fuerunt dispares sub alio: fuerunt pares Sacerdotio, Ordine, & munere Apostolatus: dispares autem gradu Apostolatus, sive ut explicatius loquamur, fuerunt dispares in potestate administrandi Ecclesiam Christi, in qua Petrus omnibus prælatus fuit, ut ex ijs, quæ usque modo diximus, satis probatum est.

Ad tertiam probat. *dist.* Apostoli omnes vocantur fundamenta Ecclesiæ aliquo sensu, & sine præjudicio Primatus in Petro *conc.* secus *nego*. Profecto omnes Apostoli sunt fundamenta Ecclesiæ, tum ratione extraordinariæ potestatis eorum Ecclesias ubique fundandi, & prædicandi fidem omnibus gentibus, tum quia primi sunt, & angulares lapides, ex quibus Ecclesiæ corpus compactum est; attamen nullus inter

illos est Cephas, nullus Petrus, vel petra, nisi unus Simon Barjona, qui solus inter Apostolos meruit audire: *amen dico dico tibi quia tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*. Ut de illo inquit S. P. Augustinus serm. 5. in festo Apostol. Petri, & Pauli supra in Resp. ad primum laudatus (5), igitur generatim nihil plane repugnat; quod Petrus primatum accepit, & constitutus sit a Christo caput, & princeps Apostolorum, cum eo, quod Paulus in Epist. ad Ephes. cap. 2. v. 14. docet fideles omnes superædificari *super jundamentum Apostolorum*: & quod Joannes in Apocalypsi cap. 21. v. 14. duodecim fundamenta Ecclesiæ, duodecim Apostolos significantia commemorat: etenim ut supra dictum fuit Nota 3. prærogativæ communes omnibus Apostolis, sunt manifeste etiam propriæ in Petro, non autem e converso: deinde sicut Christus Dominus est fundamentum principale, & primarium, & Apostoli fundamenta secundaria, ita inter duodecim ista fundamenta Petrus gerit vicem Christi ipsius, & est fundamentum princeps, & primarium.

Ad quartam probat. *dist.* Paulus in I. ad Corinth. cap. 3. vocat omnes Apostolos ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei, ut ostendat nullum ex illis, nequidem excepto Petro, vel alijs, vel Ecclesiæ præesse debere more regum, & ambitione dominandi *conc.* ut ostendat nullum ex illis aliis præla-

(5) Eodem modo, quo Apostoli vocantur fundamenta Ecclesiæ in Epist. ad Ephes. cap. 2. v. 20. & in Apocalyp. cap. 21. v. 14. vocantur etiam Vicarij Christi in Præfat. Apostolorum; & sicut inter duodecim fundamenta Petrus est fundamentum princeps, & primarium, ita etiam eminet inter alios in dignitate Vicarij, tamquam specialiter, & nominatim constitutus a Christo, ut ipse, quamvis eum alijs, attamen primus præ cæteris & dignitate suprema vices illius ageret in terris.

tum esse in regenda, & gubernanda Ecclesia Christi *nego*: Quoniam Ecclesia in genere spectata est Ecclesia Christi, non autem Ecclesia vel Petri, vel Pauli, vel alterius cujusdam Apostoli, Christus autem est Dei, ut affirmat Paulus in eodem loco v. 24. dicens: *Vos autem Christi, Christus autem Dei*: Manifestum est, quod Apostoli omnes, nequidem excepto Petro, sunt ministri Christi, & dispensatoees mysteriorum Dei, hoc sensu, quia nullus illorum est absolutus Ecclesiæ Dominus: & ideo etiam Petrus ipse in sua 1. Epist. cap. 5. postquam præcepisset vers. 2. dicens. *pascite qui in vobis est gregem Dei*, *non coacte sed spontanee secundum Deum* subjungit immediate hæc alia, nempe *neque dominantes in Clero*, *sed forma facti gregis ex animo*, ut nimirum ex animo præpositorum Ecclesiæ removeret omnem dominandi cupidinem: ac proinde dum Paulus vocat omnes Apostolos ministros Christi, hoc unum ostendit, quod nullus illorum absoluto dominio, & more regum temporalium Ecclesiam sibi subjugare debeat, non autem quod nullus tanquam princeps. & caput aliorum a Christo in regenda, & gubernanda Ecclesia sua constitutus fuerit.

Ad ultimam probat. *dist.* Petrus in 1. Epist. cap. 5. v. 1. fatetur se parem cum alijs ordine, et Sacerdotio *conc.* dignitate, & per exclusionem sui Primatus *nego*. Quoniam in novo testamento nomine seniorum ordinarie intelliguntur viri in Ecclesiastica dignitate jam constituti, & Episcopi, quemadmodum producto hoc ipso testimonio ostendimus sect. 3. cap. 2. Opp. 1. ad primam probat. concedi generatim potest, quod Petrus se parem alijs dicat, dum inquit: *Seniores ergo obsecro consenior* si sermo sit de ordine, & Sacerdotio, minime vero, si loquamur de dignitate Apostolatus per exclusionem sui primatus: nam primo Epistola illa scripta fuit *Electis advenis*

dispersionis Ponti, *Galatiæ*, *Capadociæ*, *Asiæ*, *&* *Bithiniæ*. Ut ex cap. I. v. 1. liquido apparet, non autem ad Apostolos, ac proinde non videtur, quomodo ex ea deduci possit consecutio, quod se ipsum dignitate, & auctoritate parem cum cæteris Apostolis fateatur: deinde tantum abest ut Petrus, dum in citata Epistola cap. 5. v. 1. ait: *Seniores ergo obsecro consenior* primatus dignitatem, quam super cæteros Apostolos a Christo accepit, excludat, ut eandem potius eo ipso in loco aperte exercere videatur, etenim vers. 2. immediate subjungit dicens: *pascite*, *qui in vobis est gregem Dei*, *non coacte*, *sed spontanee*, quæ verba, cum præceptiva sint, innuunt per se superioritatem in Petro, non autem æqualitatem dignitatis.

Propositio II. Primatus quem Christus Petro contulit in universam Ecclesiam est primatus Jurisdictionis (6).

(6) Jurisdictio universim nihil aliud est, quam legitima Superioris potestas, qua illos regit, qui eidem subjecti aliquo titulo existunt; & tam universos, quam singulos, in pace & officio suo cum auctoritate continet: & complectitur tres partes constitutivas, nempe potestatem judiciariam, legislativam, & coercitivam: prima exercetur, dum Superior ea, quæ ad ejus subditos pertinent, secundum justitæ & æquitatis regulam dirigit, & moderatur: altera vero dum mandata & leges præscribit, quibus subditi diriguntur ad officia sua tam erga statum, quam erga alios, & erga seipsos debite prosequenda: tertia autem dum eos, qui constitutionibus, atque mandatis suis refragantur, pœnis impositis coercet, & in officio continet: præterea Jurisdictio in genere spectata, alia dicitur ordinaria, nempe illa, quæ a lege & institutione apud aliquem obtinet, & alia extraordinaria, quæ ex privilegio præter ordinem legis & institutionis ad aliquem derivat: item jurisdictio alia est delegata, quæ exercetur ex mandato illius, ad quem ordinaria pertinet; alia autem subdelegata,

Probat. Christus Dominus Math. cap. 16. post auditam Petri suæ divinitatis publicam confessionem, sic eum alloquitur: *Beatus es Simon Barjona . . . . & ego dico tibi quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam . . . . & tibi dabo claves regni Cælorum, & quodcumque ligaveris super terram erit ligatum & in Cælis, & quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in Cælis*, in qua amplissima promissione, ut unusquisque per seipsum intelligit, sub duplici metaphora, petræ scilicet, sive fundamenti, & clavium in præmium, & mercedem suæ confessionis duo præcipue promittuntur Petro, nempe primum, quod super ipsum speciatim ædificanda esset Ecclesia, alterum vero quod ipse nominatim, & præ cæteris potestatem ligandi, atque solvendi habiturus esset: atqui promissio ista continet manifeste jurisdictionem, & auctoritatem proprie dictam: nam quod est in ædificio aliquo fundamentum, illud est in societate civili princeps, & rector, cui societas ipsa innixa est; & illi cui traduntur claves domus, vel civitatis, conceditur, & tribuitur hoc ipso ejusdem domus, vel civitatis administrandi absoluta potestas: at vero princeps, & rector Societatis esse non potest, nec absoluta potestas administrandæ domus,vel civitatis potest salva consistere sine jurisdictione, & auctoritate proprie dicta: ergo primatus quem Christus contulit Petro in universam Ecclesirm, est primatus jurisdictionis: deinde Joannis cap. 21. postquam Christus interrogasset Petrum dicens: *Simon diligis me plus his?* & ille respondis-

& est ea, quæ ab illo tribuitur, qui delegatam habet, & facultate pollet officium suum alteri communicandi: & sine tali facultate delegatam tantum jurisdictionem habens, non potest subdelegare.

set vers. 17. *Domine tu omnia nosti*, *tu scis quia amo te* subjunxit Christus *pasce agnos meos*, *pasce oves meas*; profecto autem suprema potestas pascendi, & regendi tum populum fidelem, qui scilicet per agnos designatur, tum etiam pastores omnes, idest Episcopos significatos nomine ovium, eo quia sunt veluti matres agnorum, qualis hic Petro confertur, non potest intelligi sine auctoritate, & jurisdictione, siquidem sine tali auctoritate neque pastor ipse posset jure continere agnos, & oves, neque agni & oves essent sufficienter devincti ad vocem pastoris audiendam, ut per se patet: præterea Lucæ cap. 22. v. 32. testatur Dominus Petro dicens: *ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua*, & ostendens cujus generis munus, atque officium eidem demandare volebat, subjunxit immediate, *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos*: ex quibus non obscure colligi potest Petro commissam fuisse veram jurisdictionem, & auctoritatem supra cæteros Apostolos omnes, nam licet hoc loco oratio Christi directe respiciat firmitatem Petri in fide, ita ut post conversionem suam virtute illius orationis pro eo a Domino factæ a recta fide non solum confitenda, sed etiam docendo alios amplius deficere non posset, generatim tamen in eo, quod jubeat illum confirmare fratres, imponit illi onus, quo non solum confirmare deberet fratres in fide, verum etiam curam, & sollicitudinem erga illius universim gerere, ac proinde promittit eidem cum firmitate in fide etiam primatum plenissimum super omnes Apostolos, eo quia cura, & sollicitudo universalis perfecte subsistere nequit in superiore, sine potestate jubendi, idest sine jurisdictione, & auctoritate proprie dicta: tandem veritatem istam confirmat manifeste etiam traditio Sanctorum Ecclesiæ Patrum: sic enim S. Cyrillus Alexandrinus in lib. I. Thesauri af-

firmat dicens: *Petro omnes jure divino caput inclinant*, & S. Joannes Chrysostomus hom. in cap. 22. Lucæ postquam quæsivisset, *quid alijs omissis*, *Petrum duntaxat affatur Christus?* respondet; *Os erat apostolorum*, *& princeps*, *& vertex ipsius cætus*: & S. Epiphanius hæres. 51. ait *Petrum elegit Christus*, *ut dux esset discipulorum*: sane autem ille, cui jure divino omnes caput inclinant, qui princeps est, & vertex, atque dux cæterorum omnium habet nessario etiam adnexam auctoritatem, & jurisditionem proprie dictam in omnes: ergo primatus quem Christus contulit Petro in universam Ecclesiam est primatus jurisdictionis.

Solvuntur opposita Argumenta.

Opp. 1. Multa leguntur in sacra Scriptura, quæ omnem excludunt a Petro jurisdictionem super cæteros Apostolos: nam primo Lucæ cap. 22. v. 25. ait Christus *Reges gentium dominantur eorum*, *& qui potestatem habent super eos*, *benefici vocantur*, *vos autem non sic*: sane Christus hoc loco excludit a discipulis suis omnem dominatum, at vero primatus jurisdictionis non subsistit sine dominatione super alios, ergo Christus excludit a Petro primatum jurisdictionis: præterea si Paulus agnovisset in Petro primatum cum jurisdictione & auctoritate conjunctum, profecto non fuisset unquam ausus eidem in faciem resistere: atqui Paulus non solum ausus est hoc facere, sed in Epist. ad Galat. cap. 2. v. 11. gloriatur veluti, quod istud præstiterit, quia Petrus *reprehensibilis erat* & quia, ut ibidem subjungit vers. 14. *non recte ambularet ad veritatem Evangelij*, *cogebatque exemplo suo gentes judaizare* ergo Paulus certe in Petro nullam agnovit jurisdictionem.

Respond. Ad primum *nego ans.* ad primam probat. *dist.* Christus excludit a discipulis suis omnem dominatum cum fastu, & ambitione exercendum, sicut fit a principibus hujus sæculi *conc.* excludit omnem dominatum, idest omnem auctoritatem & jurisdictionem superiorum erga inferiores *nego*. Si probe attendantur ea, quæ Christus loquitur ad discipulos suos Lucæ cap. 22. clare videbitur eo loci nullatenus prohiberi aut vituperari superioritatem unius super alterum cum auctoritate, & jurisdictione conjunctam, imo vero eandem potius manifeste supponi, nam vers. 26. ait Christus; *qui major est inter vos, fiat sicut minor, & qui præcessor est sicut ministrator*: quæ perspicue innuunt fuisse aliquem inter illos, qui esset major, & præcessor aliorum: quamobrem dum contendentibus discipulis: *quis eorum videretur esse major* v. 25. inquit; *Reges gentium dominantur eis, & qui potestatem habent super eos benefici vocantur, vos autem non sic*; increpat generatim illos tantum, qui dominandi prurigine, & fastu magis, quam humiliter alijs præferri ambiebant, quia, ut docet S. Hieronymus Comment. in cap. 20. Math. Christus Dominus *voluit suos ad summitatem virtutum non potentia, sed humilitate pervenire*: ac proinde prohibet utique dominatum in discipulis suis, sed illum duntaxat qui fastu, & regum more exercetur, eo ferme pacto quo Math. cap. 23. v. 8. jubet dicens: *vos autem nolite vocari Rabbi*, & vers. 9., *& patrem nolite vocare vobis super terram*, & vers. 10. *nec vocemini magistri*: ubi sine dubio hæc omnia prohibet discipulis suis, hoc sensu quatenus frequenter conjuncta sunt cum elatione, & cum superbia alijs dominandi, non autem quatenus humili participatione, & sine fastu a multis exercentur; nam hoc sensu, sicut multi innoxie sunt, & vocantur Patres, ita etiam multi

possunt esse magistri: quemadmodum patet apertissime exemplo Pauli Apostoli, qui in Epistola 2. ad Timoth. cap. 1. vers. 11. seipsum non solum prædicatorem, & apostolum nominat, sed etiam magistrum dicens: *ego prædicator, & apostolus, & magister gentium.*

Ad alteram probat. *dist.* Apostoli miserunt Petrum, & Joannem in Samariam ex consilio, & volentem *conc.* ex imperio, & tanquam sibi inferiorem *nego* (7). Principio in Scriptura sacra missio non supponit semper subjectionem, & inferioritatem inter mittentem, & missum: nam Josue cap. 22. vers. 13. Filij Israel mittunt in terram Galaad Phinees filium Eleazari Sacerdotis, *& decem principes cum eo*, jam vero decem isti principes non erant inferiores in populo, sed neque Phinees ipse erat populo subjectus: nam *erat dux eorum coram Domino*, ut legitur in I. Paralipp. cap. 9. vers. 20. præterea etiam Herodes Math. cap. 2. vers. 28. *mittens magos in Bethehem dixit: ite & interrogate diligenter de puero; & cum inveneritis renuntiate mihi* quin tamen ullam superioritatem in illos haberet: deinde negotium, propter quod Petrus ab Apostolis missus fuit in Samariam, erat revera

(7) Duo hic notanda occurrunt: primum consistit in eo, quod argumentatio ista, scilicet Petrus mittitur ab Apostolis in Samariam, ergo est Apostolis inferior, absolute falsa est, sicuti falsa est ista generalis propositio, qui mittit est superior & major illo, qui mittitur, de qua nemo dubitat, quin procusa primum fuerit in officina Arianorum, qui, ut ostenderent filium in divinis non esse æqualem & consubstantialem Patri, abusi sunt comuniter evangelica illa sententia Joan. cap. 6. v. 30. *Pater misit filium*: ex qua ita ratiocinabantur: Pater misit filium: ergo est major filio: ac proinde filius non est consubstantialis vel aequalis, sed minor Patre: alterum autem est, quod hoc eodem argumento ab utantur etiam complures theologi, qui gallicanas, ut vo-

tanti momenti, quod Petri ipsius præsentiam personalem, & auctoritatem, vel maxime requireret: nam licet Samaritani jam recepissent verbum Dei, & credidissent Philippo, qui illis Evangelium Christi annuntiaverat, erant tamen ulterius in fide confirmandi, & impertiendus quoque illis supererat Spiritus Sanctus; siquidem iste, ut legitur in eodem capite 8. actor. vers. 16. *nondum in quemquam illorum venerat*: præterea reprimendus erat insignis ille impostor Simon magus, qui gentem illam suis præstigijs tali modo dementaverat, ut illum omnes ascultarent *à minimo usque ad maximum, dicentes, hic est virtus Dei, quæ vocatur magna*, ibid. vers. 9. ac propterea ex ista missione non solum non infirmatur, sed potius elucet manifeste, & roboratur magis Petri super cæteros Apostolos dignitas, & auctoritas in eo, quia Petrus tandem impertivit Samaritanis Spiritum Sanctum, & confirmavit illos in fide, quam ex Philippi prædicatione perceperant: huc accedit quod Petrus hac occasione etiam aperte auctoritatem, & jurisdictionem suam super cæteros Apostolos exercuerit: nam licet Simon Magus Apostolis, qui ibi cum

cant libertates defendunt, dum propugnant, quod Apostoli collective sumpti majori auctoritate praediti fuerint, quam Petrus, ac proinde auctoritative & imperando illum in Samariam miserint, ut inde deducant, quod Ecclesia docens collective spectata, idest quod Episcopi omnes simul sumpti, sive sint dispersi sive etiam simul in Concilio congregati, majoris auctoritatis sint, quam summus Pontifex: in quo sane splendide decipiuntur: nam primo in hoc facto nihil plane elucet, ex quo constet, quod Apostoli auctoritative & cum imperio erga Petrum se gesserint; deinde semper verum erit, quod tam Apostoli sine Petro, quam Episcopi universi sine summo Pontifice, sint corpus sine capite, & quod caput corpori, non autem corpus capiti imperare debeat.

Petro aderant, obtulisset pecuniam in commui, & in communi pariter eos deprecatus esset dicens vers. 19. *date & mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus accipiat Spiritum Sanctum*, attamen solus Petrus auctoritate sua pronuntiavit in eum suæ damnationis sententiam, dicens *pecunia tua tecum sit in perditionem*.

Ad tertiam probat. *dist.* Paulus Apostolus in Epistola ad Galatas gloriatur se Petro in faciem restitisse ex charitate, & exercitio Apostolatus illum admonendo *conc.* auctoritative, & in materia jurisdictionis eundem corripiendo *nego*. Imprimis sunt qui putant, quod Cephas ille, cui Paulus in faciem restitit, ut ipse narrat in Epist. ad Galatas cap. 2. non fuerit Simon Petrus, sed alius quisquam ex discipulis Christi: sunt etiam qui suspicantur cum Sancto Hieronymo, quod Paulus Petro in faciem restitit non ex animo, sed simulate, & apparenter tantum: verum falluntur utrique; nam primo nullibi legitur, vel apud Patres, vel apud interpretes alicujus nominis, & auctoritatis, alium quemquam ex discipulis Christi Cepham appellatum fuisse, præter Apostolorum principem: deinde negari non potest, quod omnis simulatio, præsertim in materia fidei, sicut sine dubio erat ista de observantia legalium in eo sensu, ut alibi dictum fuit, nempe quatenus tunc crederetur necessaria ad salutem, illicita plane sit, & perniciosa: ut ostendit S. P. Augustinus in Epist. 28. ad Sanctum Hieronymum, ubi etiam demonstrat, quod legalia ab Apostolis aliquandiu permissa fuerint, & ab ipsis etiam observata, non ficte, & simulate, sed ex animo, & tanquam illa, quæ cum essent a Deo ipso instituta, erant cum honore ad tumulum deferenda, & quod non evaserint mortifera, nisi tunc quando intempestive observarentur tanquam ad salutem necessaria;

ac proinde videtur negari non posse, quod Cephas cui Paulus in faciem restitit, fuerit Petrus, & quod eidem Paulus restiterit ex animo, non autem apparenter tantum, ita ut vox illa in faciem, idem significet, quod palam, maxime vero, quia in eodem loco vers. 14. Paulus expresse affirmat, quod illi restiterit *coram omnibus*: neque timendum est, quod his sic stantibus, præjudicium aliquod exinde deduci possit adversus primatum jurisdictionis, quem Petrus a Christo accepit super cæteros Apostolos, generatim enim non læditur jurisdictio, & auctoritas Superioris, dum inferior eidem resistit, illumque reprehendit, dummodo istud ordinate fiat, & secundum regulam: sic sane Sanctus Jrenæus Lugdunensis Episcopus, & Martyr repræhendit Victorem summum Pontificem apud Eusebium hist. Eccl. lib. 5. cap. 24., quod vehementius, quam par esset, insurgeret in Asianas Ecclesias, quæ ab illo discordabant in celebratione Paschatis: sic etiam Michael Cæsenas minister generalis Ordinis minorum, ut testantur historici illorum temporum, strenue restitit Joanni XXII. Pontifici affirmanti, quod animæ Sanctorum perfecta beatitudine non sint fruituræ, quousque iterum corpus suum non assumerent: igitur mirum esse non debet, nec quidpiam imminuit jurisdictionem Petri super cæteros Apostolos, dum Paulus eidem in faciem restitit.

Deinde ut rem istam paucis conficiamus, in facto isto nihil plane elucet, quod vel jurisdictionem Petri in administratione totius Ecclesiæ ratione sui primatus a Christo acceptam imminuat, vel Pauli auctoritatem in Petrum ostendat: nam Paulus restitit illi in faciem *quia non recte ambularet ad veritatem Evangelij cogebatque exemplo suo gentes judaizare*, ut testatur Paulus ipse in loco citato vers. 14. idest quia Petri agendi ratio videbatur ejusmodi, quæ gentibus

ad fidem conversis scandalo esse posset, & occasio existimandi, se quoque teneri ad observantiam legalium; siquidem, ut narrat eo in loco Paulus a versiculo 12. ad 14. Petrus *priusquam venirent quidam a Jacobo, cum gentibus edebat, cum autem, venissent, subtrahebat, & segregabat se, timens eos, qui ex circumcisione erant, & simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut & Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem* : & licet Petrus ita se gessisset bona fide, idest *non docentis imperio* sed tantum *conversationis exemplo*, ut affirmat S. P. Augustinus in Epist. 28. ad Hieronymum; nihilominus quia exemplum istud offendebat gentes ad fidem conversas, easque in errorem facile inducere poterat, hinc merito cum Paulus reprehendit, neque tamen ideo auctoritatem sibi fecit administrandi Ecclesiam, sed usus est jure suo, idest defensione fidei, & ædificatione proximi, sive in Ministerio Apostolatus, in quo Apostolos omnes æquales fuisse sæpe jam dictum fuit; atque ita in toto hoc negotio nihil aliud apparet quam *laus justæ libertatis in Paulo*, *& Sanctæ humilitatis in Petro* ut inquit S. P. Augustinus in Epist. 82. num. 22. ubi de hoc facto etiam concludit dicens, *& ipse Petrus, quod a Paulo fiebat utiliter libertate charitatis sanctæ ac benignæ, pietate humilitatis accepit; atque ita rarius, & sanctius exemplum posteris præbuit, quo non dedignarentur, sicuti forte recti tramitem reliquissent, etiam a posterioribus corrigi, quam Paulus, quo confidenter auderent etiam minores majoribus pro defendenda Evangelica veritate salva fraterna charitate resistere*.

Sed dicet forte aliquis S. Ambrosius relatus in glossa ordinaria in cap. 2. Epist. ad galat. in Verbo *restitit* affirmat, quod Paulus Petrum reprehenderit, quia scie-

bat se cum illo imparem non esse, dicens: ***Petrum reprehendit, quod non auderet, nisi se non imparem esse sciret***: verum nihil plane inde conficitur: nam ut modo vidimus, Paulus reprehendit Petrum in materia defensionis fidei, quæ spectat ad munus Apostolatus, in quo Apostoli æquales erant: ac proinde recte etiam cum Sancto Ambrosio dici potest, quod Paulus sciret se non esse imparem Petro dum illum reprehendit.

Oppos. II. Qui ab alijs accipit potestatem Apostolatus nullam habet jurisdictionem super alios, atqui Paulo teste in Epist. ad Galatas cap. 2. v. 9. Petrus accepit potestatem ab Apostolis ut ipse, Jacobus, & Joannes essent Apostoli circumcisionis, sicut Paulus erat Apostolus gentium: nam ibidem legitur ***Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem*** ergo Petrus nullam habuit jurisdictionem super alios Apostolos.

Respond. dist. Ex Epistola ad Galat. cap. 2. Petrus accepit potestatem ab Apostolis, ut ipse, Jacobus, & Joannes essent Apostoli circumcisionis, sicut Paulus erat Apostolus gentium, relate ad præcipuum exercitium Apostolatus ***conc.*** absolute, & relate ad jurisdictionem in administratione Ecclesiæ ***nego***. Quamvis improbabile non sit, quod in origine Apostoli ipsi inter se Provincias, & populos diviserint, quibus unusquisque eorum specialiter Evangelium Christi annuntiaret, sicut inter alios affirmat Eusebius lib. 3. Hist. cap. I. ex Origene, inde tamen nulla ratione inferri potest, vel quod Petrus ab Apostolis potestatem jurisdictionis acceperit in administratione Ecclesiæ circumcisionis, vel quod Paulus æqualem potestatem habuerit in administratione Ecclesiæ gentium,

etiam in hypothesi, quod vel ad unam vel ad alteram hanc illationem confirmandam in subsidium vocentur verba Pauli in Epist. ad Galat. cap. 2. quod ut probe innotescat, opus est breviter hic integra expendere: itaque loco citato a vers. 6. ad 10. inquit Apostolus: *mihi enim, qui videbantur aliquid, nihil contulerunt: sed econtra cum vidissent, quod creditum est mihi evangelium præputij, sicut & Petro circumcisionis: qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est, & mihi inter gentes, & cum cognovissent gratiam, quæ data est mihi, Jacobus, & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi autem in circumcisionem*. Hactenus Paulus: in quibus duo, quæ huc pertinent, notatu digna affirmantur: nempe primum, quod ille ipse, Christus scilicet, qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est etiam Paulo inter gentes: alterum autem, quod Jacobus Cephas, seu Petrus, & Joannes cum vidissent Paulo gratiam datam, dederint illi, & Barnabæ dexteras *societatis* ut exercerent Apostolatum inter gentes; ipsi autem in circumcisionem: his notatis ut omittamus imprimis frustra hinc a quibusdam inferri, quod ab Apostolis veluti ex quodam pacto inter ipsos inito Apostolatus Petri limitatus fuerit ad solam circumcisionem, siquidem, ut per se patet, dexteræ societatis, ut hoc loco affirmatur, datæ fuerunt, non Petro, sed Paulo, & Barnabæ, ac proinde si contendatur, quod hoc loco intelligi debeat facta quædam limitatio, ea respicit potius Paulum, & Barnabam, non vero Petrum: deinde manifestum est, quod Paulus loco citato non loquatur absolute de potestate Apostolatus relative ad jurisdictionem in Administratione Ecclesiæ quanta fuerit in Petro, & quanta

in ipso, ut inde concludi possit illam vel acceptam fuisse ab Apostolis, vel in utroque fuisse æqualem respective ad Ecclesiam circumcisionis, & ad Ecclesiam gentium: nam generatim loquendo, non solum Petrus, & Paulus, sed etiam cæteri Apostoli acceperunt immediate a Christo ipso illimitatam potestatem *prædicandi Evangelium omni creaturæ*, Marci cap. ultimo vers. 15., & *docendi omnes gentes* Lucæ c. 28. vers. 19. quæ absolute, & intrinsece Apostolatum ipsum constituunt; ut colligitur ex verbis Christi actor. c. 1. vers. 8. ubi inquit ad Apostolos suos, *& eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum terræ*! ex quibus fit quod revera etiam Paulus jure suo a Christo accepto, licet esset Apostolus gentium, non semel Judæos docuit, nimirum Salaminæ actor. cap. 9. Iconij ibidem cap. 13. Antiochiæ ibidem cap. 14., & alibi sæpe, & econverso Petrus, tametsi esset Apostolus circumcisionis, fuit primus, qui gentibus ad Christi gratiam vocatis Sacramentum Baptismatis contulit, dum Cornelium Centurionem baptizavit cum tota domo sua: Actor. c. 10. ac proinde generatim concludi debet, quod sensus verborum divi Pauli in laudata Epistola ad Galatas naturalis, & obvius hic est, nimirum, quod Apostoli ratum habuerunt, ut unusquisque munus suum exerceret, sicuti a Deo vocatus fuit, idest, ut Paulus, cui divinitus creditum fuit *Evangelium præputij*, munere isto deinceps specialiter defungeretur inter gentes; & Petrus, cui creditum fuerat Evangelium *circumcisionis*, illud etiam primario in circumcisionem diffunderet: ut adeo præfato in loco neque Pauli, neque Petri jurisdictio, aut potestas Apostolica ullo modo limitata fuerit, & intra certos cancellos restricta, sed distributum tantum communi Apostolorum consensu munus, & exercitium Apostolatus speciali-

ter ab uno quovis eorum impendendum, secundum uniuscujusque vocationem, quam a Deo ipso acceperunt (8).

Instabis S. Cyprianus constituit Apostolos omnes pares cum Petro, etiam in potestate: nam in lib. de Unit. Eccl. ait: *hoc erant utique cæteri Apostoli, quod fuit, & Petrus, pari consortio præditi, & honoris, & potestatis*. Ergo Petrus nullam habuit jurisdictionem supra Apostolos.

Respond. dist. S. Cyprianus constituit Apostolos omnes pares cum Petro, etiam in potestate, quantum spectat ad obeundum munus Apostolatus, & sine præ-

(8) Ut omnes animadversiones, quæ vel adversus primatum in genere, vel adversus Petri jurisdictionem super Apostolos, & in universam Ecclesiam in specie, ex hoc per difficili Pauli testimonio desumi possunt, uno veluti ictu præcidantur: notandum hic superest; quod Apostoli primum sine dubio missi fuerunt a Christo non ad gentes, sed ad salvandas reliquias Israel: siquidem Christus ipse apud Joannem cap. 4. v. 22. testatur dicens; *Salus ex Judæis est*: deinde etiam Paulus, & comes ejus fere individuus Barnabas, dum Judæis prædicarent, & Judæi illorum prædicationem non susciperent, actor. cap. 13. v. 46. palam protestantur dicentes, *vobis oportebat primum loqui Verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos judicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes*: ex quibus dilucide apparet, quod Ecclesia gentium posterior sit Ecclesia circumcisionis, & quod illa ab ista, non solum originem habuit, sed etiam ab ea nutrita fuerit: ac proinde licet a Deo ipso non minus Paulo creditum sit Evangelium præputij, quam Petro Evangelium circumcisionis, ut in Epistola laudata cap. 2. affirmat Apostolus; inde tamen perperam infertur, quod duo sint in Ecclesia Christi suprema capita, & quod Deus ipse æqualiter diviserit jurisdictionem, & auctoritatem supremam inter Petrum & Paulum: nam nihil fere exploratius est, quam quod ille, qui est caput & Princeps Ecclesiæ principalioris, seu illius, quæ est mater, & nutrix, & propterea etiam

judicio primatus in Petro *conc.* secus *nego*. Nullum plane est dubium, quin Apostoli omnes fuerint, qnod fuit Petrus; nam omnes pariter vocati sunt Apostoli; Lucæ cap. 6. v. 13. omnes pariter missi fuerunt; Joan. cap. 20. v. 21. omnibus pariter dictum est; *quæcunque alligaveritis super terram erunt ligata, & in Cælo* Math. cap. 18. v. 81. item: *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis*: Joan. cap. 20. vers. 23., *& euntes docete omnes gentes*: Lucæ cap. 28. v. 19. Præterea omnes quoque sunt fundamenta Ecclesiæ: ex Epist. ad Ephes. cap. 2. vers. 20., & ex Apocalyp. cap. 21. vers. 14., & *Ministri Christi*: ex Epist. 1. ad Corinth. cap. 3. vers. 41.

Magisrra alterius, majorem auctoritatem & jurisdictionem habere debeat, quam alter, qui constituitur caput Ecclesiæ minus principalis, & quæ tam originem quam progressum suum ab altera habuit, eo ferme pacto, quo auctoritas & jurisdictio matris absolute major est auctoritate & jurisdictione filiæ, sicuti contingit in casu nostro, in quo Ecclesia circumcisionis, cujus caput fuit Petrus, est Mater, & nutrix Ecclesiæ gentium: igitur Divina distributio, qua Paulo creditum est Evangelium præputij, Petro autem Evangelium Circumcisionis, non est distributio potestatis & jurisdictionis, sed curæ & laboris specialis, quem uterque Apostolus ex prima illorum vocatione præcipue impendere debebat, ille quidem inter gentes, Petrus autem in circumcisionem. Præterea, quoniam sine ulla contradictione Ecclesia circumcisionis constitit primum ex solis Apostolis, & deinde etiam ex solis Judæis ad Christi fidem primario conversis, dubitari non ptest illum esse caput præcipuum & Principem inter Apostolos, & in tota Ecclesia, qui Apostolatum super illam Deo ipso operante accepit: at vero Deus ipse *operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis* ut loco citato Paulus testatur: ergo necesse est, ut fateamur, quod Petrus ex Christi institutione fuerit caput, & Princeps omnium Apostolorum, & Primatum acceperit in universam Ecclesiam.

atque *dispensatores mysteriorum Dei*: ac tandem etiam Vicarii Christi: ex Præfatione Ecclesiæ in festis Apostolorum: & quidem sine ullo discrimine *honoris*, *& potestatis*: verum hæc omnia ita accipi debent, ut intelligatur omnes Apostolos fuisse, quod fuit, & Petrus, prout loquitur Sanctus Cyprianus in lib. de Unit. Eccles. *pari consorsio præditos honoris*, *& potestatis*; relative ad implendum munus, & exercitium Apostolatus a Christo ipso omnibus æqualiter impositum, non autem relative ad jurisdictionem in administratione Ecclesiæ: nam prærogativa ista primatus jurisdictionis in Petro, in qua ipse potestate super cæteros Apostolos eminet, fundatur in eo, quia præter munus Apostolatus, quod Petro cum cæteris Apostolis commune fuit, *solus Petrus totius Ecclesiæ meruit gestare personam*: ut ait S. P. Augustinus serm. 295. cap. 2. idest, quia Apostolatus in Petro evasit singularis propter promissiones eidem singulariter factas, & seorsim a reliquis omnibus Apostolis, ut supra dictum fuit: atque hinc est, quod etiam S. Cyprianus postquam dixisset omnes Apostolos pares fuisse cum Petro in honore, & potestate, subjungit dicens: *sed exordium ab unitate proficiscitur*, *& Primatus Petro datur*, *ut una Christi Ecclesia*, *& Cathedra una monstretur*.

Opp. 3. Paulus non est inferior Petro in administratione Ecclesiæ: nam primo non minus Paulo quam Petro communis fuit *sollicitudo omnium Ecclesiarum*: ut de seipso testatur in II. ad Corint. cap. 11. vers. 28., & vocatur per antonomasiam Apostolus: deinde plures ex Sanctis Ecclesiæ Patribus instituunt omnimodam paritatem inter Petrum, & Paulum, & considerant eos tanquam Principes Apostolorum: præterea etiam ipsi Romani Pontifices dicunt sæpe se esse Petri, & Pauli successores, & in sigillis veterum Pontificum, quibus

diplomata illorum obsignabantur, exhibetur imago Petri ita disposita, ut Paulus videatur locatus ad dexteram, & Petrus ad sinistram: ergo saltem Paulus non est in jurisdictione inferior Petro.

Respond. Ad primum *nego ans.* ad probat. *dist.* Paulus habuit sollicitudinem omnium Ecclesiarum ratione Apostolatus, & Apostolicæ charitatis *conc.* ratione jurisdictionis, & potestatis in omnes Ecclesias *nego* nimirum omnibus Apostolis hoc commune fuit, quod singuli acceperint a Christo potestatem prædicandi ubique Evangelium, & fundandi Ecclesias, & quod omnes summo, & intensissimo zelo flagraverint propagandi fidem in Christum apud omnes gentes; ut adeo de singulis eorum aliquo sensu recte dici possit, quod de se in 2. ad Corinth. cap. 11. vers. 28. affirmat Paulus, nimirum, quod habuerint curam, & sollicitudinem omnium Ecclesiarum: verum præter communem istam omnium prærogativam in Petro etiam istud fuit proprium, & in eo subsistit ejus Primatus super cæteros, quia potestas Apostolica, quam ipse simul, & in communi cum alijs accepit immediate a Cristo, in Petro evasit singularis propter promissiones singugulariter illi factas; & ex eo fit etiam, quod cura, & sollicitudo omnium Ecclesiarum in Paulo fuerit effectus Apostolicæ charitatis, in Petro autem ulterius etiam munus, & officium sui Apostolatus, atque effectus supremæ illius jurisdictionis in universam Ecclesiam.

Ad alteram probat. *dist.* Paulus vocatur per antonomasiam, seu simpliciter, & absolute Apostolus propter exercitium Apostolatus, & ejus vocationem *conc.* secus *nego*. Apostolatus Pauli differt duplici pacto ab Apostolatu communi aliorum: nempe primo ipse vocatus fuit ad Apostolatum, & didicit Evangelium, non ab hominibus, a quibus se nihil accepisse testatur in Epist. ad Galat. cap. 2. v. 6. dicens: *mihi enim*

qui videbantur esse aliquid nihil contulerunt: sed ut affirmat in eadem Epist. cap. 1. v. 12. *per revelationem Jesu Christi*: deinde excellit etiam in eo, quia pro fidei dilatatione plus omnibus scripsit, & laboravit: & quoniam prærogativæ istæ in Paulo sunt singulares, & ita eidem propriæ, ut nulli alteri conveniant, intelligitur statim, quomodo rectissime vocatur, & vocari debeat simpliciter Apostolus, quin inde sequatur, quod jurisdictione, & administratione Ecclesiæ nullum superiorem habeat: nimirum vocatur ita ex munere extraordinarie sibi collato, atque ab exercitio Apostolatus, non autem a jurisdictione, & administratione Ecclesiæ.

Ad alterum *dist.* Plures ex Sanctis Ecclesiæ Patribus instituunt omnimodam paritatem inter Petrum, & Paulum relate ad merita virtutum, & apostolicos labores *conc.* relate ad jurisdictionem, & primatum *nego* nimirum Patres illi, qui inter Petrum, & Paulum instituunt comparationem aliquam, eosque pares esse inter se enuntiant, & subinde etiam eos simul vocant Principes Apostolorum, Patres inquam isti intelligi debent de paritate, & principatu, quem inter alios obtinent simul ratione exercitij apostolatus, non autem, de paritate, & principatu jurisdictionis, quatenus hæc eadem fuerit in utroque: verbo dicam intelligi debent eo sensu, quo S. Gregorius, qui in lib. 1. dialogor. cap. ultimo Petrum, & Paulum in principatu fratres esse dixerat, seipsum explicans in hom. 6. in Ezechielem inquit: *Paulus Petro frater erat, sed auctoritate minor* (9).

(9) Ut ista probe teneantur notandum hic breviter est quod Innocentius X. in Congregatione S. Officij coram se habita die 20. Jan. 1647. damnavit tanquam haereticam sequentem propositionem nimirum *Sanctus Petrus et Sanctus Paulus sunt*

Ad tertium *dist.* Summi Pontifices dicunt sæpe se esse Petri, & Pauli successores in ordine ad munus, & officium *conc.* in ordine ad jurisdictionem, & auctoritatem *nego*. Successio in ordine ad officium, & munus est, qua quis alterius obligationibos obstringitur; & hoc sensu Romani Pontifices non solum succedunt Petro, & Paulo, sed & omnibus apostolis, quorum officium, scilicet prædicandi Evangelium Christi, & instituendi Ecclesias per universum orbem merito sibi vindicant. Successio vero in ordine ad jurisdictionem, & auctoritatem ea est, qua quis in jure, & potestate alterius succedit: ut Rex regi, Imperator imperatori: & hoc sensu Romani Pontifices succedunt Petro, non Paulo, quia jurisdictionem, & auctoritatem in universam Ecclesiam, Solus Petrus, non autem etiam Paulus a Christo accepit, igitur universim Summi Pontifices dicunt se esse Petri non solum, sed etiam Pauli successores in ordine ad munus, & officium apostolicum, quod duo isti Apostoli præ alijs magis exercuisse videntur: non autem in ordine ad jurisdictionem.

Ad postremum respondendum est nihil plane ex sigillis veterun Pontificum concludi posse, vel pro Pauli supra Petrum præminentia, vel pro illius cum isto æqualitate in ordine ad regimen Ecclesiæ Christi: nam licet in illis subinde Paulus conspiciatur collocatus ad dexteram Petri, constat tamen, & faten-

duo Ecclesiæ Principes, qui unum efficiunt: vel sunt duo Ecclesiæ catholicæ Coriphæi ac supremi duces summa inter se unitate conjuncti: vel sunt genuinus Ecclesiæ vertex, qui in unum divinissime coaluerunt: vel sunt duo Ecclesiæ summi Pastores ac præsides, qui unicum caput constituunt; si ita explicetur, & ita accipiatur; ut omnimodam aequalitatem inter Sanctum Petrum & Paulum in potestate suprema & in regimine universalis Ecclesiae ponat.

tur, qui sigilla illa prope inspexerunt, quod ordinarie, & in accuratioribus uterque Apostolus ita positus sit, ut Petrus ad sinistram locatus videatur Paulum tegere, atque hac ratione eundem quasi præcedere: quod signum est dignitatis, & præcedentiæ in Petro, & obsequij in Paulo: deinde affirmat Joannes Cabassutius in hist. Concilij Nicœni quod Baronius ad annum 325. num. 25., & ad annum 213. num. 6. solidis rationibus demonstrat in sacris præsertim, & Ecclesiasticis rebus, tam in Oriente, quam in Occidente sinistram olim dexteræ præcelluisse; quod ipsum demonstrat etiam Cardinalis Petrus Damiani.

Propositio III. Romanus Pontifex habet jure divino, seu ex Christi institutione Primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam.

Probat. Petrus, ut patet ex modo dictis, accepit immediate a Christo primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam: atqui primatus iste fuit Petro collatus non propter Petrum, quatenus erat singularis persona, & tanquam privilegium mere personale, quod cum illo cessare deberet, sed propter Ecclesiam, quam ipse significabat, & quatenus hæc duratura erat usque ad consummationem sæculi: ergo debuit, & debet semper transire etiam ad successores Petri; nam, ut fert juris axioma, durante causa finali alicujus privilegij, durare debet etiam privilegium ipsum: jam vero Petri successor alius non est quam Romanus Pontifex: nam universim nullus est, nec unquam fuit in Ecclesia Christi, qui Petro in suo Episcopatu successit, quantum ad materialem successionem spectat, nisi solus Antiochenus, & Romanus Pontifex, siquidem ex omnium consensione, nullam aliam cathedram tenuit Petrus, nisi Antiochenam, & Romanam, atqui Pontifex Antiochenus non successit, neque succedit ullo modo Petro maxime vero successione formali, idest in

jure Primatus in universam Ecclesiam, nam successio formalis proprie non habetur, nec haberi potest, nisi vel per mortem, vel per renuntiationem: jam vero Petrus neque Antiochiæ mortuus est, neque Antiocheno Episcopo suum resignavit Primatum, siquidem adhuc vivens Antiochiam reliquit, & fixit Romæ sedem suam, quam etiam sanguine suo decoravit; ut expresse testantur Patres, & antiquiores scriptores, ex quibus omnes fere utroque pollice subcribunt S. Hieronymo *de viris illustribus* in vita Petri dicenti, *Simon Petrus filius Joannis provinciæ Galileæ, vico Bethzaida, frater Andreæ Apostoli, & Princeps Apostolorum post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderunt in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithinia secundo Claudij anno ad expugnandum Simonem magum Romam pergit, ibique vigintiquinque annis cathedram Sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum annum Neronis, idest decimumquartum, a quo, & affixus cruci martyrio coronatus est capite ad terram verso, & in sublime pedibus elevatus, asserens se indignum esse, ut sic crucifigeretur, ut Dominus suus*, Igitur Episcopus Antiochenus, licet materialiter in Episcopatu Petro successerit, non potest haberi tanquam successor Petri in summo Pontificatu, ac proinde restat, ut solus Romanus Pontifex, qui Petro in Urbe Roma, ubi secundo sedem suam fixerat, morienti successit, illius in dignitate ista primatus successor sit: deinde in Ecclesia Christi debet semper firma permanere illa regiminis forma, & ille Ecclesiam gubernandi ordo, quem Christus ipse instituit (10), ita ut qui-

(10) Quod Ecclesia Christi unitate regiminis, sive quod sit societas fidelium fundata in idem est, in imperantium au-

cunque ordinem istum a Christo institutum mutare vel invertere contenderet, esset plane sacrilegus, & hæreticus reputandus: atqui forma regiminis, & ordo Ecclesiam regendi, & gubernandi a Christo ipso institutus hic est, ut in ea sint Pastores, & Doctores, præter Apostolos, Prophetas, & Evancelistas, qui regant, & doceant fideles, & alia perficiant ministeria *ad consumationem Sanctorum in ædificationem corporis sui*, idest Ecclesiæ ipsius necessaria, *usque dum occurramus omnes in agnitionem filij Dei* id.st us-

ctoritate, & obedientium subordinatione, in qua summus imperans est romanus Pontifex, & sub eo imperantes inferiores Episcopi, & Parrochi, obedientes vero laici, seu fideles omnes, qui per baptismum Ecclesiam sunt ingressi, colligi facile potest ex ijs, quae de regimine isto generatim dicta sunt, & ex principijs generalibus deducta sect. 3. cap. 1. & 2. quod autem regimen istud a Christo ipso institutum fuerit, patet ex ijs, quae usque modo de primatu Petri in universam Ecclesiam disputavimus: solent autem theologi hic inquirere quam formam a Christo vere acceperit? scilicet an illud voluerit esse monarchicum, in quo suprema & independens potestas est penes solum Principem? an vero Aristocraticum, in quo eadem potestas est penes magnates? an denique democraticum, in quo dicta potestas existit penes populum? Edmundus Richerius famosus Sorbonae Doctor videtur statuisse democraticum: nam docuit totam jurisdictionem Ecclesiasticam proprie esse penes Ecclesiam, quatenus est societas fidelium, eamque non competere vel summo Pontifici, tanquam primatum in Ecclesia habenti, & sub eo Episcopis, nisi materialiter tantum, & quoad executionem, formaliter autem residere penes societatem fidelium: deinde Marcus Antonius de Dominis Episcopus Spalatensis & Apostata in Angliam profugus edidit librum de *Republica Christiana* in quo totus est ut primatum Romani Pontificis evertat, & formam Ecclesiastici regiminis aristocraticam esse statuat; ubi etiam istud adjicit, & dogmatizat absurdum, quod nempe una sana & orthodoxa fides conflari possit &

que ad mundi finem : sicuti aperte affirmat Paulus in Epistola ad Ephes. cap. 4. v. 11. ubi de Christo inquit: *Et ipse dedit quidem quosdam Apostolos, quosdam autem Prophetas alios vero Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in unitatem fidei, & agnitionis filij Dei.* Porro autem inter pastores Christus elegit Petrum, ut supra probatum est, eumque constituit summum pastorem, & caput omnium, ut præ cæteris omnibus pasceret, & regeret gregem suum universum: Joan. cap. 21. simulque *ut capite constituto schismatis tolleretur occasio*: ut docet S. Hieronymus in lib. 1. contra Jovinianum: igitur ad

debeat ex romana Calvinistica, Lutherana & Anabaptistica: Jam vero evidens est, quod cum primatu jurisdictionis, quem romano Pontifici competere hic statuimus ex jure divino, sive ex ipsa institutione Christi, nullo modo conciliari possit stricta forma regiminis Aristocratica, & multo minus democratica: hinc tota ista quaestio eo devolvitur, an regimen Ecclesiae sit pure monarchicum ex institutione Christi? an vero potius Aristocratia permixtum? sunt autem permulti inter theologos, qui unam, & alij qui alteram sententiam sequuntur; & tam una quam altera, sicuti gravibus nititur fundamentis, ita etiam gravibus non caret difficultatibus: quamobrem cum animus nobis nunquam fuerit magnorum theologorum lites componere, hoc unum hic adnotare opportunum esse credimus, quod quaestio ista saepe etiam in Concilio Tridentino discussa & disputata fuerit, & semper indecisa relicta; ut praeter alios innuit etiam Card. Pallavicinus in sua hist. lib. 18. cap. 12. & seq. ubi etiam diversas producit disputationes, quae in hac controversia a theologis tam pro una, quam pro altera sententia habitae fuerunt: ex quibus intelligitur, quod quaestio ista una sit ex illis, quae in scholis impune, & sine discrimine in fide in utramque partem disputari possunt, donec a sede Apostolica definitiva non fuerit pronunciata sententia.

conservandam formam regiminis, & ordinem Ecclesiam gubernandi a Christo institutum, necesse est, non solum, ut in ea semper sint pastores, seu Episcopi, & successores Apostolorum, alijque Ministri, qui vices illorum, quos Christus primum instituit, in Ecclesia supplere valeant, sed etiam summus pastor Petri successor romanus Pontifex, qui semper eadem cum Petro potestate præditus sit, idest qui etiam ipse, sicut Petrus in universam Ecclesiam ex institutione Christi primatum jusisdictionis habeat, ut gregem Christi suprema potestate regere, docere, & gubernare valeat, Præterea ut supra observatum fuit sect. 3. cap. 1. Ecclesia Christi est *Civitas super montem posita*, quæ abscondi non potest; Math. cap. 5. v. 14. igitur exigit supremum aliquem rectorem, qui auctoritate sua eandem in debito ordine contineat: item est ovile Christi: Joan. cap. 10. v. 16. igitur requirit summum aliquem pastorem, qui potestate sua tam gregem, quam reliquos pastores regat: ac tandem est ipsum corpus Christi, ex Epist. ad Ephes. cap. 4. v. 12., & Colossens. cap. 1. v. 24. ac proinde necesse est, ut destituta non sit suo capite, cujus nutu, & imperio cætera membra dirigantur, & gubernentur: atqui rector ille: & pastor, atque supremum caput istud, alius non est, nec esse potest, quam Petri successor romanus pontifex: ergo romanus pontifex habet jure divino primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam, ita ut jure ac merito universim concludi possit cum Joanne Gerson in libello de *statibus Ecclesiæ* Considerat. 1. ubi inquit: *Status papalis constitutus est a Christo supernaturaliter, & immediate tanquam primatum habens .... quem primatum quisquis impugnare, vel diminuere præsumit, si hoc pertinaciter faciat, hæreticus est, schismaticus, impius, sacrilegus.*

Huc accedit quod Ecclesia primatum istum in roma-

no pontifice semper agnoverit, & quod hac auctoritate romani pontifices nemine contradicente in Ecclesia tota semper usi fuerint: primum patet, ex Concilio Chalcedonensi, quod celebratum fuit ab Episcopis ex universo orbe Christiano Chalcedone congregatis anno 451. in eo enim actione 16. citatur Canon. 6. Concilij Nicæni in hæc apertissima verba *Ecclesia Romana semper habuit primatum*: alterum vero patet ex factis, quæ nulla ratione in dubium revocari possunt: sane enim, ut pauca tantum proferamus magis nota, S. Clemens romanus, qui quartus in cathedra romana sedit, ut dictum est ex probabiliori sententia sect. 3. cap. 2. Propos. V. Opp. 4. ad primum, circa annum Christi 97. intendit curam suam in Ecclesiam Corinthiorum domesticis factionibus agitatam, ad eamque de restituenda pace auctoritate sua perscripsit Epittolam: & sæculo secundo Ecclesiæ, anno circiter 200. Victor summus Pontifex institit apud Ecclesias Asiæ, ut Pascha celebrarent die Dominica proxime sequenti ad lunam decimamquartam Martij, secundum consuetudinem Ecclesiæ romanæ ex Apostolorum traditione derivatam: sic etiam sæculo tertio Stephanus Papa egit apud Ecclesias Affricæ pro non iterando baptismate ab hæreticis in debita materia sub debita verborum forma collato: & sæculo quarto Julius Papa suscepit palam, & auctoritative defensionem S. Athanasij ab Arianis injuste depressi: & Liberius restituit in sedem suam S. Eustachium Sebastenum ab Arianis inde dejectum: deinde sæculo quinto S. Joannes Chrysostomus a Sede sua Constantinopolitana impiorum factionibu expulsus, ut iterum restitueretur, non ad alium confugit, quam ad romanum Pontificem: eodem modo se gesserunt Sanctus Flavianus in latrocinio Ephesino sub Dioscoro atrocissime tractatus, & Talaja Alexandrinus, ab Accacio Constantinopolitano e sede sua detrusus: & sæculo

sexto S. Gregorius Magnus repressit auctoritate sua Joannem jejunatorem patriarcham Constantinopolitanum, qui Episcopi Oecumenici nomen superbe sibi assumpserat: præterea sæculo septimo, dum hæresi Monothelitarum tota fere turbata esset Ecclesia, S. Sophronius Patriarcha Jerosolemitanus misit legatos suos ad sedem Apostolicam, ut ipsa auctoritate sua latissime serpentem hæresim reprimeret: & sæculo octavo Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus præfuit VII. Concilio generali nomine romani pontificis: ac tandem sæculo nono, non solum Concilium generale VIII. contra Photium celebratum, verum etiam Photius ipse palam agnovit Primatum jurisdictionis in romano pontifice in universam Ecclesiam, licet postea adversum eum caput erexerit, & schisma conflaverit; siquidem egit, tum per seipsum, tum per Michaelem Imperatorem apud Nicolaum I. Pontificem, ut ab illo confirmationem suæ electionis in Archiepiscopum Constantinopolitanum obtineret: omittimus quæ gesserunt Pontifices sequentium sæculorum, de quibus certo constat, quod jurisdictionem suam in totam Ecclesiam exercuerint: ut adeo etiam universim ex factis indubitanter concludi possit quod *Romana sedes instituente Deo caput est omnium Ecclesiarum*, ut inquit Pelagius II. Papa Epistola 8. & quod *Apostolica sedes Deo auctore cunctis prælata constat Ecclesijs*: ut affirmat S. Gregorius Magnus in Epist. 79. ad Joannem Diaconum; sive quod Romanus Pontifex habeat primatum jurisdictionis in universam Ecclesiam.

Solvuntur opposita argumenta.

Opp. I. Valde dubium est apud multos, an Petrus unquam Romam advenerit: ergo incertum est, an Romanus Pontifex sit successor Petri in Episco-

patu: antecedens patet primo ex eo, quia circa Petri profectionem in Urbem discordes plane sunt scriptores inter se invicem: nam Paulus Orosius in lib. 7. hist. cap. 4. ait illum Romam venisse *in exordio regni Claudij*: & Eusebius lib. 2. hist. cap. 16. quem sequitur S. Hieronymus in lib. *de viris illustribus* contendit quod Romam venerit *anno secundo regni Claudij*: Lactantius autem in lib. de *mortibus persecutorum Ecclesiæ* cap. 2. inquit *cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam venit*: deinde Ven. Beda in lib. de *ratione temporum*. S. Hieronymum secutus, docet Petrum Romam venisse *cum prius Anthiochenam fundasset Ecclesiam*: Panvinius autem Onuphrius noster in lib. 1. de primatu Petri part. 3. cap. 1. contendit *necessarium esse septem Episcopatus Antiocheni annos intra numerum annorum vigintiquinque Pontificatus Romani includere*: præterea, alij putant post Petrum proxime in ejus cathedra sedisse Linum & Cletum, alij vero prius Clementem romanum: at vero sicut concordia scriptorum est certum argumentum veritatis, ita econtra discordia illorum non potest esse, nisi argumentum falsitatis: ac proinde, si absolute falsum non est, saltem est valde dubium an Petrus unquam Romæ fuerit.

Respond. ad primum *transeat ans.* Nam universim non omnis, neque quorumlibet dubitatio in factis præsertim historicis, cujusmodi est adventus Petri in Urbem, est ejusmodi, quæ jure attentionem aliquam mereatur, sed illorum tantum, & illa, quam viri graves injiciunt, qui scilicet vel ipsi oculati testes fuerunt, vel saltem ab oculatis testibus se accepisse ostendunt, & qui in eorum dubitatione gravibus nituntur momentis, quibus fiat, ut animus rationabiliter anceps, & in suspenso permaneat: sane enim etiam Sceptici gloriantur se de omnibus dubitare, quin tamen

propterea quisquam sanæ mentis sibi ipsi persuadeat propter eorum dubitationem nihil plane in mundo certum esse, & exploratum, sed incerta omnia, & dubia: huc accedit, quod de adventu Petri in urbem revera non alij unquam dubitaverint, quam hæretici posteriorum temporum Lutherani, & Calvinistæ; & etiam isti non omnes, sed plerique tantum, neque alijs moti argumentis, quam negativis tantum, quæ per se nihil probant, ut omnes norunt, atque fatentur.

Dictum est autem plerique tantum, revera enim complures sunt ex Lutheranis, quoque, & Calvinistis, qui æquiores veri æstimatores videri amant, & qui cum odio erga Ecclesiam romanam, quo universi laborant, non omne imbiberunt propositum eidem omnia denegandi, quæ ad illius prærogativas super cæteras Ecclesias pertinent, quive, tametsi universim in romano Pontifice nullum agnoscant primatum jurisdictionis nullamque præminentiam super cæteros Episcopos de jure divino; ut ab initio hujus capitis notavimus, consentiunt tamen, imo vero aperte etiam propugnant Petrum Romæ commoratum, & ibi Episcopalem cathedram erexisse: sicuti sunt Guilelmus Cave in *historia literaria*: Pearsonius in *Operibus posthumis*. Hugo Grotius *in Comment. in Epist. 1. Petri*, & alij plures: ex quibus fit, quod licet revera alij complures de hoc facto dubitent, nullam tamen in hac eorum dubitatione mereantur attentionem.

Ad primam probat. *dist.* circa Petri profectionem in urbem discordant scriptores relative ad tempus præcisum, & ad circumstantias *conc.* absolute, & relative ad factum ipsum; *nego* fatendum utique est, quod de tempore præciso adventus Petri in Urbem, & de circumstantijs, quæ illum vel comitatæ, vel secutæ sunt, scriptores inter se non omnino con-

sentiant : non videtur tamen , quomodo inde vel incertus reddi possit Petri in Urbem adventus, vel primatus romani Pontificis in universam Ecclesiam : imprimis enim multa sunt tam in profana, quam in sacra historia , de quorum eventu nemo sanæ mentis unquam dubitavit, licet de tempore certo, & de modo , quo contigerunt , maximæ sint inter scriptores discordiæ : sic excidium Trojæ , omnes admittunt, interim tamen nulla est nobis cognita certa epocha, in qua illud vere contigisse indubie statui possit : sic etiam de anno mortis Christi magna est controversia : nam Tertullianus , & qui cum illo sentiunt, ajunt Christum mortuum anno ætatis suæ 31. alij vero 40. vel 46. dum interim communior sententia tenet, quod cruci effixus sit , cum esset annorum trigintatrium ; & nihilominus , nemo est, nisi forte incredulus, qui non conveniat , quod Christus indubie plane pro salute generis humani mortuus sit : deinde in tota historia Ecclesiastica nihil fere illustrius est, nihil majori concordia scriptorum firmatum , quam quod Petrus Romæ Ecclesiam fundaverit, ac demum pro fide Christi ultimo Neronis anno non solus , sed simul cum Paulo Apostolo, licet forte non in eodem loco , martyrium passus sit : nam præter Papiam Episcopum Hieropolitanum, qui cum S. Polycarpo fuit Sancti Joannis Apostoli discipulus , & Clementem Alexandrinum , qui etiam ipse primo Ecclesiæ sæculo floruit, & quorum testimonia refert Eusebius Cæsariensis in lib. 2. hist. Eccl. factum istud testantur , Dionysius, Corinthiorum Episcopus, & S. Irenæus , scriptores secundi sæculi , ille quidem in Epistola ad Soterem Papam , iste autem in lib. 3. advers. hæreses , Item Origenes , S. P. Augustinus , uno verbo scriptores omnes, qui istos subsecuti sunt, quantum ad facti substantiam pertinet , subscribunt illis, quæ

de Petri adventu in urbem, de ejus ibi Episcopatu, & martyrio affirmat S. Hieronymus in libro *de viris illustribus* supra jam in probatione relatus: imo Sanctus Ambrosius natus ex patre præfecto galliæ & Romæ in disciplinis liberalibus eruditus, cui propterea ignota esse non poterat constantissima & universalis, tam Ecclesiæ romanæ, quam totius orbis de singulari hoc facto communis traditio, Sanctus inquam Ambrosius in Orat. *de basilicis tradendis* loquens de Petro, non solum supponit certum Petri adventum in Urbem, sed enarrat etiam, quomodo devicto & debellato Simone mago gentilium animos, quos sibi etiam Romæ impostor iste devinxerat, adversus seipsum concitavit, & quomodo Petrus volens ad tempus declinare furorem illorum, Roma egrediens Christum obviam habuerit, dum inquit *quibus* (idest paganis) *eum quærentibus, christianæ animæ deprecatæ sunt, ut paulisper cederet; & quamvis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est*: *rogabatur enim, ut ad instituendum populum se reservaret: quid multo? nocte muro egredi cœpit, & videns sibi in porta Christum occurrere, urbemque ingredi, ait, Domine quo venis? respondit Christus, iterum crucifigi . . . intellexit ergo Petrus, quod iterum crucifigendus Christus esset in servulo: itaque sponte remeavit: interrogantibus christianis responsum reddidit: statimque correptus per crucem suam honorificavit Dominum Jesum*: hactenus S. Ambrosius, qui IV. sæculo floruit: ex quo istud præterea colligi potest, quod nullatenus conficta, sed verissima plane sit historia, quæ narratur de apparitione Domini Petro facta extra portam Capenam in via Appia, in loco, ubi nunc ad perpetuam hujus facti memoriam extru-

ctum habetur sacellum illud, quod sub titulo *Domine quo vadis* innotescit.

Præterea quanquam absolute, & simpliciter falsa sit illa adversariorum ratiocinatio, qua ajunt, quod scriptorum discordia circa factum aliquod sit argumentum & indicium falsitatis, sicut concordia illorum est certissima nota veritatis: siquidem, ut omnes ultro fatentur, non illico concludendum est, aliquid esse falsum, de quo non omnes scriptores conveniunt: sed tunc recurrendum est ad regulas critices & ex multis illorum sequenda est opinio, pro quibus inveniuntur stare plura & graviora momenta rationum: attamen ut illis omnis præcludatur cavillandi ratio circa adventum Petri in urbem, juvat hic superaddere, quod nihil facilius sit, quam ostendere, quod etiam circa tempus, quo Petrus Romam venit, & alia adjuncta, quæ adventum illum præcesserunt, & subsecuta sunt, non sit talis, ac tanta scriptorum discordia, quæ nullo modo ad concordiam revocari possit: nam primo, quod ad tempus pertinet, si attendatur ad illa, quæ habet Paulus Orosius in sua hist. lib. 7. cap. 4. ubi affirmat, quod Petrus Romam venerit *in exordio regni Claudij* plane videbitur, quod in substantia Orosius nihil penitus discrepat a sententia communiter fere jam recepta, quæ cum Eusebio & S. Hieronymo tenet, quod Petrus Romam venerit anno 2. regni Claudij (proxime inchoando) sicut ad conciliandam seriem illorum, quæ huc pertinent, ego probabilius existimo: sive anno æræ vulgaris 42. inchoato, atque ex Martyrologio romano die decimaquinta Kalendas Februarij, & anno 12. post mortem Christi, postquam ab Angelo liberatus e carcere, in quem ab Herode conjectus fuerat, *abijt in alium locum*, ut legitur actor. cap. 12. v. 17. nam Claudius, qui imperium adeptus

est anno æræ vulgaris 41. inchoato, postquam die 24. Januarij Cajus Caligula triginta vulneribus confossus a Cassio Cherea occisus fuit, imperavit annis quatuordecim, ut scriptores omnes consentiunt: jam vero annus secundus ad cujus proximum initium Petrus Romam venit, & ibi primus cathedram Episcopalem erexit, comparative ad integrum spatium temporis, quo Claudius regnavit, profecto pertinet magis ad exordium, quam vel ad dimidium vel ad finem regni illius, ita ut, sive dicatur, quod Petrus Romam venerit ab exordio, sive etiam anno secundo regni Claudij, idem plane sit, idemque significet.

Deinde quod spectat ad Lactantium, qui in lib. de *mortibus persecutorum Ecclesiæ* cap. 2. affirmat quod Petrus Romam venerit *Nerone jam imperante*: ex eo directe nihil aliud concludi potest, nisi quod dubius forte sit romanus Episcopatus Petri vigintiquinque annorum, non autem illius adventus in Urbem, sicuti illum, non istum dubium esse pronuntiat Baluzius in nota ad hunc locum Lactantij: dixi autem forte, nam revera etiam Lactantius facile conciliari potest cum communiori sententia, quæ tenet, quod Petrus Romam venerit anno 2. regni Claudij, & quod ibi cathedram Episcopalem tenuerit annis XXV. pro qua re breviter hic notandum est, quod duplex distingui debeat Petri in Urbem adventus, nempe unus sub Claudio Imperatore, alter vero sub Nerone successore Claudij, ut patebit ex ijs quæ infra dicturi sumus de gestis Petri: neque Lactantius videtur absolute excludere adventum Petri in Urbem sub Claudio, dum inquit, quod Romam venit *Nerone jam imperante*: nam scopus Lactantij in eo opere totus est, ut ostendat, quam infausta morte obiverint, qui Ecclesiam Christi persecuti sunt: ac proinde dum sermonem instituit de primo Ecclesiæ persecutore, &

dum occasione hujus meminit adventus Petri in Urbem, videtur respicere ad illum adventum Petri, qui cum illius martyrio proxime conjunctus erat, & quem contigisse anno primo Neronis communior est opinio, licet sint qui illum referunt ad sextum, aut septimum, imo vero plane ad ultimum Neronis annum, ut videre est apud Card. *Cortesium* in opere *de Itinere divi Petri* : atque ita per verba Lactantij non solum adventus Petri in urbem, sed neque Episcopatus ejus romanus vigintiquinque annorum reddi potest absolute dubius, & incertus.

Ad alteram & tertiam probationem nihil plane immorabimur ; nam quod ad postremam pertinet, perinde plane est sive in Sede Petri Romæ post illum primus sederit Linus, quod probabilius esse & monumentis Ecclesiæ romanæ conformius dictum est sect. 3. cap. 2. propos. 5. Opp. 4. ad primum : sive etiam Clemens, siquidem istud, cum solas personas respiciat, non potest ullo modo incertum, vel dubium reddere adventum Petri in urbem.

Deinde quod spectat ad discordiam scriptorum circa tempus Episcopatus Antiocheni, profecto, etiam ista non est ratio sufficiens, cur adventus Petri in Urbem in dubium revocari debeat : nam tam illi, qui communiorem sequuntur opinionem, idest qui cum S. Hieronymo in lib. *de Viris illustribus* in probatione citata affirmant quod Petrus *post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderunt in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia secundo Claudij anno ad expugnandum Simonem magum romam* perexerit, quam etiam illi, qui Episcopatum istum intra annos vigintiquinque Episcopatus romani concludi debere existimant, consentiunt, non solum, quod Petrus Romæ cathedram Episcopalem fixerit, sed

etiam, quod eandem annis vigintiquinque rexerit: ac proinde discordia ista in hac parte nihil plane exhibet, quod Petri adventum in Urbem vel dubium, vel incertum reddere possit: quia tamen in actis Apostolorum, & in Epistolis Sancti Pauli multa occurrunt, quæ cum Petri Episcopatu præsertim vero romano vigintiquinque annorum multam connexionem habent, & quoniam de his præsertim Onuphrius Panvinius part. 3. de primatu Petri cap. 1. inquit: *quod si septem anni Episcopatus Antiocheni distinguantur a vigintiquinque Pontificatus romani, nulla ratione fieri poterit, ut hæc ipsa actis Apostolorum, Epistolis Pauli, & temporum rationi respondeant*: operæ pretium est brevem hic subnectere notitiam, tum illorum, quæ secundum magis probatam, & magis communem veterum scriptorum sententiam a Petro gesta sunt, tum etiam illorum, quæ cum gestis istis in Scriptura sacra connexionem aliquam habent.

Porro autem, quod hic notandum est, quæstio ista de Petri profectione in Urbem, ejusque Episcopatu, tam Antiocheno, quam romano, non est ejusmodi, quæ ex manifesta Scriptura definiri debeat, sed ex traditione majorum: ac proinde satis est, quod tam in actis Apostolorum, quam in reliqua Scriptura nihil occurrat, quod aliquid eorum manifeste excludat.

His notatis tria sunt, quæ ex Patrum traditione magis recepta in gestis Petri attendi debent, nempe primum quod Petrus Antiochiæ septem annis, Romæ vero XXV. Episcopatum Ecclesiæ universæ gesserit: alterum vero quod Romam profectus sit itinere primo anno secundo regni Claudij: ac tandem tertium, quod ibi ultimo Neronis anno martyrio coronatus sit.

Deinde notandum est, quod Claudius ex communi sententia, ut supra dictum fuit, imperium adeptus sit initio anni æræ vulgaris 41., & quod æque ac Nero

illius proximus in imperio successor annis quatuordecim regnaverit: nam hoc notato, cum Petrus Romam venerit ex S. Hieronymo anno secundo regni Claudij proxime inchoando, & anno 42. æræ vulgaris abinitio, pervenit enim decimoquinto Kalendas Februarij ut ex Martyr. romano supra pariter jam dictum est, sequitur quod Petrus Romæ sub Claudio duodecim annis Episcopatum gesserit, si autem ad annos duodecim jungantur alij tredecim quibus ibidem sub Nerone universalem Ecclesiam rexit, pervenitur ad annos Vigintiquinque, & cum Martyrium subiverit 29. Junij, ut iterum ex Martyrologio Romano discimus, consequitur jam, quod Romæ fuerit Episcopus universalis Ecclesiæ annis vigintiquinque, mensibus quinque, & diebus undecim.

Præterea omnes qui Petri profectionem in Urbem statuunt anno secundo Claudij, consentiunt etiam in eo, quod illam aggressus sit, postquam ab Herode conjectus in vincula, & ab ijsdem per Angelum liberatus, eadem nocte intravit in domum Mariæ Matris Joannis, qui cognominatus est Marcus, ut narratur in actis cap. 12., & inde egrediens, ut ibi vers. 17. legitur, *abijt in alium locum*: Deo scilicet sic disponente, tum ut iram Herodis, ejusque insidias secure declinaret, tum etiam, ut S. Hieronymus ait, *ad expugnandum Simonem magum*, ac tandem præcipue, ut Episcopatus Universalis sedem ibi firmaret, unde pro munere sui Primatus Evangelium Christi in mundum universum facilius, & aptius omni tempore propagare posset: & quia teste Isidoro Hispalensi in lib. *de Vita*, *& morte Sanctorum* constat, quod Petrus martyrio coronatus fuerit anno 37. post *passionem Domini*. hinc Theologi fere communiter tenent, quod annus secundus Claudij sive 42. æræ vulgaris concincidat cum anno 12. post mortem Christi, nam si ab

annis 37. subducantur 25. quibus Episcopatum suum Petrus sub Claudio, & Nerone Romæ gessit, pervenitur ad annum 12.

Dixi fere communiter, nam qui Episcopatum Antiochenum concludunt intra spatium vigintiquinque annorum Episcopatus romani, tenent tam liberationem Petri e carcere, quam ejus profectionem, & adventum in urbem, ac propterea etiam secundum annum Claudij, & 42. æræ vulgaris coincidere cum anno nono post mortem Christi, atque ita, ut justam annorum supputationem ineant, coguntur jam ordinem temporum veterum scriptorum auctoritate firmatum invertere, atque asserere, quod Petrus cruci affixus sit anno 34. vel 35. post passionem Domini.

Postremo consentiunt omnes, qui Petrum Romam accersunt anno secundo regni Claudij, consentiunt inquam, quod inde postea simul cum cæteris Judæis discedere coactus sit edicto ejusdem Claudij, de quo Suetonius in Claudio cap. 25. inquit: *Judæos impulsore Chresto quodam* (11) *assidue tumultuantes*

(11) Tertullianus in Apologetico tradit, quod gentiles ex odio & per calumniam pro *Christum* & *Christianum* olim dicere soliti essent *Chrestum* & *Chrestianum*: quibus nominibus cognominari solitos fuisse apud græcos viros asperos & tristes, discimus ex Plutarcho in Photione: & fortassis hinc melius intelligitur, qui nam sint, qui ab Italis *Chrestosi* vocantur: Lactantius autem lib. 4. cap. 7. ait vocabula illa a gentilibus corrupta fuisse ex errore potius, quam ex malitia: & quia primitiva Ecclesia ex solis fere Judæis coaluit, sunt qui putant hoc loco Svetonij Judæorum nomine Christianos designatos fuisse tanquam a potiori parte, quæ tunc nomen Christo Romæ jam dederat, atque ita nomine Christi intelligi debere Christum: nec desunt ex incredulis, qui arrepta occasione hujus nominis, ex hoc facto deducunt Christianam religionem obesse statuum felicitati, & fovere vitia; ut præ alijs dogmatizasse Bernardum de Mandeville observavimus

Roma expulit : de qua expulsione, injicit mentionem in actis Apostolorum etiam S. Lucas, dum cap. 18. v. 2. narrat, quod Paulus egressus ab Athenis, & veniens Corinthum invenerit, *quemdam Judæum nomine Aquilam Ponticum genere, qui nuper venerat ab Italia, & Priscillam uxorem ejus, eo quod præcepisset Claudius discedere omnes Judæos a Roma*: hoc autem contigit secundum communiorem sententiam anno nono regni Claudij, & 18. post mortem Christi, ita ut ab anno secundo Claudij, & æræ vulgaris 42. inchoato atque 12. a morte Christi usque ad 18. intercedant anni septem, non autem quatuor

Sect. 1. cap. 1. Nota 3. econtra vero Samuel Petiscus notat ad hunc Svetonij locum, nomen *Chresti* tunc fuisse tam græcis, quam Romanis usitatissimum, ut proinde nomen istud apud Svetonium referri debeat ad alium quempiam, qui Judæis ad tumultuandum auctor & impulsor fuerit, non autem ad Christum: quidquid tamen sit nimitum sive Svetonius nomine *Chresti* intelligere voluerit Christum Dominum per contumeliam, sive alium quem piam, qui hoc nomine vocabatur, istud certissimum est, quod nomine Judæorum assidue tumultuantium haud quaquam designare voluerit Christianos, sed Judæos illos, qui nondum fidem Christi profiterentur: nam certissimum est, quod non Claudius, sed Nero tandem primam persecutionem in Christianos exorsus est, & Svetonius optime novit differentiam, quæ erat inter Judæos & Christianos, ut adeo eos promiscue significate minime potuerit: ut patet ex ijs, quæ scribit in Nerone cap. 16. dicens, *afflicti supplicijs Christiani genus hominum superstitionis novæ*, ac proinde si Svetonius loco citato nomine *Chresti* intellexit Christum, hoc certe sine manifesto Anacronismo fieri non potuit alio sensu, nisi isto, nimirum quod Judæi tumultuarentur adversus Christianos affirmantes, quod Christus esset Messias in lege promissus: certe enim dum Svetonius hæc scripsit Christus jam erat mortuus, nec poterat alio sensu ab eo, quo diximus esse impulsor Judæis ad tumultuandum.

vel quinque, ut putant, qui Episcopatum Antiochenum concludunt in spatio 25. annorum Episcopatus romani, & ita Petrus integro fere sexennio Roma absens sub imperio Claudij ut Romanus Pontifex universalem gubernavit Ecclesiam: sequimur autem hic ubique supputationem secundum numerum rotundum, & sine respectu ad dies, quibus series annorum Claudij excedit annos æræ vulgaris, & deficit ab annis a passione Christi: siquidem in materia probabili non est necessasia mathematica demonstratio.

His præmissis ex traditione majorum, ut ostendatur nunc nihil plane esse vel in actis Apostolorum, vel in Epistolis Pauli, quod cum ordine temporum secundum prædictam traditionem cum gestis Petri aptissime non respondeat, patet primo, quod a morte Christi, qui scilicet cruci affixus fuit cum esset annorum 33. & anno æræ vulgaris 29. (12) ut Sect. 2. cap. 2. ex probabiliori theologorum sententia dictum fuit (Vid. ibi Nota 2.) usque ad annum secundum Claudij proxime inchoandum, idest æræ vulgaris 42. inchoatum, in quo, ut dictum est ex communiori sententia, Petrus primo itinere Romam venit, interfluunt anni solidi duodecim: at vero anni duodecim satis sunt ad omnia explicanda, quæ vel in Epistolis Pauli, vel in actis Apostolorum cum Petro relationem aliquam habent: nec immerito, nam ut ea paucis hic prosequamur: Paulus Apostolus in Epistola ad Galatas cap. 1. v. 18. ait de seipso, *post annos tres*,

(12) Non esse eandem rationem computandæ æræ vulgaris, & veræ Epochæ Natalis ac mortis Christi, dictum fuit Sect. 2. cap. 2. Nota 2. neque hic aliud notandum superest, nisi ut in memoriam revocentur, quæ ibi dicta sunt; nimirum, quod summa annorum Christi sit semper quatuor annis superior summæ annorum æræ vulgaris.

scilicet a sua conversione, quæ contigit lapidato jam Stephano actor. cap. 7. idest elapso jam anno post mortem Christi, *veni Jerosolymam videre Petrum & mansi apud eum quindecim diebus* & quia lapidato Stephano, & facta persecutione actor. cap. 8. v. 1. legitur *omnes dispersi sunt per regiones Judeæ & Samariæ præter Apostolos* rectissime inde concludunt scriptores omnes, quod ante annum quintum post mortem Christi, qui fuit æræ vulgaris 34. inchoatus & in quo Paulus dicit se venisse Jerosolymam, Petrus Jerosolyma nondum egressus fuerat nisi forte per modicum tempus missus in Samariam, ab Apostolis, ut habetur actor. cap. 8. v. 14. jam vero ab initio anni quinti post mortem Christi usque ad annum duodecimum in quo Petrus ab Herode in vincula conjectus fuit, numerantur anni octo: igitur nihil impedit, quo minus Petrus, dimisso a se Paulo Cæsaream, & Tharsim actor. cap. 9. v. 30. dum Ecclesia post persecutionem & dispersionem prædictam, per totam Samariam, Judæam, & Galilæam *habebat pacem*, ut affirmatur ibidem vers. 31. & ipse anno isto quinto post mortem Christi regiones illas peragraret, & *pertransiret universos* ibidem vers. 32. perveniret tandem Antiochiam, ubi, ut legitur actor. cap. 11. v. 25. etiam tunc discipuli Christi primum Christiani appellati fuerunt, ibique Ecclesiam fundaret, & Episcopatum illius septem annis, atque ad duodecimum usque post mortem Christi teneret: quia vero ratione sui primatus curam gerere & intendere debebat in omnem Ecclesiam, nihil pariter impedit credere, quod durante isto septennio sæpe etiam proficisceretur ad Ecclesias Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ, ut affirmat S. Hieronymus in libro *de Viris illustribus* in Vita Petri, atque ita pervenerit primum Liddam, ubi Æneam pa-

raliticum sanavit: actor. cap. 9. v. 34. & deinde Joppen, ubi Tabitam Viduam a morte revocavit ad vitam: postea vero Cæsaream, ubi Cornelium gentilem baptizavit cum tota domo sua; actor. cap. 10. ac postremo rediverit Jerosolymam anno duodecimo post mortem Christi, & æræ vulgaris 41. ibique ab Herode in carcerem conjectus fuerit.

Deinde, ut etiam illa prosequamur, quæ ad Petrum pertinent post liberationem ab Angelo de manu Herodis, & primam ejus profectionem in urbem, imprimis sciendum est, quod in actis Apostolorum post narratam liberationem ejus, nulla amplius fiat mentio illius usque ad tempus Concilij Jerosimitani, de quo fit sermo actor. cap. 15. & in quo introducitur Petrus primus omnium dixisse sententiam vers. 7. ex quo colligitur, quod toto illo tempore Petrus, sicuti Jerosolymis, ita a Judæa tota abfuerit.

Hoc autem notato, docet S. Hieronymus comment. in Epistolam ad Galatas, quod prædictum Concilium celebratum fuerit anno 18. post Christi ascensionem in cœlum, quod iterum tam cum gestis Petri secundum communionem Theologorum opinionem, quam hic continuo sequimur, quam etiam cum ijs, quæ de hac re scribit Paulus in Epistola ad Galatas, maxime consentaneum est: nam si ad annum secundum Claudij, ad cujus initium Petrus Romam venit itinere primo, & duodecimum post mortem Christi, addatur septennium nondum completum Episcopatus romani sub Claudio, in cujus decursu Roma, discedere coactus fuit, pervenitur ad annum nonum Claudij ab initio, & decimumoctavum, computando simul annum duodecimum post mortem Christi, qui decurrebat, in quo propterea etiam Petrus eodem anno redux Jerosolymam eidem concilio interesse po-

tuit, & primus omnium sententiam dicere, sicuti illum fecisse modo diximus.

Præterea Claudius, ut supra dictum fuit, imperavit annis XIV., & totidem quoque immediatus illius successor Claudius Domitius Nero, sub quo Petrum iterum Romam redivisse affirmavimus anno imperij ejus primo: jam vero ab anno nono Claudij, usque ad annum primum Neronis, intercedunt sex anni, qui iterum sine dubio satis superque esse videntur, ut Petrus Ecclesias Orientis iterum lustrare, atque ita etiam Antiochiam redire potuerit, ubi tunc demum, postquam antea in Concilio Jerosolemitano *dexteras societatis* simul cum Jacobo & Joanne, Paulo & Barnabæ dedisset, ad Galat. cap. 2. v. 9. reprehendi a Paulo etiam potuit de sua conversatione, *qua cogebat gentes judaizare* ibidem vers. 14. ulterius si integri isti sex anni, quos Petrus sub regno Claudij Roma exul, vel Jerosolymis, vel in lustrandis Orientis Ecclesijs (nihil enim de hac re certo elici potest ex actis Apostolorum, in quibus post caput 15. nulla amplius fit mentio Petri) vel in alia occidentali mundi parte Evangelium Christi annuntiando insumpsit, addantur ad annos 18. pervenitur ad annum vigesimumquartum post mortem Christi, quibus si addantur anni 13. sui Episcopatus romani sub Nerone, nam anno 14. seu ultimo imperij illius crucifixus fuit, tunc pervenitur ad annum trigesimum septimum post passionem Christi, in quo ex Hieronymo & fere communi scriptorum sententia Martyrium simul cum Paulo passus est: atque ita nihil plane occurrit in sacra Scriptura, quod facile conciliari non valeat cum vulgari opinione de adventu Petri in urbem, de ejus Episcopatu Antiocheno septem annorum, antequam Romæ sedem suam fixerat, atque, de consequenti Episcopatu, quem Romæ gessit

spatio vigintiquinque annorum: ut superius dictum est.

Opp. 2. S. Lucas in actis Apostolorum nullibi plane meminit adventus Petri in urbem: præterea plura ibidem occurrunt, quæ cum Petri adventu & profectione in urbem conciliari non possunt: nam primo capite ultimo narratur quod Paulo Romam advenienti fratres obviam iverint, *usque ad Appij forum ad tres tabernas* vers. 15. nulla facta mentione Petri & vers. 22. subjungit Lucas quod fratres Paulum rogaverint, ut ipse diceret, quid de Christiana religione sentiat dicentes *rogamus autem a te audire, quæ sentis: nam de secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur*: sane autem si Petrus sub Claudio jam Romæ fuisset, non videtur, quomodo Judæi Paulum rogaverint, quid de secta ista ipse sentiat: deinde Paulus scribens ad Romanos cap. 16. pluribus salutem dicit suo nomine omisso penitus Petro; idem quoque de Petro silentium tenet in omnibus Epistolis, quas Romæ ad alias Ecclesias scripsit, sicuti sunt illæ, ad Philemonem, ad Timotheum, ad Philippenses, & in illa ad Colossenses postquam capite 4. meminit Aristarchi, Justi, & Marci vers. 11. subjungit dicens *hi soli sunt adjutores mei in regno Dei*: Ergo Petrus revera nunquam Romæ fuit.

Respond. ad primum *dist.* S. Lucas in actis Apostolorum nullibi meminit adventus Petri in urbem, neque ullibi pariter illum exclusit *conc.* secus *nego* Sanctus Lucas ut scribit Hieronymus in cathalogo scriptor. Ecclesiast. *Evangelium scripsit sicut audiverat: acta vero Apostolorum sicuti viderat composuit*, proinde mirum non est, si nullibi meminit adventus Petri in urbem: interim tamen nihil etiam habet, quod illum excludat, ut ex supra dictis manifestum

est: deinde revera Sanctus Lucas in actis omisit multa scribere etiam ex illis quæ obvia erant; sic ut aliqua commemoremus, quod Sanctus Joannes Apostolus longiori tempore Ephesi sederit, ibique jam senio confectus rogatus ab Asianis Episcopis Evangelium suum scripserit, nemo plane in dubium vertit: & nihilominus etiam oblata occasione, scilicet dum capite 19. narrat illa, quæ Paulus Ephesi gessit, nullam prorsus injicit de Joanne mentionem: sic etiam quod Paulus Antiochiæ Petro in faciem restitit, testatur Paulus ipse ad Galatas cap. 2. v. 11. & tamen S. Lucas nullibi meminit, quod Petrus aliquando cum Paulo Antiochiæ fuerit: neque valet hic respondere cum Harduino, quod Cephas ille, cui Paulus restitit, alius fuerit a Petro, nam errorem hunc jam supra refutavimus, & refutat etiam expresse S. Hieronymus in cap. 2. Epist. ad Galatas dicens, *sunt qui Cepham non putent Apostolum, sed alium de septuaginta discipulis isto vocabulo nuncupatum, & dicunt nequaquam Petrum a convictu gentium se potuisse subtrahere; qui Centurionem Cornelium baptizavit . . . maxime cum Lucas scriptor historiæ nullam hujus discussionis faciat mentionem, nec dicat unquam Petrum Antiochiæ fuisse cum Paulo* & post pauca ostendens, quomodo hæc omnia nihil plane concludunt, subjungit *non mirum est, si Lucas hanc rem tacuerit, cum & alia multa, quæ Paulus sustinuisse se replicat, historiographi licentia prætermiserit*: huc accedit quod S. Lucas in actis non tam Petri vel alterius cujusdam Apostoli, sed solius fere Pauli peculiarem historiam descripserit, ut proinde etiam ob hanc rationem mirum esse non debeat, si Petri profectionem, & adventum in Urbem silentio præterivit.

Ad alterum *nego ans.* ad primam probat. *dist.* S.

Lucas capite ultimo actorum narrat, quod Paulo advenienti in Urbem obviam iverint fratres in communi nullo illorum singillatim nominato *conc.* distinctim & excluso aperte Petro *nego*. Principio S. Lucas, *cujus historia pervenit usque ad biennium Romæ commorantis Pauli, idest usque ad quartum Neronis annum* ut ait S. Hieronymus in lib. de *viris illustr.* pauca admodum commemorat distincte in postremo capite actorum etiam ex illis, quæ Paulum ipsum proxime tangunt: nam de integro biennio quo in vinculis Romæ detentus fuit, nihil aliud refert, nisi quod *suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum prædicans regnum Dei, & docens, quæ sunt de Domino Jesu Christo cum omni fiducia sine prohibitione*, ut legitur vers. 30. & 31. & silet omnino de vinculis, quæ Paulus ipse in Epist. ad Philipp. cap. 1. v. 13. manifesta facta fuisse testatur *in omni Prætorio*: silet etiam de Epistolis, quas certum est ipsum Romæ ex suo conducto misisse ad alias Ecclesias, scilicet ad Ephesios, ad Philippenses, ad Timotheum ad Philemonem, & probabiliter etiam ad Galatas, & nihil omnino narrat expresse & nominatim de illis, quos Paulus illo tempore ex domo Cæsaris sibi amicitia conjunxerat, quorum tamen nomine, sicut aliorum fratrum Philippenses in sua ad eosdem Epistola salutat. cap. 4. v. 22. dicens *salutant vos, qui mecum sunt fratres; salutant vos omnes sancti, maxime autem qui de Cæsaris domo sunt*: unde intelligitur, quod universim loquendo, nihil plane prohibet, quin in numero fratrum de quibus S. Lucas in actis cap. ultimo v. 15. inquit *quod cum audissent* (venire scilicet Paulum) *occurrerunt fratres usque ad Appij forum, ac tres tabernas* inveniretur etiam Petrus: etenim S. Lucas loquitur de fratribus indiscriminatim, neque ullum ex illis no-

minatim indicat ; ac proinde etiam nullum positive excludit: deinde sunt qui putant, & revera valde probabile est, & pene certum, quod Petrus post alterum suum adventum in Urbem anno primo Neronis non diu Romæ substiterit, & quod ante adventum Pauli, pro sui Apostolatus & primatus munere relictis ibi Vicarijs suis Lino, & Cleto, qui post ejus mortem in Pontificatu universalis Ecclesiæ eidem proxime successerunt, ad visendas Ecclesias, quas tempore Romani Episcopatus sub Claudio in Occidente, tam intra quam extra Italiam ipse fundaverat, personaliter accesserit, atque ita, dum Paulus vinctus duceretur in Urbem, plane etiam absens esset: etenim æquum valde est imo etiam necessarium cogitare, quod Petrus illo ipso tempore, quo vel Antiochiæ, vel Romæ Episcopatum tenuit, non perpetuo in illis Civitatibus firmus permanserit, ut subinde vel ad alias provincias, vel ad alias civitates, quæ per totum Occidentem, & Affricam late patebant, non migraverit, ut falso sibi imaginantur, & persuadere alijs pertentant, qui illum Romam venisse negant.

Ad alteram probat. *dist.* Si Petrus sub Claudio jam Romæ fuisset non videtur, quomodo judæi advenientem Paulum rogare poterant, ut diceret, quid de secta ista ipse sentiat, in hypothesi, quod de veritate fidei jam auditæ firmiter etiam fuissent persuasi *conc.* secus *nego*. Nihil plane repugnat, ut antequam Paulus Romam vinctus perduceretur, Petrus jam longe ante Evangelium Christi ibidem docuerit, & tamen Judæi a Paulo postea convenienter, & congrue postulare potuerint, ut etiam ipse diceret, quid de fide ista sentiret: nam universim, sicut ex effectibus sæpe cognoscuntur causæ, ita etiam ex ijs, quæ secuta sunt ad prædicationem Pauli facile cognosci po-

test, quo animo, & ex quo motivo fratres, qui Paulo adventanti in Urbem obviam iverunt, eundem rogaverint, ut ipse diceret, quid de secta Christianorum sentiret: nimirum, ut Lucas eodem loco v. 24. affirmat, post vehementissimam prædicationem Pauli protractam a mane usque ad vesperam, *quidam credebant his quæ dicebantur, quidam vero non credebant, cumque seinvicem non essent consentientes discedebant*: ex quibus non obscure colligitur, quod non alio animo rogaverint Paulum, nisi quia de veritate fidei Christianæ intime non erant persuasi, non autem, quod eadem ipsis esset penitus nova, & inaudita, & revera quod enim jam ante Pauli adventum in Urbem ijsdem declarata fuerint Christianæ fidei instituta, produnt ipsi per sese, dum ibidem inquiunt, *nam de secta hac notum est nobis quia ubique ei contradicitur*: quomodo enim nota dici poterat secta, de qua nihil unquam audiverunt: igitur dum rogant ut Paulus dicat, quid ipse sentiat, videntur Pauli sensum exquirere, non circa aliquid ipsis penitus ignotum, & antea non auditum, sed quia plures ex illis Petro jam olim evangelium annuntianti, vel penitus non crediderunt, vel quia debiles in credendo, cupiebant novo testimonio iterum audire, quæ jam antea audiverant: & quia alij ex illis etiam post Pauli prædicationem, Deo sic disponente, obstinati permanserunt, testatur ibidem Sanctus Lucas, quod justo judicio Dei in eorum cæcitate relicti fuerunt; dum inquit *cumque invicem non essent consentientes discedebant, dicente Paulo unum verbum: quia bene Spiritus Sanctus locutus est per Jsaiam prophetam ad Patres nostros dicens, vade ad populum istum, & dic ad eos, aure audietis, & non intelligetis, & videntes videbitis, & non perspicietis.*

Ad tertium *dist.* Paulus scribens ad Romanos jubet plures suo nomine salutare omisso Petro, quia Petrus tunc Roma absens erat. *conc.* secus *nego* Mirum esse non debet quod Paulus in Epistola ad Romanos plures nominatim salutat, & de Petro nullam plane mentionem faciat; nam primo, ex argumento negativo, cujusmodi est præsens, nihil plane concluditur adversus factum aliquod, nisi ejus falsitas aliunde innotescat: deinde certum etiam est, quod Paulus in salutandis fratribus non ubique eundem morem servat; nam sæpe aliquos jubet salutare, sæpe etiam omittit officium istud, ut fit in duabus Epistolis ad Corinthios, atqne ad Thessalonicenses; & sæpe quoque non salutat eos, qui primi sunt apud illos; ad quos scribit; ut in Epistola ad Ephesios, in qua minime meminit, vel Timothei, qui tunc certe Ephesi morabatur, vel etiam S. Joannis Apostoli, qui tunc in Insulam Patmos nondum relegatus fuerat: Tandem cum Petrus esset Apostolus oportebat, ut etiam ipse, sicut alij Apostoli fidem Christi per varias Provincias evangelizando propagaret; & cum esset etiam Princeps Apostolorum, & Pastor universalis, necesse erat, ut sæpe ad alia loca proficisceretur, & Ecclesias quas vel ipse, vel alij fundaverunt, præsentia sua inviseret, ut superius jam dictum fuit: unde etiam concludi potest, quod Paulus ad Romanos scribens Petrum salvere omiserit, quia tunc Petrus Roma absens erat.

Ad quartum *dist.* pariter, nempe Paulus in Epistolis, quas Romæ scripsit ad alias Ecclesias, nusquam Petri meminit, quia tempore illo, quo Epistolæ illæ scriptæ fuerunt, Petrus Roma absens erat *conc.* secus *nego*. Imprimis incongruum plane non est, ut Paulus scribens ad alias vel Ecclesias, vel particulares personas, alijsque vel suo, vel aliorum nomine

salutem dicens; Petri mentionem nullam fecerit, licet forte Petrus etiam tunc Romæ præsens fuisset; universim enim necesse non est, ut dum quis ad alios scribit, ijsdem salutem dicat ab omnibus, qui in eodem loco, vel amicitia, vel alia necessitudine sibi conjuncti sunt: nempe istud demum facere consuetum est, cum ab illis quorum nomine salus ad alios perscribenda est, ut hoc fiat, in mandatis accipitur: deinde omnes illæ Epistolæ, quas Paulus Romæ vel ad alias Ecclesias, vel ad particulares personas scripsit, scriptæ fuerunt in illo biennio, quo Paulus tenebatur vinctus, & sub custodia: porro autem nihil implicat, quod Petrus post suum reditum in Urbem anno primo Neronis integro illo biennio, quo Paulus vinctus tenebatur, in lustrandis Ecclesijs occidentis occupatus esset, & quod forte Romam non rediverit nisi raro atque ad breve tempus, usque ad ultimum annum Neronis, in quo simul cum Paulo Martyrium passus est: atque ita quod Paulus nullam unquam occasionem habuerit salutem nomine Petri ad alias vel Ecclesias, vel particulares personas perscribendi.

Ad probat. *dist.* Aristarchus, Justus, & Marcus dicunctur soli adjutores Pauli in regno Dei, qui illum actu juvabant, & cum eo domestica consuetudine utebantur *conc.* secus *nego*. Nempe nihil plane impedit credere, quod Paulus Apostolus, cum in Epistola ad Colossenses cap. 4. v. 11. de Aristarcho, Justo, & Marco inquit: *hi soli sunt adjutores mei in regno Dei* loquatur de illis, qui eum actu juvabant in propagatione Evangelij, & fortassis etiam cum illo domestica consuetudine utebantur, eo ferme pacto quo in 2. ad Timoth. cap. 4. v. 11. ait, *Lucas est mecum solus*: ac proinde non obstat, quod Petrus Romæ regnum Dei primus annuntiaverit, ibique longe ante Pauli adventum Ecclesiam fundaverit: nec mirum est, vel es-

se debet quod istos solos commemorat Paulus nulla facta mentione Petri: nam etiam Epistola ad Colossenses scripta fuit a Paulo in suo conducto, quando Petrus probabiliter Roma absens erat; ut supra dictum fuit: de cætero constat ex Epistola ad Philippenses, quæ pariter Romæ scripta est, quod revera Paulus præter Aristarchum, Justum, & Marcum alios quoque plures Romæ adjutores habuerit in prædicatione Evangelij: nam cap. 1. v. 14. inquit, *& plures e fratribus in Domino confidentes vinculis meis abundantius auderent sine timore verbum Dei loqui*.

Verum dicet hic forte aliquis, quomodo intelligi potest Petrum Romæ fuisse Episcopum, qui toto fere tempore sui Episcopatus Roma etiam absens fuisse affirmatur? quibus respondemus, quod ratio Episcopatus universim fundata sit, non tam in præsentia personæ, quam in auctoritate, & jurisdictione, eo prorsus modo, sicut de successionis non interruptæ ratione in tempore sedis vacantis dictum est sect. 3. cap. 2. propos. 5. opp. 4. ad tertium. Neque immerito: nam quis dixerit S. Athanasium v. g. cessasse esse Episcopum Alexandrinæ Ecclesiæ toto illo tempore, quo Arianorum factione, & impietate Constantij Imperatoris in exilio vitam ducere coactus est, vel Pium VII. amisisse Episcopatum suum, & primatum in universam Ecclesiam toto illo tempore, quando intempesta nocte præcedente ad diem sextam Julij anno 1809. fraude & gallorum præpotentia a Sede sua Romana avulsus, & in exilium deportatus, ad eandem redire permissus non fuit, nisi demum 24. Maji 1814. nemo profecto? igitur hoc eodem modo etiam Petrus erat semper Romæ Episcopus, non minus Romæ, quam alibi, puta Jerosolimis & in Judæa, post ejus exilium tempore Claudij, & in toto Occidente, atque in Affrica, tempore Neronis,

quando ad fideliter implendum munus suum duplex Apostolatus scilicet, & primatus, sua sponte ad partes illas profectus est.

Oppos. III. Omnes Episcopi sunt inter se pares, nam omnes sunt ex æquo successores Apostolorum, & ipse etiam Romanus Pontifex est Episcopus, non autem Apostolus: quæ omnia comprobat imprimis S. Hieronymus dum in Epist. ad Evagrium inquit *ubicumque fuerit Episcopus sive Romæ sive Eugubij . . . ejusdem meriti est & Sacerdotij*: deinde etiam S. Cyprianus dum in lib. de Unit. Eccl. ait *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur* ergo Romanus Pontifex nullum habet primatum jurisdictionis supra cæteros Episcopos &c.

Respond. ad primum *nego ans.* ad primam probat. *dist.* Omnes Episcopi sunt ex æquo successores Apostolorum quoad aliqua *conc.* quoad. omnia *nego*. Nimirum Episcopi dicuntur, & sunt omnes ex æquo successores Apostolorum, non utique quia omnes ex æquo apostolica potestate præditi sunt, & quoad omnia, sed tantum quoad aliqua, idest quia omnes eandem originem habent, & eandem dignitatem Episcopalem; ex quo fit, ut sicut Apostoli a Christo extraordinarie missi sunt cum æquali potestate, ut Evangelium prædicarent, & Ecclesias instituerent, atque institutas regerent, ac gubernarent, semper tamen dependenter a Petro, qui constitutus fuit eorum caput & Princeps, ita etiam Episcopi præsunt potestate regendi & gubernardi proprias Ecclesias sibi commissas, semper tamen cum subordinatione ad Romanum Pontificem: ut infra uberius declarabitur.

Ad alteram probat. *dist.* Romanus Pontifex est etiam ipse Episcopus cum sibi inhærente plenitudine Apostolicæ potestatis *conc.* secus *nego*. Principio

tametsi in Romano Pontifice duo ista, nempe quatenus est Romanæ Urbis Episcopus; & quatenus est summus Pontifex primatum habens in universam Ecclesia, separatim considerari possint, non sunt tamen in eo duo Episcopatus distincti, sed unus tantum, ille scilicet in quo Petro succedit, sicuti dictum jam fuit supra Nota 1. & universim loquendo Romanus Pontifex non est Apostolus, sed Episcopus, & etiam Episcopatus in illo ratione ordinis est idem, qui in alijs Episcopis, non est tamen idem ratione potestatis & jurisdictionis, nam quatenus est successor divi Petri, est Episcopus Apostolicus, & Episcopatui illius adnexa est ex Christi institutione in persona Petri summa & plena potestas jurisdictionis in universam Ecclesiam, dum interim alij Episcopi non habent jurisdictionem, nisi limitatam ad illorum diœcesim: deinde in Apostolatu tria considerari debent, ut docet Bellarminus lib. 2. de Rom. Pontif. cap. 12. nempe *primo*, quia Apostoli fuerunt immediate divinitus inspirati, *secundo* quia missi fuerunt a Christo cum plena potestate prædicandi ubique Evangelium, & fundandi Ecclesias; & *tertio* quia summam habuerunt easdem Ecclesias, quas ipsi fundaverunt regendi & gubernandi potestatem, cum hoc tamen discrimine, quod in cæteris Apostolis Apostolatus iste erat potestas extraordinaria, & potestas regendi & gubernandi non extendebat se, nisi ad Ecclesias ab ipsis fundatas, in Petro autem Apostolatus erat potestas ordinaria, & quæ se extendebat ad omnem Ecclesiam: & licet fatendum sit, quod Romano Pontifici non conveniat prærogativa illa Apostolatus, qua dici possit etiam ipse divinitus inspiratus, siquidem, ut alibi dictum fuit, in Ecclesia Christi non suscipiuntur post tempora Apostolorum novæ de fide & moribus revelationes, quia

tamen in Episcopatu suo Petro succedit in prærogativa primatus, quæ Petro primum collata fuit a Christo propter Ecclesiam, quatenus hæc duratura erat usque ad mundi finem, & quæ propterea tanquam potestas ordinaria transire debebat, etiam ad suos successores, hinc fit, quod Romanus Pontifex eandem semper habeat cum Petro summam potestatem in omnem Ecclesiam; atque ideo licet proprie loquendo non sit Apostolus, sed Episcopus, est tamen cæteris omnibus Episcopis potestate & jurisdictione superior.

Ad alterum *dist.* Ex S. Hieronymo Episcopi omnes ubicunque fuerint sunt *ejusdem meriti & Sacerdotij* quantum ad potestatem ordinis *conc.* quantum ad potestatem jurisdictionis *nego*. Nimirum Sanctus Hieronymus in lib. 1. adversus Jovinianum inquit *inter duodecim unus eligitur ut capite constituto schismatis tollatur occasio*: quomodo autem intelligi potest, quod Petrus, de quo hoc loco loquitur Sanctus Hieronymus, & in Petro ejus successor Romanus Pontifex constitutus sit caput omnium, eo fine, ut in illo, & per illum unitas & integritas totius corporis consisteret, ut docet citatus Sanctus Doctor, si ipse nulla potestate cæteris Episcopis supereminеat, nec majorem alijs auctoritatem & jurisdictionem in Ecclesia Dei habeat? igitur dum S. Hieronymus inquit, quod Episcopus quilibet ubicunque fuerit est ejusdem meriti & Sacerdotij, intelligi necessario debet de identitate meriti, & Sacerdotij, ratione ordinis, non autem ratione jurisdictionis.

Ad tertium *dist. primam partem*. Ex S. Cypriano Episcopatus unus est in singulis Episcopis ratione muneris atque officij in genere *conc.* ratione auctoritatis, & jurisdictionis in specie *nego*, & *dist. etiam alteram partem* nempe singuli Episcopi tenent in solidum

partem Episcopatus inæqualem *conc.* æqualem *nego Episcopatus* ut inquit S. P. Augustinus lib. 19. de Civit. Dei cap. 19. *nomen est operis non honoris*, unde ibidem paucis interjectis, quæ ad nominis æthimologiam pertinent, quam Sanctus Doctor repetit a græco vocabulo *Epi*, quod *super*, & *scopos*, quod intentionem significat, subjungit dicens, *ergo Episcopim græce, si velimus latine superintendere possumus dicere, ut intelligat, non esse Episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse*: ex quibus discimus, quod munus, & Officium Episcopatus in genere aliud non sit, quam *superintendere*, ut adeo quilibet Episcopus, ut vere Episcopus sit in Ecclesia Christi, plebi fidelium superintendere debeat: quod autem Sanctus Cyprianus sermonem instituat de Episcopatu universim accepto, dum in lib. de Unit. Eccl. inquit; *Episcopatus unus est*, & quod loquatur de munere, & officio illius in genere, non autem de auctoritate, & jurisdictione Episcoporum in specie, evidentissimum esse videtur: nam ibi productis verbis Apostoli ad Epes. cap. 4. v. 4. nempe; *unum corpus, & unus Spiritus, una spes vocationis vestræ, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus*: ut ostenderet, quod etiam Ecclesia una sit, inquit, *quam unitatem firmiter tenere, & vindicare debemus, maxime nos Episcopi, qui in Ecclesia præsidemus, ut Episcopatum quoque ipsum unum, atque indivisum probemus: nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei unitatem perfida prævaricatione corrumpat*: & postea subjungit verba in objectione producta dicens: *Episcopatus unus est, cujus a singulis in solidum pars tenetur*: profecto autem si hæc postrema cum antecedentibus conjungantur clare videbitur, quod hoc loco nihil plane occurrit, quod ad auctoritatem, & jurisditionem pertinere appareat:

nam auctoritas, & jurisdictio habent pro objecto regimen, & gubernationem Ecclesiæ: hic autem omnia eo tendunt, & eo directa sunt, ut unitas fidei, imprimis incorrupta teneatur, & vindicetur, maxime ab Episcopis, ut adeo exinde etiam appareat, quod etiam Episcopatus unus sit: ac proinde Sanctus Martyr non alio sensu affirmat, quod Episcopatus unus est, nisi istó, nimirum, quia munus, & officium cujuslibet Episcopi generatim in eo consistit, quod quivis Episcopus obstrictus est superintendere, ut unitas fidei non dividatur in partes, nullatenus vero in eo, ut Ecclesia ipsa maxime vero universa, una eademque auctoritate, & jurisdictione ab omnibus administretur.

Neque contrarium evincitur, ex eo, quod S. Martyr affirmat Episcopatum ita esse unum, ut a singulis in solidum pars teneatur: nam particula illa *in solidum*, qua adversarij hic potissimum abutuntur, ex Jurisperitorum consensu nihil aliud significat, quam *per se solum*, ut legitur in Vocabulario utriusque juris artic. *Solidum*, & si attendantur integra S. Martyris verba, clare videbitur, quod in citato loco particula illa in *solidum* non pertinet neque ad Episcopatum, quem unum esse dicit, neque ad partem, quatenus una, & æqualis affirmetur in singulis, sed potius ad singulos, ita ut integer verborum istorum sensus sit iste planus, & obvius, nimirum Episcopatus unus est ratione muneris, & officij in genere spectati, cujus a *singulis in solidum* idest ab uno quovis Episcopo singulari *per se solum* pars tenetur: ac proinde Sanctus Cyprianus eo in loco nihil aliud innuit, nisi quod de Episcopatu, quem in ratione muneris, & officij generatim spectati unum esse pronuntiat, unusquisque Episcopus per se solum propriam partem teneat, sine eo, ut exinde sequatur, partes singulorum æquales esse, etiam in administratione,

& exercitio Episcopatus, ita ut singulares quilibet Episcopi, sicut munere, & officio in genere spectato, ita etiam auctoritate, & jurisdictione pares sint cum romano Pontifice, eo ferme pacto quo S. P. Augustinus in lib. 1: contra Epist. Pelagij cap. I. Bonifacium Pontificem alloquens affirmat omnibus, qui Episcopatus officio funguntur, communem esse speculam pastoralem, ita tamen, ut simul fateatur illum in ista specula: *celsiore fastigio*, præminere dicens, *communis est nobis omnibus, qui fungimur Episcopatus officio, quamvis ipse in ea præmineas celsiore fastigio specula pastoralis*: generatim enim *sicut in uno corpore multa membra habemus*, ut inquit Aposto'us in Epist. ad Rom. cap. 12. v. 4. *non tamen omnia membra eundem actum habent*, ita etiam in Episcopatu, qui unus est, in ratione muneris, & officij, sunt plures Episcopi, qui tamen in auctoritate, & jurisdictione non omnes pares sunt, sed unus semper subditur alteri, omnes autem Romano Pontifici, ratione sui primatus in universam Ecclesiam, quemadmodum in eodem lib. de Unit. Eccl. manifeste ostendit S. Cyprianus ipse, nam paulo ante verba in objectione producta præmiserat hæc alia, dicens, *quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem* (Christus) *tribuat, & dicat, sicut misit me Pater, & ego mitto vos accipite Spiritum Sanctum, si cui remiseritis peccata remittuntur illi; si cui retinueritis, tenebuntur: tamen ut unitatem manifestaret, unitatis ejusdem originem ab uno incipientem, sua auctoritate disposuit.... & Primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur*.

Opp. 4. Primatus fuit in Petro privilegium personale, ergo non transit ad successores: antecedens patet, siquidem fuit a Christo adnexum, non loco

alicui, sed personæ Petri ad mercedem, & præmium sui amoris, ut constat ex Joan. cap. 21. quo certe præditi non videntur Romani Pontifices: præterea in Petro obtinuerunt alia dona, nempe donum miraculorum, donum Prophetiæ etc.; atqui dona ista Petri non transeunt ad illius successores, seu ad Romanos Pontifices, ut experientia demonstrat; ergo neque transit privilegium primatus. Tandem si Romanus Pontifex haberet primatum in universam Ecclesiam, tunc merito appellari jam posset Episcopus universalis atqui S. Gregorius magnus damnat nomen istud Episcopi universalis tanquam *stultum*, & *superbum* in lib. 5. Epist. 18. ubi etiam affirmat, quod nullus prædecessorum suorum nomen istud sibi assumpserit: ergo &c.

Respond. Ad primum, & secundum *dist.* Primatus fuit in Petro privilegium personale, & a Christo adnexum personæ Petri tanquam bonum publicum collatum illi propter Ecclesiam *conc.* fuit privilegium personale, & privatum, quod uni tantum personæ Petri pro se, & propter se a Christo illi collatum fuit, *nego*. Utique privilegium primatus fuit in Petro personale, & a Christo adnexum, non loco alicui determinato, sed personæ Petri, hoc sensu, quia Petrus, & non Joannes, non Andreas, non alius Apostolorum a Christo constitutus fuit supremus Ecclesiæ suæ Pastor, & rector: verum quia privilegium istud Petro collatum fuit, non pro Petro, sed pro bono communi totius Ecclesiæ, quatenus hæc duratura erat usque ad consumationem sæculi, hinc est, quod considerari debeat, non tanquam privilegium mere privatum, & ejus generis, quod cum Petro cessare debeat, sed tanquam privilegium publicum, & tale quod ad Petri successores necessario transire semper debebat.

Ad probat. *dist.* Primatus fuit in Petro merces, & præmium sui amoris tanquam effectus causæ impulsivæ *conc.* tanquam effectus causæ finalis *nego*. Quamvis aliquo modo verum sit, quod Zelus, fervor, & amor, maxime vero ille, quem Petrus manifestavit erga Christum Joan. cap. 21. v. 17. dicens: *Domine tu omnia nosti, tu scis quia amo te*, dici possit, quod fuerit causa, cur Christus Petro prærogativam istam super cæteros Apostolos contulerit, eumque supremum totius gregis sui, idest tam agnorum, quam ovium, Pastorem constituerit dicens: *pasce agnos meos pasce oves meas*: certissime tamen amor Petri non fuit causa finalis, sed tantum causa impulsiva; ac proinde ex eo evinci non potest, quod prærogativa ista non transeat ad Petri successores, tametsi forte non omnes Christum eo fervore diligant, quo illum dilexit Petrus: universim enim finita causa impulsiva, non finitur effectus; & privilegium concessum in bonum alterius, seu propter finem aliquem alium, non extinguitur cum persona, cui primum concessum fuit, sed transit semper ad successores, quousque subsistit causa finalis, propter quam primum concessum est.

Ad alterum *dist.* in Petro erat donum miraculorum, Prophetiæ &c. tanquam dona personalia primario in bonum ipsius Petri a Christo collata *conc.* secus *nego*. Nimirum Christus Dominus concessit quædam Petro ad privatum bonum illius, & mere personale puta, ut ipse loqueretur diversis linguis, ut ad ejus umbram infirmi sanarentur, act. cap. 5. v. 15., & alia hujus generis: quædam vero non propter ipsum, & in privatum bonum illius, sed propter Ecclesiam, quam ipse repræsentabat tanquam summus illius Pastor, sicuti sunt illimitata potestas clavium ligandi, & solvendi, & privilegium non errandi in fide, quæ duo maxime necessaria erant, ut oves Christi sibi

commissas recte pascere, & fratres sine errore in fide confirmare posset, sicut illi impositum fuit a Domino Lucæ cap. 22. v. 32. quamobrem licet dona primi generis, generatim loquendo, non transeant ad Petri successores Romanos Pontifices, non est tamen eodem modo discurrendum de privilegio primatus: nam sine illis subsistit perfecte Ecclesia, neque illa pertinent ad essentiam primatus; siquidem etiam sine illis fieri potest recta Ecclesiæ gubernatio, propter quam primatus Petro datus fuit, ut attendentibus patet.

Dictum est autem, generatim loquendo: nam revera, & in particulari, difficile non esset ostendere, quod non raro, sed sæpissime in cathedra Petri sederint Pontifices, qui dono miraculorum, prophetiæ, alijsque privatis, & personalibus Petri prærogativis, atque donis largiter insigniti, & a Christo dotati fuerunt.

Dices: Apostolatus non transivit ad successores Apostolorum Episcopos; ergo neque primatus ad successores Petri.

Respond. dist. ans. Apostolatus non transivit ad successores Apostolorum Episcopos, quia non erat potestas ordinaria, sicut Primatus in Petro *conc.* secus *nego ans.*, & paritatem: nam maxima est disparitas inter Apostolatum, & primatum: siquidem apostolica potestas fuit extraordinaria in Apostolis, atque, ut supra jam dictum fuit, eo fine ipsis collata, ut prædicando, & evangelizando fidem in Christum per totum mundum, instituerent, atque fundarent ubique Ecclesias; ac proinde postquam Ecclesia ipsa perfecte jam constituta, & fundata fuit, debebat privilegium istud per se, & naturaliter habere finem; nam cessante fine, propter quem privilegium aliquod confertur, cessat hoc ipso etiam privilegium ipsum, nec transit ulterius ad alios: econtra autem Primatus fuit

in Petro potestas ordinaria, siquidem ut sæpe dictum est, fuit Petro collatus non propter Petrum, neque præcise, ut Ecclesia per Petri, & Apostolorum prædicationem institueretur, aut fundaretur, sed ut ipsa hoc modo jam instituta, atque fundata semper firma, & immobilis persisteret, in eadem plane regiminis forma, in qua primum secundum Christi præceptum instituta fuit, ita ut nullo unquam tempore in illa deesset legittima, & suprema eaudem regendi, & gubernandi auctoritas: ideo enim ut ait S. Cyprianus de Unit. Eccles. *Exordium ab unitate proficiscitur, & primatus Petro datur, ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur*: ac proinde licet Apostolatus non transiverit, nec transeat ad Apostolorum successores Episcopos, transivit tamen, & transire debet primatus Petri.

Ad postremum *dist.* Gregorius Magnus damnat nomen Episcopi universalis tanquam stultum, & superbum, in aliqua significatione, seu in sensu relativo, quatenus significat unum solum esse in Ecclesia vere Episcopum *conc.* absolute, & in omni significatione; *nego*. Nomen Episcopi universalis, sive, ut aptius alij loquuntur, *Episcopi Episcoporum* in se inspectum, potest habere duplicem sensum, unum pravum, & alterum rectum: pravus est, si ita accipiatur, ut unus tantum intelligatur esse in Ecclesia, qui vere Episcopus sit, alij autem sint puri, & simplices unius istius Episcopi Vicarij: rectus autem, si ita accipiatur, ut unus dicatur, & significetur in Ecclesia Christi Episcopus, qui propter primatum, quem habet ex institutione Christi in Ecclesiam universam cæteris Episcopis omnibus auctoritate, & jurisdictione ita prælatus existit, ut etiam ipsi in exercitio sui Episcopatus ab illo dependere intelligantur: si nomen

istud in priori sensu accipiatur, profecto non est nisi nomen stultum, & superbum: imo etiam nomen blasphemiæ, ut alibi affirmat idem Sanctus doctor, nam non unus sed plures plane positi sunt, *a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei* actor. cap. 20. v. 28. neque unus tantum, sed omnes Episcopi habent jus proprium, & originarium, idest ex Christi institutione ferendi suffragium decisivum in Concilijs generalibus ut sect. 4. propos. 4. probatum fuit, eo quia omnes vere, & proprie sunt Judices fidei, ut Theologi omnes affirmant: si autem accipiatur in sensu illo, in quo unus dicitur primus omnium, ita ut ab ejus auctoritate cæteri omnes ex Christi institutione dependere debeant, tunc non solum, non redolet ullam stultitiam, vel superbiam, sed etiam jure, atque merito Romano Pontifici attribui debet: neque enim quidquam prohibet, quin plures sint in Ecclesia Christi vere, & proprie Episcopi, & unus inter illos sit summus, & primus omnium, qui etiam in ipsos Episcopos auctoritatem, & jurisdictionem habeat: nam ut supra vidimus, atque ex S. P. Augustino lib. 19. de Civit. Dei cap. 19. didicimus *Episcopa'us nomen operis est, non honoris* ita ut vere non sit Episcopus, qui *præesse dilexerit, non prodesse*: profecto autem nihil omnino prohibet, quin inter plures operarios, unus inveniatur supremus, qui, dum etiam ipse operatur, & prodest, alijs operarijs præesse intelligitur: quod autem Sanctus Gregorius Magnus nomen istud Episcopi universalis reprobat, atque damnat in sensu priori, pravo scilicet, patet manifeste ex eo, quia tam lib. 5. in Epist. 18. in objectione laudata, quam in diversis, alijs suis Epistolis in quibus de hoc argumento pertractat, totus est, ut coerceat Joannis jejunatoris Constantinopolitani Patriarchæ, & Episcopi superbiam, qui in quodam Concilio ab ipso celebrato,

nomen istud arrogantissime usurpaverat, cum summa aliorum Episcoporum injuria, ad quos propterea idem Sanctissimus Pontifex sermonem dirigens lib. 7. Epistol. 68. inquit, *nam si unus universalis est*; *restat*, *ut vos Episcopi non sitis*: quibus manifeste ostendit quod ipse nomen istud *universalis Episcopi*, vel etiam *Episcopi Episcoporum* damnaverit, & in Epistolis suis semper improbaverit in sensu pravo superius indicato.

Ad probat. *dist.* Sanctus Gregorius affirmat nullum ex Prædecessoribus suis nomen istud aliquando usurpasse in sensu, quod ipse solus esset vere Episcopus *conc.* secus *nego*. Mirum plane non est, quod Sanctus Gregorius affirmat, nullum ex Romanis Pontificibus prædecessoribus suis sibi usurpasse nomen universalis Episcopi: nam ut modo dictum est, Sanctus doctor loquitur semper de hoc nomine accepto in eo sensu, quatenus innuere videtur ipsum solum esse vere Episcopum, prout illud sibi arrogaverat Joannes Constantinopolitanus, sicuti liquido constat ex ijs, quæ usque modo diximus, & manifeste etiam confirmatur, primo, quia damnat nomen istud, ne is, qui sibi *in Pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet*, *hanc omnibus fratribus denegasse videretur*, ut inquit lib. 5. Epist. 18., & deinde, etiam quia *is*, *qui solus Sacerdos appellari appetit*, *super reliquos Sacerdotes se extollit*: ut ait lib. 7. Epist. 33. ac proinde hoc eodem sensu merito comparat in lib. 5. Epist. 18. cum *angelo rebelli*, & lib. 7. Epist. 33. cum *Antichristo* omnem illum, qui se universalem Episcopum ambitiose esse contendit; imo merito quoque in priori loco docet, etiam Petrum ipsum primum, & principem Apostolorum non esse, nisi membrum Ecclesiæ Universalis, dum ibidem, nempe in Epist. 18. lib. 5. inquit; *certe Petrus Apostolorum primus*, *membrum sanctæ*, *& universalis Ecclesiæ*. De cætero autem, quod

nomen Episcopi universalis Romanis Pontificibus jure conveniat, illisque sæpe etiam tributum fuerit, jam ante Sancti Gregorij Magni tempora, nemo dubitare potest: nam Arnobius, qui floruit circa initium quarti sæculi, idest annis fere ducentis ante Sanctum Gregorium, appellat Petrum *Episcopum Episcoporum* in Comment. in psal. 138., & Concilium Chalcedonense celebratum anno 690. cui interfuerunt ex toto orbe Christiano 451. Episcopi, appellat Romanum Pontificem *Patriarcham Oecumenicum* act. 3. & *universalis Ecclesiæ Pastorem* act. 6.

Opp. 5. Primatus in Romano Pontifice non potest esse nisi ex illo jure, ex quo est illius in sede Petri successio, atqui successio ista est ex jure humano: nam primo, dependet ex facto Petri, nempe, quod Petrus Romæ sedem suam fixerit, quod factum est mere humanum, quia poterat Petrus etiam alibi sedem suam figere: deinde Romanus Pontifex eligitur a Cardinalibus; ergo accipit sncccessionem ex jure humano: postremo tam in Concilio Chalcedonensi canon. 28. quam in Constantinopolitano III. generali canon. 36. legitur, quod Romano Pontifici concessa fuerint a Patribus privilegia, *quia Roma est præcipua imperij Civitas*, & Justinianus Imperator Novella 131. statuit dicens: *decernimus secundum sanctarum synodorum decreta sanctissimum veteris Romæ Episcopum primum esse omnium Sacerdotum*: igitur Primatus in Romano Pontifice est tantum ex jure humano.

Respond. Ad primum *dist.* Primatus Romani Pontificis non potest esse, nisi ex eo jure, ex quo est illius in sede Petri successio formalis *conc.* secus *nego*, & *dist. min.* successio Romani Pontificis materialis est ex jure humano *conc.* formalis *nego*. Successio romani Pontificis in sede Petri spectari potest vel materialiter, vel formaliter: spectatur materialiter, quan-

do ratio habetur personarum tantummodo, quæ Petro in sede illa succedunt; formaliter autem, quando simul cum personis habetur ratio auctoritatis, & jurisdictionis, quam habent in universam Ecclesiam ex institutione Christi omnes illi, qui Petro in sede romana succedunt: si successio Romanorum Pontificum consideretur primo modo, idest respective tantum ad personas, quæ Petro succedunt, tunc utique est ex jure humano, non autem si consideretur formaliter, ita ut ratio habeatur, tam personarum, quæ Petro succedunt, quam auctoritatis, & jurisdictionis, quæ duo simul accepta sunt proprie id, quo primatus in universam Ecclesiam intrinsece, & essentialiter coalescit: & tunc nullatenus pendet ex jure humano: siquidem auctoritas, & jurisdictio in universam Ecclesiam non est nisi ex Christi institutione, ut sæpe dictum est supra de Primatu Petri.

Ad primam probat, *dist.* Successio Romani Pontificis in Primatu pendet ex eo, quia Petrus Romæ sedem suam fixit, tanquam ex fundamento secundario, & successionis materialis *conc.* tanquam ex fundamento primario, & successionis formalis; *nego*. Utique factum Petri, quo Romæ sedem suam Episcopalem fixit, est factum mere humanum, eo quia poterat absolute etiam alibi, puta Antiochiæ, Jerosolymis &c. eandem figere; siquidem dignitas primatus universim non fuit a Christo certo alicui loco conjuncta, sed tantum personæ Petri, ita ut semper in arbitrio Petri fuerit unum vel alterum locum determinatum sibi eligere, in quo cathedram suam erigeret, & firmiter teneret: verum tamen electio ista loci determinati ex parte Petri relative ad primatum non est, nisi fundamentum secundarium, & successionis materialis, quod relative ad successionem formalem in primatu non aliter se habet, nisi tantum per modum conditionis ex-

ternæ, qua posita jus divinum incipit stare ex parte illorum Pontificum, ubi Petrus sedem suam fixisset: fundamentum vero primarium, & formalis successionis est ipsa Dei voluntas, & Christi institutio: nam cum Christus dignitatem istam Primatus in Petro esse voluit, non propter Petrum, & tanquam privilegium aliquod privatum, sed propter Ecclesiam, ita ut Ecclesia quatenus duratura erat usque ad mundi finem, esset finis, & causa, propter quam primatus Petro collatus fuit, voluit etiam, ut dignitas ista in Ecclesia semper subsisteret, atque a Petro ad successores suos transiret, ut adeo ex illa nunquam deesset supremus illius Pastor, & Rector, cum eadem auctoritate & jurisdictione, qua Petrum ipsum præditum esse voluit: quapropter licet factum Petri proprie sit factum mere humanum, & potuisset Petrus alibi sedem suam figere, hoc ipso tamen, quod illam Romæ constituerit, sequitur romanum Pontificem jure divino in primatu succedere.

Verum quæret hic fortasse aliquis, quid futurum fuisset de primatu, si Petrus nullam certam & peculiarem sedem sibi elegisset? nimirum tunc is demum successisset Petro morienti in primatu, quem sibi delegisset Ecclesia; ut theologi communiter sentiunt: nunc autem cum ex facto Petri privilegium primatus evaserit certo quodam modo etiam locale, primatus jam non potest a Sede Romana divelli, neque ulli auctoritati humanæ liberum jam est alium sibi pro successore Petri in primatu eligere, & designare, quam illum, qui in Romanum Pontificem legitime electus fuerit.

Ad alteram probat. *dist.* Romanus Pontifex eligitur a Cardinalibus, relate ad designationem personæ, quæ Petro in primatu succedere debet *conc.* relate ad auctoritatem & jurisdictionem *nego*. In electio-

ne Romani Pontificis duo distingui debent: nempe designatio personæ, quæ pertinet ad Electores, quicunque demum illi fuerint, idest sive Cardinales, sive Clerus sive populus, sive Imperatores: alterum autem, quod in electione Romani Pontificis distingui debet, est collatio ipsa potestatis, sive auctoritatis & jurisdictionis in universam Ecclesiam: illa nempe designatio personæ, relicta fuit a Christo penes Ecclesiam, atque ideo nunc unus, nunc alius in Ecclesia observatus est, & imposterum etiam observari potest Romanum Pontificem eligendi modus: econtra autem collatio potestatis est immediate a Christo ipso, qui una eademque voluntate eandem concessit Petro, & omnibus ejus legitimis successoribus, idest omnibus in Petri locum legitime designatis & assumptis: porro autem hac voluntate posita consequitur necessario, quod dignitas ista omnibus in Petri locum legitime electis continuo communicari debeat, sine ulla alia conditione, atque ita in sede Petri, licet successive diversi sint successores, manet semper eadem in auctoritate & jurisdictione apostolica successio: ex quibus etiam intelligitur quomodo veritas ista, nempe quod quilibet Romanus Pontifex, ut singularis persona, primatum habeat in universam Ecclesiam, sit veritas fidei, nempe intelligitur quomodo propositio ista singularis v. g. *Pius VII. qui nunc sedem Petri occupat habet primatum jurisdictionis in universa Ecclesia* est propositio, quæ ad fidem pertinet nimirum licet propositio ista singularis Pius VII. habet primatum in Ecclesia in se spectata, non sit revelata, est tamen revelata æquivalenter, idest in propositione illa universali, qua ex voluntate & institutione Christi Petrus, & in Petro quilibet ejus successor, constituitur primatum habens in Ecclesia: qui-

bus positis concludendum remanet, quod Romanus Pontifex, ut sit Petri successor, hoc habet ab electione, ut autem sit summus Pontifex, sive quod idem est, ut primatum habeat in universam Ecclesiam, hoc habet ex Christi institutione.

Ad tertiam probat. *dist.* & tam Concilium Chalcedonense, quam Constantinopolitanum generale tertium loquuntur de privilegijs patriarchalibus *conc.* de privilegio primatus *nego*. Licet tam in Concilio generali Chalcedonensi quam in III. Constantinopolitano patres affirment quod Romano Pontifici, sive ut habent prædicta concilia *Sedi Romanæ* attributa fuerint a majoribus privilegia, propter Romanæ urbis nobilitatem, & præcellentiam, sive ut habetur in actis, *quia Roma est præcipua imperij Civitas*, inde tamen minime sequitur, primatum in Romano Pontifice esse tantum juris humani: nam, ut patet ex actis utriusque Concilij, quidquid in hoc proposito in illis tractatum & discussum fuit, respicit tantum privilegia patriarchalia, quæ post Romanum Pontificem ambiebat super cæteros Patriarchas Archiepiscopus Constantinopolitanus, non autem privilegia primatus: ex quo etiam est quod eidem concessa fuerint illa, non autem ista in utroque Concilio, quemadmodum constat ex eo, quia tam in Canone 38. Concilij Chalcedonensis, quam in 36. Concilij Constantinopolitani apposita est ratio ista, *quod Constantinopolis esset secunda Roma*.

Ad postremam probat. *dist.* Justinianus Imperator statuit Romanum Pontificem esse primum omnium Sacerdotum declarative *conc.* auctoritative *nego*. Quod profertur ex Novella 131. Justiniani Imperatoris, nihil plane concludit adversus divini Romani Pontificis primatum in omnem Ecclesiam: nam quando Imperator decernit Romanum Pontificem esse primum

omnium Sacerdotum, atque ita Ecclesiam Romanam alijs Ecclesijs omnibus præfert, nihil aliud præstat, nisi istud, nimirum agnoscit, approbat, & declarat publice, atque, si ita placet, auctoritate sua corroborat, quod Christus Dominus ipse instituit: neutiquam autem confert, vel Romano Pontifici, vel Ecclesiæ Romanæ prærogativam aliquam, cujus longe ante Justinianum super omnem Ecclesiam particeps non fuisset: Unde est quod Joannes II. in Epistola ad prædictum Imperatorem, postquam libere & expresse affirmasset, Romanam sedem esse caput omnium Ecclesiarum, ad comprobandam assertionem istam, non confugit ad Imperatorum sanctiones, sed ad regulam & statuta Patrum, dicens *sicut Patrum regulæ, & statuta declarant*.

Instabis Paulus Diaconus in lib. 4. de gestis Longobardorum inquit *Bonifacius Papa III. obtinuit apud Phocam Principem, ut sedes Apostolica B. Petri Apostoli caput esset omnium Ecclesiarum, idest Ecclesia Romana, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat*: Verum etiam hæc intelligi debent de primatu Patriarchali, quem, ut dictum est supra, ambiebat Ecclesia Constantinopolitana: non autem de primatu in Ecclesiam, universam, qui sedis Apostolicæ tantum proprius est.

CAPUT II.

De Auctoritate Judiciorum Romani Pontificis.

Posteaquam usque modo prærogativam primatus, qua supra cæteros omnes Episcopos in Ecclesia Christi jure divino præminet romanus pontifex longius prosecuti sumus, proximum est, ut hic accurate, quantum fieri potest, investigemus, cujus acctoritatis sint, & haberi merito debeant romaui potificis de fide & moribus judicia, seu dogmatica decreta.

Duplex autem est in hac controversia theologorum contraria, & opposita sententia, non tam inter hæreticos, quam inter catholicos ipsos: nam alij docent eadem per se infallibilia esse, & nulli errori obnoxia: alij vero, qui gallicanas libertates, sive ut rectius loquamur, Ecclesiasticæ servitutis jugum ad litteram defendunt, licet fateantur gravia esse, & ejus generis, quibus provisorie obsequendum est ab omnibus, negant tamen infallibilia ante consensum Ecclesiæ universalis.

Dictum est, non tam inter hæreticos, sed inter catholicos ipsos, nam primo, quantum ad hæreticos attinet, Lutheranos, scilicet & Calvinistas, qui romanum pontificem palam & publice traducunt tanquam Antichristum in Scripturis sacris prænuntiatum, atque propterea omnia & singula ejus dogmatica decreta tanquam antichristiana proscindunt, nullam hic movebimus quæstionem, firmiter existimantes, quod melius sit, & congruentius, si nulla plane insanissimis istorum declamationibus in hac re habeatur ratio, quam ut ex industria directe refellantur.

Deinde quod attinet ad catholicorum theologorum

discordiam, fatendum est generatim, nullam incurri apertam hæresim, nullumque committi manifestum errorem in fide, si quis negativam opinionem teneat; nam neque romani pontifices, tametsi propria ipsorum agatur causa, neque Concilia generalia unquam directe damnarunt, & expresse tanquam hæreticam, vel nota erroris in fide perstrinxerunt opinionem fere communem gallicanæ Ecclesiæ doctorum, qui romani pontificis infallibilitatem in rebus fidei & morum aperte denegant, & Bellarminus in lib. 4. de Roman. Pontif. cap. 2. nominat Doctores catholicos, qui docent Pontificem, ut Pontificem posse esse hæreticum, & docere hæresim, si absque generali Concilio definiat, quod tamen de Romano Pontifice, ut Pontifice, idest quatenus est successor divi Petri affirmari, imo neque omnino quæri debere, nos supra notavimus Sect. 3. cap. 2. Nota 12. eamque in sententiam nominantur a modo laudato insigni Theologo Joannes Gerson, Almainius in lib. de potest. Eccles. & Alphonsus de Castro in lib. 1. cap. 2. contr. hæres. qui omnes non in Pontifice, sed in Ecclesia, sive in Concilio generali constituunt infallibilitatem judicij in rebus fidei & morum.

Igitur ut appareat, quid in hac controversia sentiendum sit, tanquam magis probabile, & analogiæ catholicæ fidei magis consentaneum, principio notandum est, quod nemo plane catholicorum inficiari possit, quod judicium Romani Pontificis in rebus fidei & morum sit infallibile, & nulli errori obnoxium primo, quando loquitur ex decisis, ut ajunt, idest in materia a Concilijs generalibus legitime celebratis jam definita: & secundo etiam, quando ad judicium illius accedit consensus Ecclesiæ universalis; nam positis istis conditionibus, infallibilis est quilibet etiam privatus theologus, ut per se patet: ac proinde tota controversia in eo versatur, ut ap-

pareat, an Romanus Pontifex infallibilis dici debeat per seipsum, & independenter a consensu Ecclesiæ, tam antecedenti, quam consequenti?

Deinde notandum est, quod Romanus Pontifex spectari debeat sub duplici respectu, nempe primo, ut persona privata, & singularis, sive ut privatus doctor; & secundo, ut est summus Pontifex, idest totius Ecclesiæ supremum caput, & rector supremus, qui ex officio, & auctoritate apostolica publicas Ecclesiæ partes agens fidelibus omnibus dogma aliquod ad fidem aut mores pertinens ad credendum proponit, certo, & firmo judicio, eo modo, quo dictum est de Concilijs generalibus sect. 4. cap. 3.

Si Romanus Pontifex consideretur sub priori respectu, idest ut sententiam suam dicens tanquam doctor privatus, tunc fatentur omnes, & fatendum est, eundem errare posse etiam in fide, & moribus, sicut errare potest quilibet alius privatus doctor, non solum practice, sed etiam speculative, idest potest etiam docere aliquid, quod sit contra fidem, & bonos mores: si autem consideretur sub altero respectu, tunc proprie dicitur loqui ex cathedra Petri; & tunc locum habet quæstio, utrum docens aliquid, ut Pontifex, idest ex cathedra, in illis quæ ad fidem, & mores pertinent, possit errare? de qua re sit.

Propositio. Judicium Romani Pontificis in rebus fidei, & morum ex cathedra pronuntiatum est per se ipsum, & independenter a quovis consensu Ecclesiæ infallibile, & ab omni errandi periculo penitus immune.

Pobat. Lucæ cap. 22. Christus Dominus in præsentia omnium discipnlorum suorum prænuntians ipsis futuram communem omnibus in fide tentationem vers. 32. inquit *Simon, Simon ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum?* postea prætermissis alijs, & sermonem convertens ad solum Petrum, testatur

illi, quod pro eo rogavit, ut non deficeret fides ejus dicens *ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua*: ac tandem imponit illi munus & officium, ut ipse post suam conversionem confirmare deberet fratres suos: dum inquit ibidem *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos*: Profecto autem dubitari nullo modo potest, quod Christus in oratione sua pro Petri in fide constantia exauditus sit apud Patrem, neque enim vel cogitari potest aliqua Christi oratio, quæ non fuerit efficax, & cum suo effectu conjuncta, siquidem ut Joan. cap. 11. v. 42. de seipso testatur dicens *ego autem sciebam, quia semper me audis*: ac proinde dubitari etiam nequit, quod Petrus post suam conversionem factus sit ita constans & firmus in fide, ut periculo errandi amplius non esset obnoxius, maxime in docendo, alioquin enim quomodo potuisset apte obire munus & officium sibi a Christo specialiter impositum, atque confirmare fratres, si quandoque illos aliqua pulsaret in fide tentatio, si etiam ipse a periculo errandi in fide non erat immunis? Ulterius dubitari non potest, quod Christus Dominus, quando Petro imposuit & denuntiavit officium confirmandi fratres, munus istud eidem imposuerit non quatenus erat persona privata, ita ut satis esset munus istud obire, & implere in privato, nam sub hoc respectu debebant etiam reliqui Apostoli confirmare fratres ex præcepto Christi, quod habetur Math. cap. 18. v. 15. de correctione fraterna, sed quatenus erat caput & princeps Apostolorum, & quatenus implere debebat munus & officium publicum; sive quod idem est, dubitari non potest, quod privilegium non errandi in fide Petro impetratum, & officium confirmandi fratres post suam conversionem impositum illi non fuit propter seipsum, sed propter Ecclesiam, quatenus

hæc in fide immobilis durare debebat usque ad mundi finem: igitur oratio Christi facta pro Petro, & indefectibilitas in fide exinde secuta, una cum officio confirmandi fratres transivit etiam ad Petri successores, ut adeo etiam isti facti sint in fide indefectibiles, atque ita ex officio proprio omni tempore confirmare valeant fratres, idest docere universam Ecclesiam circa controversias quæ in materia fidei & morum instigante satana in illa quovis tempore suscitari possunt: Præterea Joannis cap. 21. Christus committit Petro, & in Petro etiam ejus successoribus, munus pascendi & regendi omnes oves & agnos suos indiscriminatim dicens vers. 14. & 17. *pasce agnos meos pasce oves meas*: at vero ad recte pascendum & regendum omnes Christi agnos & oves, necessario supponi debet, quod Christus illi, ejusque propterea successoribus, providerit & attribuerit omnia media, quæ ad recte ac debite obeundum & implendum munus & officium istud necessaria sunt, inter quæ profecto præcipuum locum habet infallibilitas, seu privilegium non errandi, dum illa docent, quæ ad fidem & mores pertinent, alioquin enim facillimum esset, ut grex simul cum suo pastore a rectis pascuis deflecteret, & in deserta errorum abiret.

Omittimus Conciliorum decreta, quæ licet definitiva non sint, ac proinde dogma fidei catholicæ expresse non constituant, confirmant tamen validissime istam de summi Pontificis in definiendis fidei ac morum controversijs inerrantia & judicij infallibilitate magis communem in Ecclesia Christi theologorum sententiam; ut non obscure inferri potest ex definitione fidei edita in Conciiio Florentino, in qua præter alia statuitur Petri successorem *totius Ecclesiæ caput & omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere*: etenim si Romanus Pontifex est om-

nium Pater & Doctor, ergo eidem convenit, ut semper doceat veritatem, adeoque est infallibis in suis judicijs de fide & moribus: nam si errare posset, jam hoc ipso minus recte, imo vero falso vocaretur Doctor, siquidem errare non est docere, sed potius dedocere; ut quisque per seipsum intelligit: præterea etiam Patres Concilij Constantinopolitani IV. subscribentes formulæ confessionis fidei ab Adriano Pontifice ad Concilium transmissæ infallibilitatem istam summorum Pontificum jam olim non obscure professi sunt, dum inquiunt. *Quia non potest Domini nostri Jesu Christi prætermitti sententia, tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: hæc quæ dicta sunt, rerum probantur eventibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper conservata religio, & sancta celebrata doctrina . . . ab hujus ergo fide, atque doctrina separari minime cupientes, & Patrum & præcipue Sanctorum Sedis Apostolicæ præsulum sequentes in omnibus constituta, anathematizamus omnes hæreses &c.*

Omittimus etiam Sanctorum Patrum testimonia, quæ adeo manifeste confirmant infallibilitatem judiciorum summi Pontificis in fide & moribus, ut contraria opinio, quamvis aperte hæretica vocari non debeat, nihilominus hæresi & errori proxima jure ac merito censenda sit: sane enim S. Ignatius Martyr in Epistola ad Romanos loquens de successoribus Petri in Sede Romana ait. *Qui his non obedit, atheus prorsus & impius fit, & Christum contemnit, & constitutionem ejus imminuit*: & S. Irenæus in lib. 3. adversus hæres. cap. 3. postquam asseruisset per fidem & traditionem, quam Romana Ecclesia a gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo accepit, & per successionem Episcoporum retinuit, confundi

omnes hæreticos, subjungit dicens: ***Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam in qua semper ab ijs, qui sunt undique fideles, conservata est ea, quæ est ab Apostolis traditio***: quæ omnia confirmat etiam S. P. Augustinus præsertim in serm. 131. de Verbis Apostoli, ubi de Pelagianorum hæresi inquit; ***Jam hac de causa duo concilia missa sunt ad sedem Apostolicam, inde etiam rescripta venerunt, causa finita est, utinam & error finiatur***: & in lib. 2. contra duas Epist. Pelag. cap. 3. ubi ait ***per Papæ rescriptum causa Pelagianorum finita est, totoque orbe post ejus damnationem damnati sunt, ac literis Innocentij tota de hac re dubitatio sublata est***: quæ adeo clara sunt, ut expositione minime indigeant: igitur adjicimus his unam tantum & alteram theologicam rationem; unam tradit Antonius Charlas in tractatu de libertat. Eccl. gallic. lib. 5. cap. 11. num. 2. nimirum, illi, qui repræsentat universam Ecclesiam, conveniunt omnia, quæ in scriptura sacra Ecclesiæ ipsi tribuuntur, alioquin enim nisi hoc verum esset, jam non posset Ecclesiam perfecte repræsentare, atqui Petrus & in Petro post illum Romanus Pontifex repræsentat Ecclesiam universam propter primatum quem habet ex Christi institutione, ut supra probatum est, & docet expresse S. P. Augustinus pluribus in locis, & præsertim tract. 50. in Joannem ubi inquit ***Petrus quando accepit claves Ecclesiam sanctam significavit***, & iterum serm. 295. de Natali Apostol. Petri & Pauli cap. 2. ubi ait ***ipsius universitatis & unitatis Ecclesiæ figuram gessit, quando ei dictum est, tibi trado, quod omnibus traditum est***: jam vero Ecclesia est omnino infallibilis in definiendis fidei & morum controversijs; ut vidimus sect. 3. cap. 3. propos. 4. ergo infallibilis quoque est Roma-

nus Pontifex dum ex officio & ex cathedra loquens ad universam Ecclesiam firmo judicio definit aliquid, quod ad fidem & mores pertinet.

Deinde altera ratio quam hic addimus, & quam in fine probationis modo citatæ propositionis jam supra attigimus, consistit in eo, quia in omni societate bene ordinata necesse est aliquod semper existat visibile tribunal, & aliqua visibilis auctoritas, per quam natæ inter illius societatis membra discordiæ & lites definitive componi valeant, sicut consentiunt omnes politici, & humani legislatores, ergo etiam in Ecclesia, quæ est societas divinitus instituta, existere semper debet legitima auctoritas, per quam definitive dirimi valeant controversiæ, quæ in sinu illius circa fidei & morum doctrinam in dies enascuntur, alias Christus providisset minori cura, & minori sapientia necessitatibus Ecclesiæ suæ, quam suis rebus invigilant humani legislatores: atqui auctoritas ista alia non est, nec esse potest, quam summi Pontificis quatenus est caput Ecclesiæ & primatum habet in totam Ecclesiam: siquidem Concilia generalia non possunt semper congregari, ut per ea hujusmodi controversiæ dirimantur, cum opus fuerit, ut per se patet, & auctoritas pastorum per orbem dispersorum, ad quorum judicium confugiunt gallicani theologi, non est hujusmodi, ut definitivum judicium efformari valeat de controversijs fidei semper cum opus fuerit: nam licet fieri non possit, non solum ut Ecclesia in Concilio generali simul conjuncta, sed etiam dispersa ut ajunt, idest ut Pastores omnes simul a recta fide deficiant, ut suo loco dictum fuit sect.3. cap.3. propter infallibiles Christi promissiones, attamen præter quam quod moraliter impossibile sit, ut omnibus fidelibus innotescat unanimis hujusmodi Pastorum per orbem dispersorum consensus,

qui ad auctoritatem illam efformandam a doctoribus gallicanis exigitur, non intelligitur, neque intelligi potest, quomodo extra Concilium generale haberi possit consensus talis, quando dogma aliquod in controversiam adducitur, qui unum identicum ac definitivum judicium efformet: ergo auctoritas legitima, per quam definitive dirimi possunt controversiæ fidei & morum, quæ in gremio Ecclesiæ nascuntur, alia non est, quam auctoritas summi Pontificis: ac proinde judicium Romani Pontificis in rebus fidei & morum ex cathedra pronuntiatum est per seipsum & independenter a quovis consensu Ecclesiæ infallibile, & ab omni periculo errandi penitus immune (1).

(1) Gallicani Theologi, qui scilicet infallibilem auctoritatem in definiendis fidei & morum controversijs adjudicant corpori Pastorum Ecclesiæ, non autem Summo Pontifici, cum optime pervideant vim hujus argumenti, quo ostenditur in Ecclesia semper esse necessarium tribunal aliquod supremum, quo fidei & morum dubia irrefragabili judicio definiri valeant: quia alioquin Christus non providisset satis indefectibilitati Ecclesiæ suæ, ut dictum est: & animadvertentes, quod Ecclesia interdum in ejusmodi circumstantijs locata sit, in quibus obsistente vel malitia hominum vel insufficientia mediorum impossibilis plane redditur congregatio Concilij generalis, statuunt Ecclesiam docentem etiam dispersam per orbem non solum errare simul non posse, quod certissimum est: verum etiam controversias fidei & morum quæ in sinu ejus sæpe excitantur citra Concilium generale definiri supremo & irrefragabili judicio per auctoritatem suorum Pastorum: superstruunt autem systema hoc suum in eo præsertim quia *Episcopi suis in sedibus residentes* ita ratiocinatur auctor theologiæ Pictaviensis disput. de Ecclesia quæst. 2. artic. 2. §. 1. *non minus sunt doctrinæ judices a Christo constituti ad regendam Ecclesiam, nec minus promisit se tunc futurum esse cum illis, quam ubi Synodice essent congregati*: quæ probare pertentant ex Math. cap. 28. v. 20. ubi Christus ad discipulos ait *euntes docete omnes gentes baptizantes eos*.

Solvuntur opposita argumenta.

Opp. I. Privilegium non errandi in fide & moribus convenit soli Ecclesiæ: nam Ecclesia non autem Romanus Pontifex est *columna & firmamentum veritatis* in 1. ad Timoth. cap. 3. v. 15. item de Ecclesia, non autem de Romano Pontifice loquitur Christus dum Math. cap. 16. v. 18. inquit *& portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: Deinde si Romanus Pontifex ex cathedra docens esset infallibilis in judicijs suis de fide & moribus: tunc sequeretur *primo* quod ejus decreta ex cathedra pronuntiata essent æqualis auctoritatis cum sacra Scriptura, idest non essent minus infallibilia decreta hominum, quam verbum Dei, quod sacra Scriptura continetur: *secundo* sequeretur quod sine examine & cæco modo unusquisque posset acquiescere definitionibus Romani Pontificis

. . *et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem sæculi*. Verum quis est, qui non videt, quod hoc loco Christus alloquatur Apostolos, non separatim, sed simul congregatos, ac proinde perperam approprientur Episcopis in suis sedibus residentibus: præterea fatentur etiam gallicani theologi, quod Episcopi singuli omnes seorsim spectati possint absolute errare in fide & moribus, quia nullus illorum in particulari est infallibilis; porro autem non videtur quomodo heri possit, ut ex judicijs singularibus seorsim formatis, & quæ singula per se errori obnoxia sunt, coalescere valeat judicium unum, quod sit infallibile & infallibilem auctoritatem sibi vindicet: huc accedit quod in isto systemate semper remaneat insuperabilis ista difficultas, nimirum, quod non appareat, neque intelligi possit, quomodo iste diversorum Pastorum, qui per orbem dispersi existunt, & separatim judicantium (unusquisque per seipsum) circa dogma aliquod, de quo controvertitur, in unam potius quam in alteram partem unanimis consensus ad universæ

contra præceptum Pauli jubentis, ut rationabile semper sit obsequium nostrum; in Epist. ad Roman. cap. 12. v. 1. *tertio* inutile esset studium sacræ Scripturæ & inutilia quoque atque superflua Concilia generalia, sufficeret enim attendere ad illa, quæ Romanus Pontifex ex cathedra docuisset: quæ omnia quantum absurda sunt, nemo est, qui non videat: ergo judicium Romani Pontificis etiam ex cathedra pronuntiatum in rebus fidei & morum non est infallibile.

Respond. ad primum *dist. ans.* Privilegium non errandi in fide & moribus errore personali convenit soli Ecclesiæ *conc.* Privilegium non errandi errore judiciali *nego*. Privilegium non errandi in fide & moribus considerari debet sub duplici respectu: nimirum primo, quatenus est immunitas a periculo errandi errore personali, idest quatenus societas fidelium, quæ veram Christi Ecclesiam constituit, in veræ fidei professione ita solidata est, ut licet singuli fideles seorsim spectati tanquam personæ singulares a recta fide possint deficere, & in errorem prolabi,

Ecclesiæ, idest ad fidelium omnium, notitiam pervenire, atque perduci valeat: igitur nisi admittatur quod Petrus & in Petro successor illius Romanus Pontifex in rebus fidei & morum dijudicandis sit revera infallibilis, nullum profecto superest, & superesse potest amplius in Ecclesia Christi tribunal certum, quo fidei atque morum controversiæ citra generalis concilij celebrationem sine erroris periculo, ultimate & irrefragabiliter definiri valeant: exinde autem necessario sequitur quod Christus Dominus dum Ecclesiam suam in terris instituit, non providerit eam de medijs necessarijs, quibus in suæ fidei confessione firma subsistere posset; siquidem reliquisset illam fluctuantem, & sine certa auctoritate, mediante qua veritas ipsa in quavis fidei & morum controversia determinari; & in tuto reponi posset: quod absurdissimum esse nemo jure negabit.

attamen simul sumpti, & quatenus sunt societas fidelium, sint ab omni errore in fide sua immunes: & secundo quatenus est immunitas a periculo errandi errore judiciali, idest quatenus societas ista fidelium in veræ fidei professione ita firma subsistit, & ad finem usque mundi ita firma subsistere debet, ut etiam in judicandis, & docendis illis, quæ ad veram istam fidem pertinent, non possit prolabi in errorem: si privilegium non errandi consideretur sub priori respectu, tunc reddit Ecclesiam ipsam in fide & moribus passive infallibilem, idest in credendo, ut sect. 3. cap. 3. declaratum fuit; & hoc sensu privilegium non errandi convenit exclusive soli Ecclesiæ, quatenus est societas fidelium, quæ veram Christi Ecclesiam constituit, eo quia nulla prorsus vel particularis alia societas, vel singularis aliqua persona, non excepto ipso Summo Pontifice, sed sola fidelium societas hoc habet proprium, quod a veræ fidei professione deficere nunquam possit: si autem privilegium non errandi consideretur sub altero respectu, tunc reddit Ecclesiam in fide & moribus infallibilem active, id est in docendo: & hoc sensu non convenit Ecclesiæ, quatenus est societas fidelium: nam primo, licet societas ista sit ita firma & stabilis, ut etiam ex illa parte, qua judicat & docet, in judicando & docendo tota simul errare non possit; attamen quia nulla societas proprie judicat, & docet seipsam, sed debet semper ab aliquo doceri, atque judicari; hinc est, quod auctoritas judicandi & docendi proprie & immediate spectari non debet penes Ecclesiam, quatenus est societas fidelium, sed penes Pastores & Doctores illius, (2)

(2) Ex his jam clare percipitur, quomodo Theologi omnes Ecclesiam Christi recte dividunt in *docentem* & *audien-*

quos Christus ipse *dedit ad consummationem sanctorum in opus ministerij* ad Ephes. cap. 4. v. 11. ac proinde privilegium non errandi errore judiciali non spectat ad Ecclesiam, quatenus est societas fidelium, sed tantum quatenus complectitur Pastores & Doctores, qui societatem fidelium repræsentant, sive sint dispersi, sive simul in Concilio congregati: deinde quia inter Pastores, & Doctores Romanus Pontifex, nemine reluctante, est supremus Pastor & Doctor, cui reliqui omnes ex Christi institutione subesse debent, & qui ipse per se totam Ecclesiam repræsentat, ut capite superiori demonstatum fuit, consequitur necessario, quod privilegium non errandi, tametsi, si spectetur quatenus est immunitas a periculo errandi errore personali, non consistat, nisi penes Ecclesiam, quatenus est societas fidelium;

tem: & quo jure supra sect. 3. cap. 1. dictum est, quod ad Ecclesiam docentem *pertinet exclusive omne id, quidquid innuit, docendi, pascendi, regendi, et gubernandi munus*: ad audientem vero *debitæ subjectionis et obedientiæ officium*; percipitur etiam quod *auctoritas Ecclesiæ proponens aliquid ad credendum* de qua sect. 1. cap. 2. propos. 4. affirmavimus quod sit *medium aptum et adæquatum per quod fidelibus omnibus certo innotescunt tam sacra Scriptura quam reliqui omnes articuli fidei*; accipi debeat exclusive non de Ecclesia quatenus est societas fidelium præcise spectata, sed de Ecclesia docente: præterea percipi ex his etiam potest quo sensu *Visibilis Ecclesia Christi universim est infallibilis in rebus fidei et morum*: & quomodo Concilium generale legitime celebratum & approbatum *in suis fidei et morum decretis errare non potest*: e quibus primum statuimus sect. 3. cap. 3. propos. 4. alterum vero sect. 4. cap. 3. propos. unica: nimirum etiam ista intelligi debent de infallibilitate judiciali, idest de Ecclesia docente & de corpore Pastorum Ecclesiæ quatenus conjunctim cum Romano Pontifice res fidei & morum discernunt atque dijudicant.

spectatum tamen, quatenus est immunitas a periculo errandi errore judiciali, convenit, & inhæret primo ac principaliter Romano Pontifici.

Ad primam probat. *dist.* Ecclesia non autem Romanus Pontifex est *columna* & *firmamentum veritatis* non tamen sine Romano Pontifice *conc.* cum exclusione Romani Pontificis *nego*. Nimirum, ut ex modo dictis colligi potest, Ecclesia dicitur, & est columna & firmamentum veritatis sub duplici respectu: nempe primo quatenus est societas fidelium, quæ tota simul a recta fide deficere non potest: idest quatenus est columna passive in fide immobilis, sive in recte credendo: ut sect. 3. cap. 3. propos. 4. vindicavimus; & iterum quatenus in ea semper adesse debet legitima auctoritas infallibiliter judicandi ea, quæ ad fidem, & mores pertinent; idest quatenus simul est columna immobilis active, & in docendo, ut loco citato ostendimus: & generatim quatenus in professione veræ fidei errare non potest, neque errore personali, neque errore judiciali, eo sensu quo supra dictum est: porro autem sive Ecclesia spectetur primo sive secundo modo, nunquam vere & proprie est aut adæquate consistit columna & firmamentum veritatis sine Romano Pontifice, ut per se patet, siquidem Romanus Pontifex ratione sui primatus vindicat sibi semper primas partes in ea (3) sicuti fatentur etiam gallicani Doctores in ce-

(3) Proprietas ista secundum quam Ecclesia est *columna* & *firmamentum veritatis* in 1. ad Timoth. cap. 3. v. 15. duo importat, nempe primo ut Ecclesia sit plane immobilis tam in credendo, quam in docendo, & secundo, ut tam in professione, quam in propagatione veræ fidei errare non possit: jam vero postremum istud pertinet præcipue ad auctoritatem docentium, in qua præcipuam partem semper sibi vindicat Romanus Pontifex, non solum propter dignitatem & reveren-

lebri Declaratione anni 1682. in qua propositione IV. explicite affirmant in *fidei quæstionibus præcipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes & singulas Ecclesias pertinere*: Vid. sect. 4. cap. 3. Nota 2.

Ad alteram probat. *dist. pariter ut supra* nempe ex Math. cap. 16. v. 18. portæ inferi non possunt prævalere adversus Ecclesiam spectatam simul cum suo fundamento Romano Pontifice *conc.* secus *nego*. Profecto Math. cap. 16. v. 18. non solum promittitur perpetua firmitas Ecclesiæ, quatenus hæc est societas fidelium, sed etiam Petri, & in Petro etiam successorum suorum, Romanorum nempe Pontificum,

tiam Apostolicæ sedi debitam; in quo sensu partem istam eidem adjudicant loco citato gallicani doctores, quin tamen propterea ejusdem decreta de fide & moribus infallibilia esse fateantur, sed ideo præsertim, quia sicut Apostoli omnes neque Apostolatum, neque aliam prærogativam acceperunt sine Petro, ita etiam visibilis Ecclesia Christi universim, idest tam dispersa, quam simul in Concilio generali congregata sine Romano Pontifice non est infallibilis in docendo, neque ab errandi periculo immunis, dum sine Romano Pontifice de fide judicat, econtra tamen infallibilis est per seipsum & independenter a consensu Ecclesiæ tam antecedenti, quam consequenti Petri successor Romanus Pontifex: & propterea absolute loquendo tam Concilia generalia, quam Ecclesia ipsa, quæ per illa repræsentatur, idest reliqui Episcopi omnes tam collective, quam distributive & separatim spectati, si fuerint sine Petro, idest sine Romano Pontifice, possunt errare errore judiciali, nec habent annexam inerrantiam, ut ajunt, sive privilegium non errandi in dijudicandis fidei & morum controversijs, nisi quando judicant simul cum eorum capite Romano Pontifice: Neque his obstat, vel obstare potest quod aliqui objiciunt, nempe Romanus Pontifex non est major Ecclesia, sed est pars illius, est membrum, est filius Ecclesiæ: principio enim, licet non sit major Ecclesia, attamen, si spectetur ut Pontifex, & ut successor divi Petri in primatu

nam, ut alia omittamus huc spectantia, & quæ in superioribus sæpe jam memoravimus, sane Christus Dominus loco citato prætermissis alijs Apostolis, solum Simonem nomine petræ appellare voluit, dum dixit, *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam* profecto non ab aliam rationem, nisi ut hoc nomine ostenderet aliquo pacto Petri, & successorum illius in fide constantiam, sicut interpretatur Origenes homil. 1. in cap. 16. Math. dicens *manifestum est, quod nec adversus petram illam, super quam ædificatur Ecclesia, nec adversus Ecclesiam ipsam, quæ ædificatur super hujusmodi petram portæ prævalebunt inferorum*: nec immerito, neque enim Ecclesia potest esse firma in fide, nisi firmum pariter, & immo-

in universam Ecclesiam, potest propter plenitudinem potestatis Apostolicæ sensu non malo vocari Ecclesia, ut alibi dictum fuit: & de illo recte praedicari possunt, & debent omnia illa, quæ de Ecclesia docente universim praedicantur: deinde Romanus Pontifex, est utique etiam ipse pars Ecclesiae Christi, sed est pars principalis: praeterea est etiam membrum illius, sed praecipuum: idest illud in quo auctoritas tota, quam Christus Dominus Ecclesiae suae contulit tanquam in centro unitatis, plenarie simul collecta existit: sive breviter, est caput, quod Ecclesiam, & singula ejus membra regit, gubernat, & dirigit, non solum dispersa, sed etiam simul in concilio aliquo generali adunata, atque conjuncta: & tandem Romanus Pontifex est etiam ipse filius verae Ecclesiae Christi, quia per baptismum, sicut caeteri fideles in Ecclesiam insertus est: verbo dicam Romanus Pontifex est membrum pars, & filius Ecclesiae quatenus *quod de fide et charitate ab universali Ecclesia* (cujus ipse est caput rector, & Pastor supremus) *propositum est, omnes ligat, et non magis quilibet de plebe, quam ipse Romanus Pontifex ijsdem subjicitur* quod ad vim directivam; ut sect. 3. cap. 2. propos. 5. opp. 1. in Resp. ad alterum ex Wallemburgicis notavimus.

bile fuerit illius fundamentum, ut per se patet: at vero fundamentum Ecclesiæ, quod a Christo positum fuit, præter illud quod jam positum erat, & *præter quod nemo aliud ponere potest* in 1. ad Corinth. cap. 3. v. 11. idest secundarium, & sub Christo ipso erat Petrus, & in Petro Romanus Pontifex, ut superiori capite probatum fuit; igitur hoc ipso, quod portæ inferorum nequeunt unquam prævalere adversus Ecclesiam, sequitur quod prævalere quoque non possint adversus Petri successorem Romanum nempe Pontificem.

Ad alterum *dist. primam sequelam* nimirum si Romanus Pontifex esset infallibilis, dum ex cathedra docet, sequeretur, quod ejus decreta essent æqualis auctoritatis cum Scriptura sacra ratione objecti *conc.* ratione dignitatis & originis *nego*. Latissimum semper est, & erit discrimen inter sacram Scripturam, & inter decreta dogmatica Romanorum Pontificum, licet etiam ista non secus, quam illa sint infallibilis auctoritatis: nam Scriptura sacra est ipsum verbum Dei ab hominibus divinitus inspiratis conscriptum, & veritates omnes atque sententiæ, quæ in illa continentur, scriptæ fuerunt ex immediato afflatu Spiritus Sancti: econtra vero decreta Romanorum Pontificum, licet contineant etiam ipsa revelatam doctrinam, non sunt tamen proprie & in se verbum Dei, neque habent suam originem immediate vel a revelante vel ab inspirante, sed tantum ab assistente sibi Spiritu Sancto, qui illis adest, dum ex cathedra loquuntur, & efficit, ut a veritate non aberrent: ex quo fit, quod decreta hujusmodi ratione dignitatis & originis cum Scriptura sacra paria haberi nullo modo debeant: de cætero tamen, si decreta ista considerentur penes objecta, idest penes veritates ipsas, quæ per hujusmodi decreta fi-

delibus ad credendum proponuntur, tunc sunt ejusdem auctoritatis cum Scriptura sacra: siquidem hoc sensu exhibent veritates fidei a Deo ipso revelatas, & quæ propterea non minus, quam Scriptura Deum auctorem habent.

Ad alteram sequelam *nego*. Licet enim unusquisque cæco modo acquiescere possit, imo vero etiam debeat definitionibus Romani Pontificis in omnibus illis, quæ ex cathedra docet, inde tamen minime sequitur, quod propterea irrationabile futurum sit, aut jure vocari possit obsequium fidei nostræ: nam primo Christus ipse jubet audire Ecclesiam Math. cap. 18. v. 17. dicens *si Ecclesiam non audiverit, sit tibi sicut ethnicus* & *publicanus*: deinde nullus plane est assensus magis rationalis, quam ille, qui præstatur auctoritati a Deo ipso constitutæ, & de qua constat quod in suis judicijs sit infallibilis, sicut est auctoritas Romani Pontificis, quando ex cathedra docet.

Ad tertiam sequelam *dist.* inutile esset studium Scripturæ sacræ absolute & simpliciter *nego*. Quandoque & in singularibus fidelibus *subdist.* ut inde per se ediscant, quæ credenda sunt *conc.* ut in fide subinde se ipsos confirment & corroborent, atque ediscant vitæ agendæ præcepta *nego*. Quanquam universim medium, quo nobis articuli fidei innotescunt, non sit sacra Scriptura, sed auctoritas Ecclesiæ proponens aliquid ad credendum, ut sect. 1. cap. 2. probatum fuit: ac propterea verissimum sit, quod pro singularibus fidelibus satis sit, attendere ad ea, quæ vel Romanus Pontifex ex cathedra, vel Concilia generalia, certo & firmo judicio ad credendum proponunt: nihilominus cum sacra Scriptura sit prima & præcipua fidei ac morum regula, hinc est, quod studium sacræ Scripturæ nunquam

absolute, & simpliciter inutile sit : imo vero sæpe etiam non solum utile, verum etiam necessarium dici debet : & quidem primo necessarium est toti Ecclesiæ, & deinde in particulari etiam summo Pontifici : siquidem cum nec Ecclesiæ nec Summo Pontifici fiant novæ revelationes & inspirationes Spiritus Sancti, quorum ope decreta dogmatica efforment, & cum neque Ecclesia neque Summi Pontifices constituant aut condant nova fidei ac morum dogmata, sed proponant tantum ea, quæ vel in Verbo Dei scripto, vel in Verbo Dei tradito continentur, assistente ipsis semper Spiritu Sancto, tanquam certa & infallibili regula, qua fit, ut errore judiciali minime errent, & revelatam doctrinam certo & infallibiliter detegant, necesse profecto est, ut tam Ecclesia ipsa docens in genere, quam Summus Pontifex in particulari tanquam supremus fidei depositarius & interpres, scripturæ Sacræ studium sæpissime suscipiat : præterea studium istud utilissimum quoque sæpe esse potest, & necessarium etiam singularibus fidelibus ; primo quidem, ut in fide magis seipsos confirment, & deinde etiam, ut ex sacra Scriptura ediscant præter fidei veritates in illa contentas, etiam vitæ christianæ præcepta, & consilia, quibus ad perfectionem Christianam pervenitur, ac tandem ad convincendos ex illa hæreticos, qui tam Romani Pontificis quam Ecclesiæ universæ de fide & moribus decreta atque definitiones spernunt & abjiciunt.

Ad quartam sequelam *nego*. Nam licet Romani Pontificis judicia ad dirimendas omnes fidei ac morum controversias in Ecclesia Christi per se sufficiant, possunt tamen emergere certi casus in quibus non solum utilis, & expediens est, sed etiam aliquo pacto necessaria convocatio Concilij generalis : & pri-

mo quidem ad magis retundendam pervicaciam hæreticorum, non utique quasi ad illam cum effectu frangendam auctoritas Pontificis infirma esse videatur, vel quasi appellationibus illorum a sententia Pontificis ad Concilium generale ratio aliqua jure ac merito haberi debeat, sed ideo, ut majori rubore perfundantur, cum senserint errores suos etiam auctoritate Concilij generalis, in quo Romanus Pontifex cum tota Ecclesia judicat, justo anathemate damnari: deinde dari possunt etiam alij casus, in quibus fides aptius & convenientius explicetur per definitionem Concilij generalis, quam per sententiam Summi Pontificis: puta quando vel viget schisma, vel nascitur dubium fundatum & legitimum circa legitimam electionem Summi Pontificis, vel alia præsto est causa ex illis, ob quas sectione superiori cap. 1. generalis Concilij celebrationem necessariam esse diximus.

Oppos. II. In primitiva Ecclesia fuit plane incognita prærogativa ista Romani Pontificis de infallibilitate illius quando ex cathedra loquitur: nam primo Asiani Episcopi, quorum agmen ducebat Polycrates opposuerunt se semper judicio Victoris I. Summi Pontificis in materia circa celebrationem Paschæ & S. Cyprianus restitit strenue Stephano Papæ in causa baptismi ab hæreticis collati, docens in hæresi baptizatos iterum baptizandos esse cum redeunt ad Ecclesiam; quem S. P. Augustinus ab errore excusat, quia controversia ista nondum per plenarium Concilium definita esset; dum lib. 5. de bapt. cap. 17. inquit *quod liberum illi fuerit propugnare suam sententiam, antequam controversia ista per plenarium concilium definita esset*: deinde notissimum est; quod dogmatica Romanorum Pontificum decreta ex cathedra pronuntiata a Concilijs generalibus

sæpe novo examini subjecta fuerint : sic Epistola dogmatica S. Leonis Magni contra hæresim Eutychianam examinata fuit & discussa a Concilio Chalcedonensi : sic etiam hæresis Lutherana, tametsi eandem Leo X. Summus Pontifex jam antea ex cathedra damnasset, fuit iterum damnata a Concilio Tridentino : profecto autem frustraneum fuisset novum illud examen, & frustranea pariter nova errorum Lutheri damnatio, si judicium Romani Pontificis in rebus fidei & morum existimatum fuisset infallibile : ergo &c.

Respond. ad primum *dist.* in primitiva Ecclesia fuit incognita prærogativa de infallibilitate Romani Pontificis, idest non fuit ita explicite & palam adserta antequam essent qui illam ex professo oppugnarent *conc.* secus *nego* . Mirum plane non est, nec esse debet, quod in prioribus Ecclesiæ sæculis, cum nondum essent , qui Summi Pontificis auctoritatem, & prærogativas in Ecclesia Christi expresse & palam oppugnarent, non ita frequens occurrat apud scriptores, & explicita mentio de prærogativa ista, qua judicium illius in rebus fid i & morum ex cathedra pronuntiatum infallibile esse affirmamus : *didicimus enim*, ut ad rem nostram præclare observat S. P. Augustinus in lib. de Dono persever. cap. 20. *singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones , contra quas diligentius defenderetur Scriptura Divina, quam si nulla talis necessitas cogeret*: & licet necesse minime sit ostendere, quod Patres omnes & Scriptores in hanc sententiam expresse consentiant, siquidem ut superius jam dictum est, opinio ista, secundum quam Summum Pontificem ex cathedra loquentem infallibilem esse propugnamus, est una ex illis, quæ tanquam fidei dogma fidelibus ad credendum nunquam explicite proposita

fuit ab Ecclesia: nihilominus certum est, quod judicia definitiva Summorum Pontificum in Ecclesia Christi semper considerata fuerint adeo gravia, a quibus nefas esset dissentire, & quibus consentire foret plane necessarium, sicut præ alijs expresse fatetur S. P. Augustinus in Epist. 157. ubi inquit *in verbis Apostolicæ Sedis tam antiqua, atque fundata, certa, & clara est catholica fides, ut nefas sit de illa dubitare Christiano*, & S. Irenæus in lib. 3. contra Hæres. cap. 3. ubi ait *ad hanc enim Ecclesiam* (romanam scilicet) *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, in qua semper ab ijs, qui sunt undique fideles, conservata est, ea, quæ est ab Apostolis traditio*.

Ad primam probat. *dist.* Asiani Episcopi opposuerunt se semper Victori Summo Pontifici circa celebrationem Paschœ in quantum spectabat ad disciplinam *conc.* secus *nego*. Principio manifestum est, quod Asiani Episcopi cum eorum duce Polycrate, qui se Victori I. Summo Pontifici opposuerunt circa celebrationem Paschatis erraverint: quippe Concilium Nicænum 1. statuit deinceps, ut Pascha perpetuis futuris temporibus a Christianis celebrari deberet Dominica proxime sequenti ad lunam decimam quartam mensis Martij, sicut nunc in tota celebratur Ecclesia: & sicut illud celebrandum esse perurgebat Summus Pontifex Victor Primus; ex quo fit, quod infirmum plane sit argumentum, quod exinde deducunt adversarij contra Romani Pontificis infallibile judicium: siquidem ut per se manifestum est in hac controversia non erravit Summus Pontifex, sed erraverunt Asiani Episcopi: deinde manifestum est ulterius quod Polycrates, & cum eo reliqui Asiani Episcopi, opposuerunt se Summo Pontifici,

quia existimabant controversiam istam de celebrando Paschate pertinere ad meram disciplinam, quæ varia est, & semper varia esse potest pro varietate temporum in varijs locis, ac proinde oppositio ista nihil imminuit infallibilem Summi Pontificis auctoritatem in rebus fidei & morum.

Ad alteram probat. scilicet ad factum S. Cypriani Martyris eodem plane modo responderi debet: nimirum primo etiam in hoc facto erravit non Stephanus Papa, sed Sanctus Cyprianus: deinde etiam iste Sanctus Martyr restitit Stephano in causa de rebaptizandis hæreticis, quia existimabat quæstionem istam, utrum nempe iterum baptizari debeant, qui fuerunt in hæresi baptizati, non ad fidem pertinere, sed ad disciplinam, sicut aperte colligitur ex ejusdem S. Martyris Epistola, ad prædictum Summum Pontificem, in qua eundem ita alloquitur, *quod salvo pacis vinculo nemini legem dare velit, cum habeat unusquisque Præpositus in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbitrium, rationem actus sui Domino redditurus*. Profecto enim in rebus fidei non est liberum Episcopo pro suo arbitrio Ecclesiam administrare, sed tantum in rebus disciplinæ: quippe Episcopus non est Dominus, sed tantum minister fidei: huc pertinet, quod etiam Sanctus Stephanus suam sententiam de non rebaptizandis hæreticis, nunquam ita proposuit, ut ostenderet illam ad fidem irreformabiliter pertinere, nam licet rebaptizantes omnes graviter monuerit, & cogitaverit quoque, atque minitaverit illos excommunicandos, nisi resipiscerent ab illorum errore, revera tamen in illos anathema non pronuntiavit, ut testatur S. P. Augustinus in lib. 5. de bapt. cap. 26. ubi affirmat *illos in unitate & vinculo pacis permansisse*: ex quibus non immerito concludi potest, quod judicium Ste-

phani, tametsi ab illo haberetur tanquam de objecto, quod ad fidem pertineret, a Cypriano autem spectare crederetur ad meram disciplinam, in substantia non fuerit definitivum, & ejus generis, cui sine discrimine aliquo saltem remoto in fide obniti non posset, sed consultivum tantum, & ejus generis, quod stricte loquendo non continebat decretum fidei: nam ut dictum est de auctoritate Conciliorum ad decretum fidei requiritur certum & firmum judicium, neque sufficit opinativum & probabile tantum, sicuti erat illud in hac materia & ista occasione a Stephano pronuntiatum.

Dum autem S. P. Augustinus in citato lib. 5. de baptis. excusat Sanctum Cyprianum ab omni errore propterea quod tunc controversia ista nondum esset judicio Ecclesiæ in plenario aliquo Concilio definita, & affirmat, *quod liberum illi fuerit propugnare suam sententiam antequam controversia ista per plenarium Concilium definita esset*, nullatenus evertit infallibilitatem Pontificis in definiendis ex cathedra controversijs fidei: nam S. P. Augustinus hoc loco ita docuit, non utique quia firmiter putavit per solum Concilium plenarium, ut ipse vocat Concilia illa post tempora S. Cypriani in causa donatistarum in affrica celebrata, quæ tamen revera non fuerunt nisi provincialia tantum, finaliter & irreformabiliter definiri atque terminari posse causas fidei; sed quia sciebat, quod Stephanus ipse, quæstionem istam studio pacis firmo decreto, & ultimate non definiverit; & cum optime sciret nullum usque ad illud tempus nempe ad annum 258. in quo S. Cyprianus pro fide Christi Martyr occubuit celebratum fuisse alicujus auctoritatis Concilium, siquidem primum, quod in hac materia celebratum fuit, & aliquo sensu plenarium vocari potest, est Arelatense

anno 314. sub Silvestro Papa & Constantino Magno Arelate in Gallia habitum, quod tamen etiam ipsum non fuit vere generale & œcumenicum, sed tantum nationale (4).

Ad alterum *dist.* Concilia generalia sæpe novo examini subjecerunt dogmatica Romanorum Pontificum decreta ad magis frangendam & retundendam

(4) Nonnulli ut ostendant, quod S. P. Augustinus irreformabile judicium in causa fidei non agnoscat, nisi penes generale concilium, producunt etiam aliud ejusdem S. Doctoris testimonium desumptum ex lib. 2. contr. Parmenianum cap. 13. ubi pertractans de baptismo collato a non Christiano inquit; *et hæc quidem alia quæstio est, utrum et ab his, qui nunquam fuerunt Christiani possit baptismus dari? nec aliquid temere inde affirmandum est sine auctoritate tanti Concilij, quantum tantæ rei sufficit*, sed inepte: nam ut est in proverbio, *qui unum aliquod affirmat, non negat continuo alterum*: proinde nihil omnino implicat, quod Sanctus Pater in subjecta materia judicium suum suspenderit, nec quidquam affirmare ausus sit circa hanc quaestionem, utrum baptismus valide dari possit ab ijs, qui nunquam Christiani fuerunt, propter hanc rationem, quia quæstio ista a nullo Concilio sufficienter pertractata & definita esset, quin inde sequatur, quod vel absolute negaverit infallibilem Summi Pontificis auctoritatem in rebus fidei & morum, vel quod hanc auctoritatem solis Concilijs generalibus attribuerit: nam primo eo in loco non loquitur expresse de Concilijs generalibus, sed de Concilio aliquo tantae auctoritatis *quantum tantæ rei sufficit*: deinde quod S. P. Augustinus non obscure sed manifeste agnoverit Summi Pontificis infallibilem auctoritatem in rebus fidei & morum evidens est ex ijs, quae supra in probatione Propositionis ex illo adduximus, & confirmari quoque perspicue potest ex lib. 1. contra Julianum cap. 4. ubi haereticum istum ita compellat, *Ecclesiæ præsidentem Beatum Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses: nihil enim potuit vir ille sanctus affricanis respondere Concilijs, nisi quod antiquitus Apostolica Sedes, et romana cum cæteris tenet perseveranter Ecclesia*.

hæreticorum pervicaciam *conc.* secus *nego*. Universim decreta fidei Romanorum Pontificum non infirmantur, nec amittunt intrinsecam auctoritatem quam habent, propterea quod eisdem snbinde accedant etiam decreta & difinitiones Conciliorum generalium, sed roborantur potius: nam ita demum fit, ut illud, quod a Summo Pontifice irreformabiliter jam definitum erat, auctoritate Concilij generalis, & totius Ecclesiæ expresso suffragio iterum firmatum & statutum, novam vim, novumque robur acquirat, saltem ab extrinseco, & relate ad rebelles Ecclesiæ filios: quamobrem mirum esse non debet si subinde post solemnia Summorum Pontificum decreta ex cathedra pronuntiata a Concilijs generalibus, quæ contra hæreses celebrata fuerunt, eadem decreta novo examini subjecta fuerint: nam istud factum est, non quia egebant nova approbatione, ut valorem suum acciperent, & irreformabilia evaderent, sed ad magis frangendam & retundendam hæreticorum pervicaciam: nec immerito nam primo quod additur ex Concilio Chalcedonensi, in eo Epistola dogmatica S. Leonis Magni ad Flavianum, quæ lecta fuit actione XI. nequaquam examinata aut expensa fuit a Patribus judicio auctoritatis, & tanquam dubia esset, atque ideo emendari aut corrigi posset, sed mero judicio cognitionis & approbationis; siquidem statim ab initio ejusdem Concilij habita fuit tanquam inconcussa regula, & norma, ad quam omnes fere definitiones ejusdem Concilij exactæ fuerunt, & Eutyches ipse ejusque errores unice & specialiter damnati fuerunt ad mentem & sensum ejusdem Epistolæ, ut ex actione quinta ejusdem Concilij perspicuum est & manifestum.

Deinde in Concilio Tridentino non solum damnati fuerunt errores illi, quos Leo X. in Bulla *Exur-*

ge *Domine* anno 1520. tanquam impium Lutheri fœtum jam damnaverat, sed etiam alij plures, quos idem hæreticus post Leonis damnationem ulterius docuit: præterea in illo Concilio damnati quoque fuerunt errores Buceri, Calvini, Melanchtonis, Zuvinglij, & aliorum, qui Lutherum secuti, ad errores illius, alios in dies adjunxerunt: omnia autem in Concilio gesta fuerunt, non eo fine, ut dogmatica definitio Leonis suum robur exinde reciperet, sed ut accedente auctoritate Concilij ad auctoritatem Summi Pontificis ora hæreticorum istorum, qui ad declinandam Leonis definitivam sententiam, ab ipso ad generale Concilium provocaverant, fortius & validius obstuerentur.

Opp. III. Diversi Pontifices sæpe erraverunt in suis de fide & moribus definitionibus: nam ut nihil dicatur de Liberio qui Arianam perfidiam subscripsit: sane Hormisdas Papa erravit ex cathedra, quando propositionem istam *unus e Trinitate passus est* tanquam hæreticam damnavit: quippe eandem postea probavit catholicam esse generale quintum Concilium: erravit etiam Vigilius, quando primum tanquam catholica suspexit tria famosa capitula; idest scripta Theodori Mapsuesteni, Theodoreti, & Ibæ: quippe qui eadem postea simul cum quinto Concilio generali prædicto tanquam hæretica damnavit: tandem erravit etiam Honorius I. quem Concilium VI. generale simul cum alijs hæreticis monotholitis tanquam hæreticum anathemate percussit ergo &c.

Respond. ad primum *dist.* diversi Pontifices erraverunt in suis de fide & moribus definitionibus judicio privato *transeat.* judicio solemni ex cathedra pronuntiato *nego*. Et imprimis quod ad Liberium pertinet, si tamen verum est, quod vere uni ex formulis apud Sirmium ab Arianis & Semiarianis procu-

sis, ut vulgo prætenditur, subscripsit, sunt enim qui de facto isto valde dubitant, ille certe non ut Pontifex, neque libere atque ex cathedra docens, sed moerore exilij oppressus, & defatigatus tanquam privatus doctor in errorem personalem lapsus est, ac proinde non erravit, nisi privato judicio: deinde constat tres apud Sirmium ab hæreticis prædictis procusas & consarcinatas fuisse fidei formulas, ex quibus prima & tertia benigne interpretatæ, etiam sensum catholicum in obvia significatione verborum facile suscipere poterant, & nullam plane manifeste continebant hæresim: sicut sect. 3. cap. 3. Opp. 2. ad alteram probat. dictum fuit (vid. ibi. Nota 3.) porro autem sicut loco citato de Patribus Concilij Ariminensis observavimus, inverisimile plane est, quod Liberius subscripserit formulam secundam, quæ non solum tacebat, sicut contigit in prima & tertia, sed rejiciebat & damnabat expresse vocabulum *Homousion* in Concilio Nicæno ad significandum Verbi Divini cum Patre consubstantialitatem consecratum, & relatum in symbolum fidei ab omnibus orthodoxis explicite confitendum; nam istam detestabantur, & rejiciebant tanquam hæreticam non minus Semiariani omnes, quam Constantius Imperator, qui subscriptionem urgebat; igitur etiam Liberius, si vere formulam aliquam Sirmiensem subscripsit, non subscripsit certe, nisi vel primam, vel tertiam: ex quibus concluditur, quod etiam ut privatus doctor minime erraverit.

Ad primam probat. *dist.* Hormisdas Papa erravit ex cathedra dum propositionem istam *unus e Trinitate passus est* damnavit tanquam hæreticam, quam Concilium V. generale catholicam esse declaravit, si illam damnasset in eo sensu, quo catholica deinceps declarata fuit *conc.* secus *nego*. Prin-

cipio non est infrequens, quod una eademque propositio sub uno aliquo respectu sit vere catholica, & sub alio hæretica, sicut sect. 3. cap. 3. ad finem productis exemplis probatum fuit: igitur ut innotescat, quid sentiendum sit de facto Hormisdæ Pontificis notandum est universim, quod propositio ista *Unus de Trinitate passus est* de qua fusius pertractat Norisius noster in hist. Pelagia. lib. 2. cap. 18. duplicem habere possit sensum, unum rectum & catholicum, quatenus asserit, quod Christus, qui passus est carne, & in humana natura assumpta, est vere una Trinitatis persona: alterum vero hæreticum & Eutychianum, quatenus insinuare videtur unam tantum in Christo esse naturam ex Divina & Humana permixtam, in qua Christus unus de Trinitate passus sit: deinde notandum quoque est in particulari, quod tempore Hormisdæ, Monachi quidam Scythæ, ut loco citato ostendit Norisius, eandem propositionem acerrime propugnaverint, ita ut omni conatu insistere non cessarent apud Pontificem, ut propositio illa præsertim contra errores Nestorij, in Symbolum fidei expresse insereretur: in qua re proinde plurimos experti sunt adversarios, non solum ex factione Nestorij, qui duplicem in Christo docebat esse personam, sed etiam ex catholicis, qui verebantur ne sub involucris istius propositionis hæresis Eutychiana, quæ non ita pridem in Concilio Chalcedonensi damnata fuerat, iterum repullulare permitteretur: tandem notandum est, quod Concilium V. generale celebratum anno 553. idest fere trigesimo post mortem Hormisdæ, qui e vivis decessit anno 523. postquam ex diuturnis disputationibus cognovit obvium illius propositionis sensum, sicuti aperte contrarius est Nestorianorum erroribus, ita quam longissime abesse quoque ab hæresi Eutychia-

na, declaravit eandem catholicam esse & orthodoxam: his notatis evidens est quod propositio ista non semper neque ab omnibus sub uno eodemque sensu intellecta atque propugnata fuit: & cum tempore Hormisdæ plane nova esset, & antea vix audita, supposito quod illam Pontifex iste vere, & ex cathedra damnaverit, nullo plane modo erravit in fide: poterat enim ab eo jure damnari in eo sensu quo illa abutebantur Eutychiani, & ex illa parte, qua novam doctrinam saltem apparenter & sub vocabulorum involuero in Ecclesiam inducere videbatur.

Dictum est autem supposito quod illam vere tanquam hæreticam damnaverit: nam a multis factum istud revocatur in dubium; & negatur etiam expresse a celeberrimo Theologo Natali Alexandro in Sæcul. VI. hist. dissert. 2. ubi inquit, *mera vero calumnia est Hormisdam hanc propositionem, Unus de Trinitate crucifixus est carne, ex cathedra damnasse, quam ne quidem examinare tunc voluit, hanc disceptationem intempestivam judicans, & turbandæ potius Ecclesiæ, quam ædificandæ opportunam.*

Ad alteram probat. respondendum est quod etiam Vigilius Papa nihil plane erravit circa tria famosa capitula: nam universim loquendo cum Summus Pontifex tanquam privatus doctor cognovisset, quod in Concilio Chalcedonensi Theodoretus & Ibas pro catholicis habiti & declarati fuerint, & ab hæresi nestoriana de qua in Concilio illo accusati fuerant, immunes, ut dictum fuit sect. 4. cap. 3. in Resp. ad Inst. obstitit aliquandiu ne illorum scripta cum injuria Concilij Chalcedonensis iterum ad examen revocarentur: postea autem re maturius expensa, & reperto quod scripta ista non minus quam illa Theodori Mopsuesteni plena essent erroribus Nestorianorum, & quod in Concilio Chalcedonensi actum tantum fuis-

set de personis & auctoribus istorum capitulorum, nihil autem de illorum scriptis, inductus fuit, ut in suo Constituto, quod multi tanquam dogmaticam Constitutionem suspiciunt, eadem etiam ipse expresse tanquam hæretica damnaverit, & in omnia consenserit, quæ in hac materia in Concilio V. generali gesta & definita fuerunt: quod profecto non est errare, sed caute in rebus gravioris momenti procedere, sed Vid. quæ loco citato de hoc argumento dicta sunt.

Ad postremam probat. eodem quo supra respondendum est modo: nimirum etiam illa quæ hic objiciuntur adversus Honorium de quo plura Sect. 3. cap. 3. Opp. 2. nullius plane sunt ponderis: nam primo Epistola hujus Pontificis ad Sergium non fuit dogmatica, & dictata ex cathedra, sed privata, in qua simpliciter mentem suam aperuit: ac propterea si erravit, erravit ut privatus doctor, non autem ut Pontifex; quanquam etiam hoc sensu illum non errasse loco citato indicavimus.

Sed ajunt adversarij; Honorius damnatus fuit a Patribus VI. Concilij generalis tanquam hæreticus! bene habent: verum istud factum est, & contigit errore facti simplicis, prout ibidem dictum est, nullatenus autem propter hæresim, quasi illam Honorius ex cathedra loquens docuerit.

Neque ex facto isto concludi potest, quod Patres Concilij crediderint Pontificem errare posse in fide eo ipso, quod Honorium tanquam hæreticum damnaverint: nam Patres in illo Concilio judicarunt de Epistolis privatis, non autem de solenni aliquo fidei decreto, ut factum ipsum satis clare ostendit.

CAPUT III.

De Auctoritate Regiminis in Ecclesia Christi

Regimen universim in suo conceptu essentiali innuit directionem, & gubernationem Superioris erga inferiorem cum auctoritate imperij. Quod autem etiam Ecclesia Christi militans in terris, ut in suo ordine consistat, dirigi, & gubernari auctoritative debeat, non secus ac terrenus alius quilibet Principatus, videtur extra omne dubium positum esse; & patet manifeste ex illis, quæ superius cap. 1. de Primatu Petri ejusque successoris Romani Pontificis disputavimus: Verum quia quæstio ista, scilicet quam formam regiminis a Christo Ecclesia acceperit? seu cujus generis regimen Christus in sua Ecclesia instituerit, an monarchicum, an Aristocraticum, an vero democraticum, vel etiam aliud ex prædictis permixtum, propter acerrimas hinc inde disputationes est valde perplexa, ut supra cap. 1. Nota 10. indicavimus: & quanquam eo in loco etiam statuerimus, quod cum Primatu divino Romani Pontificis in universam Ecclesiam conciliari nullo modo possit stricta forma regiminis Aristocratica, & multo minus Democratica, quod hic iterum fidenter repetimus, atque ita quæstio ista de regimine Ecclesiæ ad istam reduci debeat, utrum nempe ex Christi institutione esse debeat stricte Monarchicum, ut plures contendunt, an vero Monarchicum quidem sed Aristocratia permixtum, ut contendunt alij? quia tamen hujus nostræ Exercitationis scopus non est, ut alibi jam animadvertimus, controversias scholæ dirimere, maxime vero illas quæ magnorum quoque virorum in-

genia torquent, sed tantum generalia tradere principia & notiones elementares, quibus instructus Theologiæ candidatus, jam tuto pede penitiorem theologiam lustrare valeat, omissa hac quæstione, ea tantum hic prosequemur principia, quæ auctoritatem regiminis Ecclesiastici vel constituunt vel comitantur vel proxime sequuntur.

Itaque primo cujuscunque generis esse statuatur regimen Ecclesiæ, istud semper a quovis catholico principij & fundamenti loco teneri & propugnari debet, quod Romanus Pontifex sit visibile Ecclesiæ caput, atque supremus illius Pastor ac Rector: & licet non omnia immediate per seipsum regat, atque gubernet, sed utatur etiam in suo regimine ministerio Episcoporum & Parochorum aliorumque Ministrorum, hoc tamen ita præstat, ut nunquam vel suam auctoritatem, vel potestatem, quæ supremo Ecclesiæ capiti & rectori de jure competit, vel amittat, vel imminuat.

Deinde certum est, & in confesso apud omnes quod Christus Dominus Ecclesiæ suæ contulerit imprimis plenissimam auctoritatem & potestatem Spiritualem, præsertim cum dixit Apostolis Joan. cap. 20. v. 21. *Sicut misit me Pater & ego mitto vos*: neque dubitari potest, quod potestas ista universim spectata sicuti etiam illa *ligandi & solvendi* de qua Math. cap. 18. v. 18. inquit ad discipulos suos *amen amen dico vobis quæcunque alligaveritis super terram erunt ligata & in cælo, & quæcunque solveritis super terram erunt soluta & in cælo* exclusive pertineat ad Ecclesiæ rectores, idest ad Episcopos ad quos etiam Paulus cum esset Mileti actor. cap. 20. v. 28. sermonem dirigit dicens *attendite vobis & universo gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*: & cum Romanus Pon-

tifex Primatum habeat in universam Ecclesiam dubitari pariter nullo modo potest, quod omnis ista potestas in tota sua extensione quacunque latissime patet exclusive conveniat soli Romano Pontifici.

Jam vero auctoritas ista universim spectata dividitur communiter in scholis in auctoritatem cathedræ, & in auctoritatem jurisdictionis: auctoritas cathedræ est potestas docendi fideles & controversias fidei ac morum dirimendi: auctoritas autem jurisdictionis est proprie potestas regendi atque gubernandi fideles subditos cum auctoritate imperij: prima refertur tota ad instructionem fidelium, & integre servandum fidei depositum: altera autem *valet exerceri in alterum etiam invitum ad dirigendos subditos in finem beatitudinis æternæ*: ut inquit Joannes Gerson Consid. 4. de Potest. Eccles.

His ita in genere statutis est multorum opinio, quod in primis Ecclesiæ sæculis duplex ista potestas administrata fuerit imprimis jure supremo, & in universam Ecclesiam a Romano Pontifice, & deinceps in proprias Ecclesias sibi commissas ab Episcopis simul cum Presbyteris, salva tamen semper præeminentia Episcoporum supra Presbyteros.

Præterea docent complures, quod in primitiva Ecclesia numerus Presbyterorum, sicuti etiam ille diaconorum fuerit ubique determinatus, antequam scilicet multitudo credentium majorem non exigeret illorum numerum: quod colligunt præsertim ex Epistola Cornelij Papæ ad Fabium Antiochenum anno 355. in qua innuitur Romæ tunc fuisse Presbyteros XLVI. & Diaconos VII. secundum numerum Diaconorum ab Apostolis consecratum.

Dictum est supra *salva tamen præeminentia Episcoporum*: quod probe hic notari debet adversus Presbyterianos, qui Presbyteros cum Episcopis pares

faciunt dignitate & potestate: tametsi enim admittatur verum esse quod Presbyteri olim habuerint partem cum Episcopis in administratione Ecclesiæ, nihilominus in sana theologia propugnari absolute debet quod Episcopi sint superiores Presbyteris non tantum ex dispositione sacrorum Canonum, & jure Ecclesiastico, sed etiam ex jure divino in utraque prædicta auctoritate: nam ut brevitatis gratia omittamus alia, quæ huc faciunt, & quæ diffusius a Canonistis tractantur, sane in 1. ad Timoth. cap. 5. v. 19. in persona Timothei Apostolus præcipit singulis Episcopis dicens *adversus Presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duobus vel tribus testibus*: at vero recipere accusationem testibus firmatam pertinet ad Superiorem: igitur Episcopi sunt jure divino superiores Presbyteris.

Et quoniam hic sermo fit de Episcopis, & eorum super Presbyteros præminentia ex jure divino, incongruum non videtur hic breviter quoque animadvertere, quod minus recte affirmetur, prout fere communiter affirmari solet a vulgaribus theologiæ moralis professoribus, quod Presbyteratus sit complementum ordinis, & Sacerdotij, nisi forte Presbyteratus & Sacerdotium spectetur quatenus est in Episcopo: nam ut habet sanior theologorum opinio, Episcopatus per se est vere & proprie sacer & singularis ordo a simplici Presbyteratu distinctus, quod vel ex hac sola ratione confici potest, & probe intelligi, quia scilicet solus Episcopus potest ordinare & constituere tam alios Episcopos, quam Presbyteros, econtra vero simplex Presbyter, ne quidem Presbyteros ordinare & constituere potest (1) ex quo etiam istud in-

(1) Istud adeo verum est ut in tota retro antiquitate nullum se offerat exemplum, quo simplex Sacerdos abaltero sim-

telligitur quod cohærenter ad hanc sententiam de Episcopatu non omnino recte dicatur quod sit complementum Presbyteratus : nam ut jure hic concludit Thomasinus *in veteri & nova Ecclesiæ disciplina* part. 1. cap. 2. *quidam quasi rivus Presbyteratus est, qui ne alios quidem rivulos suo ex sinu queat fundere : at Episcopatus fons est inexhaustus, a quo non rivi tantum, sed fontes uberrimi scatent, non dissimili aquarum abundantia.*

Præterea quæri hic quoque solet utrum Episcopi prædictam auctoritatem, præsertim vero illam quæ jurisdictionis vocatur, accipiant & habeant immedia-

plici Sacerdote unquam ordinatus fuerit, quantumvis in terris remotis a nobis saepe esset maxima Episcoporum penuria : atque hinc, ut ego existimo, ad demonstrandam excellentiam Ordinis Episcopalis, quo majorem Ecclesia non habet, fortassis etiam constitutum est, ut Episcopus non nisi a tribus Episcopis simul consecrationem suam accipiat; quæ conditio ita necessaria est, non solum quantum ad licitam, sed etiam quantum ad validam Episcopi consecrationem, ut si in praxi contingeret aliquem ab uno tantum vel duobus sine speciali commissione summi Pontificis ordinatum esse, ille ex plurimorum theologorum sententia continuo reordinari deberet a tribus saltem sub conditione; dixi autem sine speciali commissione summi Pontificis : nam quod summus Pontifex potestatem facere possit, e impertire facultatem uni alicui Episcopo, ut alium solus consecret, non videtur esse dubium : tametsi enim Summi Pontifices ipsi et diversa Concilia passim improbent ordinationem Episcopalem ab uno tantum peractam, ita ut subinde etiam irritam esse statuant : consentiunt nihil ominus theologi irritam vocari hoc sensu, non quia absolute et certo nulla est, et invalida, sed quia est valde dubia et omnino illicita : ac propterea etiam sic ordinato licitum non esset functiones Episcopatus proprias obire, donec vel iterum sub conditione a tribus ordinatus esset, vel saltem a sede Apostolica cum ipso dispensatum non fuisset.

te a Christo, & ex vi ordinationis eorum, an vero potius a successore divi Petri Romano Pontifice dum ab eo vel eliguntur vel confirmantur? circa quam quæstionem magna pariter est controversia, & tam pro una, quam pro altera parte a gravissimis theologis gravia etiam producuntur momenta: universim autem loquendo adæquata ejus solutio tota dependet, & strictissime conjungitur cum forma regiminis, quam Christus Dominus in Ecclesia sua instituit; nam si regimen istud constituatur esse perfecte monarchicum, tunc per legitimam consecutionem sequitur necessario, quod Episcopi omnes sicut primum a Principe Apostolorum Petro, ita nunc ab ejus successore Romano Pontifice accipiant suam auctoritatem præsertim vero illam, quæ jurisdictionis vocatur: nam de auctoritate cathedræ est fere communis opinio, quod illam ex vi ordinationis obtineant immediate a Christo: si vero regimen Ecclesiæ statuatur a Christo primitus institutum Monarchicum quidem, sed Aristocratia permixtum, tunc jure etiam sustineri, & propugnari poterit, quod tam auctoritas cathedræ quam illa jurisdictionis derivet in Episcopos ex jure divino, seu ex institutione Christi & vi ordinationis ipsorum.

Porro autem Theologi, qui postremam sequuntur opinionem putant eandem & Scripturæ sacræ, & etiam menti Summorum Pontificum esse magis conformem, quam oppositam: & quidem sacræ Scripturæ; siquidem Paulus, revera non tribuit alteri potestatem regendi Ecclesiam Episcopis inhærentem, quam Spiritui Sancto actor. cap. 20. v. 28. dicens *attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*: deinde idipsum videntur sæpius quoque testatos esse Summos Pontifices sic Gregorius III. in Epistola ad Episcopos Ger-

maniæ inquit *Populum vobis a Deo commissum doceatis* & Leo IV. in Epistola ad Episcopos Britanniæ *gregem vobis a Deo commissum pascitis* sic etiam Gelasius II. in Epistola 1. ad Episcopos Galliæ *libenter* inquit *fratrum nostrorum judicio, qui a Deo sunt judices in Ecclesia constituti, acquiescimus*: neque ab hac sententia alienum quodamodo videtur Concilium Tridentinum, quamvis revera post multas discussiones nihil de ea positive decreverit: nam sess. 23. cap. 4. declarat *Episcopos* (sunt verba Concilij) *qui in locum Apostolorum successerunt ad hierarchicum ordinem præcipue pertinere, & positos, sicut Apostolus ait, a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei*.

Verum quidquid, sit de hac controversia, & licet Episcopi habeant immediate a Christo & vi ordinationis eorum, sicut auctoritatem cathedræ, ita etiam auctoritatem jurisdictionis, ea tamen in ipsis est semper & essentialiter subordinata jurisdictioni Summi Pontificis; neque ullatenus legitime exerceri potest, nisi dependenter ab ipso tanquam a supremo Ecclesiæ capite; siquidem ex Christi ipsius institutione auctoritas ista in Episcopis non extenditur ad totam, sed tantum ad particularem aliquam Ecclesiam: quod exinde patet, quia Apostoli ipsi, qui primos constituerunt per loca Episcopos transtulerunt in ipsos, non plenam & absolutam, sed limitatam tantum potestatem, hoc ipso, quia illos destinaverunt Episcopos super gregem determinatum, non autem super universam Ecclesiam, ut patet imprimis de Tito quem Paulus reliquit Cretæ, & de Timotheo, cui Ephesinam commendavit Ecclesiam: deinde patet etiam ex eo quia Petrus in sua prima Epistola cap. 5. v. 2. præcipit Episcopis ab Apostolis constitutis dicens *pascite*, non universum, sed *qui in vobis est gregem*

Dei ac propterea recte observat Joannes Gerson Considerat. 10. de potestat. Eccles. scribens *supponitur insuper ex jam dictis, quod ex institutione Christi nullus in Ecclesia debet dare vel suscipere gradus hierarchicos, qui sunt purgare, illuminare, & perficere, si non interveniat vere vel interpretative auctoritas summi Hierarchæ, vel Monarchæ in Ecclesia Sancta Dei, quatenus in ea vitetur confusio, & optimo regimine gubernetur ad exemplum Ecclesiæ triumphantis.*

Præterea; quod huc etiam spectat universim inter Episcopos agnosci debet Prœdria quædam, sive præminentia unius præ alio: siquidem jam ante Concilium Nicænum 1. agnoscuntur constituti alij Patriarchæ, alij Metropolitæ, seu Archiepiscopi, alij vero simplices Episcopi: quibus etiam singulis ex consuetudine Ecclesiæ & dispositione sacrorum Canonum sua specialis attributa fuit jurisdictio (vid. Sect. 2. cap. 3. Nota 1.) quod tamen intelligi debet, salva jurisdictione Primatiali Romani Pontificis in universam Ecclesiam: nam istam in Sede Romana obtinere, non ex dispositione Canonum, vel ex privilegio aliquo humana auctoritate in eam derivato, sed ex jure divino demonstratum est supra cap. 1.

Nunc ut revertamur unde discessimus, etiam auctoritas jurisdictionis Ecclesiasticæ complectitur, sicut in omni ordinato regimine, tres partes constitutivas: nempe potestatem judiciariam, legislativam, & coercitivam (vid. hic supra cap. 1. Nota 6.).

Potestas judiciaria Ecclesiæ est verum & proprium jus independens viva & judiciali voce declarandi & definiendi res omnes, & controversias circa ea quæ ad materiam religionis pertinent: sicuti sunt primo res fidei & morum: & deinde etiam illæ, quæ ad disciplinam & exteriores observantias, tam locorum

& personarum, quam rerum Ecclesiasticarum in genere quomodolibet spectant vel spectare possunt: puta contractus matrimoniales, sponsalia &c. item illæ, quæ pertinent ad ritus, quibus Sacramenta & Sacramentalia vel conficiuntur vel administrantur; & universim causæ omnes, quæ ad Religionem integre servandam vel directe vel indirecte pertinent.

Dictum est jus independens, quo significatur potestatem istam judicandi acceptam haberi in Ecclesia immediate a Deo ipso, non autem a Principibus temporalibus: ac proinde jus istud est Ecclesiæ ita proprium, ut ab auctoritate Principum, & sæculari potestate minime pendeat.

Loquimur autem hic de potestate judiciaria in foro externo, & quatenus est pars jurisdictionis illius, qua fideles exterius reguntur & gubernantur; non autem de illa, quæ ad forum internum pertinet, & per quam Sacerdos legitime approbatus habet jus in foro conscientiæ absolvendi fideles subditos a peccatis eorum, de qua nulla plane est, vel esse potest quæstio, quod ad Ecclesiam exclusive pertineat.

Potestas legislativa Ecclesiæ est jus proprium, & independens condendi leges & præcepta in ordine ad bonum spirituale & salutem animarum circa omnia illa, quæ ad religionem ejusque exercitium directe pertinent: sive universim loquendo, circa omnia illa ad quæ se extendit judiciaria illius potestas.

Hinc vero sequitur quod Ecclesia habeat jus supremum & exclusivum condendi leges & præcepta speciatim circa ea, quæ credenda & agenda sunt in ordine ad consequendam vitam æternam, de quibus omnibus præcipue intelligi debet Christus Dominus dum discipulos suos alloquens Lucæ cap. 10. v. 16. inquit ad eos, *qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit; qui autem me spernit, sper-*

nit eum qui me misit: & licet Ecclesia neminem cogat, aut cogere possit ad credendum, siquidem actus fidei, est actus intellectus, qui non subest coactioni, habet tamen veram & proprie dictam auctoritatem non solum proponendi simpliciter, sed etiam jubendi omnia illa, quæ a fidelibus credenda, assistente sibi semper Spiritu Sancto ne erret, definit, atque judicat conjunctam cum obligatione ad actum ex parte fidelium: quod satis est ad essentialiter constituendam potestatem legislativam proprie dictam (2).

Deinde habet etiam jus proprium præscribendi leges atque præcepta circa exteriorem disciplinam, quatenus ad salutem animarum, ad cultum religionis, ad ritus, ad cæremonias, ad pias quasque observantias, & institutiones pertinent (3) nimirum Ecclesia potest

(2) Hinc patet quid respondendum sit ad quæstionem illam in genere scilicet an Ecclesia possit praecipere directe etiam actum internum, sicuti est v. g. ut fideles diebus festis *devote* assistant sacrosancto missæ sacrificio? nempe respondendum est affirmative: universim enim Ecclesia accepit a Christo ipso potestatem præcipiendi fidelibus ea, quæ conducunt ad vitam æternam, et vetandi illa, quæ ab ea abducunt, et conducunt in interitum sempiternum: at vero manifestum est, quod actus interni potissimum sint illi, qui vel conducunt ad vitam, si recti fuerint, vel ab ea abducunt si fuerint iniqui: nihilominus tamen notandum hic est quod obligatio ad actum, quæ ad hujusmodi præcepta exurgit, alia non est, quam moralis, idest illa quæ oritur ex interna animi persuasione, qua intellectus seipsum captivare debet in obsequium fidei propter auctoritatem Dei revelantis ab Ecclesia ad credendum legitime propositam: neque enim quisquam est, qui Deum colit, cui intime persuasum non fuerit Deo impertium esse etiam in internos hominum actus.

(3) Clamant hic, et vociferantur hæretici maxime lutherani et Calvinistæ populum fidelem in communione Ecclesiæ catholicæ multitudine legum Ecclesiasticarum valde onera-

auctoritate sua propria præscribere & legibus suis jubere ea, quæ pertinent ad cultum Dei, ad sacramentorum administrationem, ad nitorem & ornatum templorum, ad officium divinum, ad sanctissimum Missæ sacrificium, ad sepulturam mortuorum, ad benedicendas nuptias: verbo dicam omnia, quæ ad ordinem, ad honestatem, & ad ædificationem pertinent, de quibus Apostolus in 1. ad Corinth. cap. 14. v. 26. præcipit dicens *omnia ad ædificationem fiant*, & vers. 40. *omnia autem honeste, & secundum ordinem fiant*.

Neque potestatem stam evertit, vel evertere potest, quod opponuntimoderni politici de acceptatione & *regio placet*, ut ajunt, quod in omnibus fere

tum, atque, ut ipsi ajunt tyrannico jugo romanorum Pontificum pene oppressum jacere: sed immerito prorsus: nam universim non plura sunt, quam ad summum quinque Ecclesiæ præcepta fidelibus omnibus communia, quæ scilicet omnes cujuscunque conditionis et status æqualiter obstrictos tenent, et æqualiter respiciunt: nempe *primum* ut Dominicis, et festis diebus, qui tamen propter infelicitatem temporum, jam valde diminuti habentur, missam devote audiant: *secundum* de confessione annua proprio Sacerdoti facienda, quam, cum ex institutione Christi per se sit iuris diviui, Sancta mater Ecclesia, ne tepescente semper magis Spiritu fidelium longiori tempore neglecta maneret, saltem semel in anno, idest quocunque anni tempore modo inter unam et alteram Confessionem non præterlabatur totum unius anni spatium, faciendam præcipit ab omnibus utriusquæ sexus fidelibus postquam ad annos discretionis per venerint *Tertium* de sumptione sacramenti Eucharistici, quam cum etiam ipsa sit juris divini Ecclesia pariter fieri præcipit semel in anno et praecise intra quindennam paschalem in qua ex communi fere omnium sententia fieri consulitur propterea etiam confeſsio annualis ab illis, qui semel tantum in anno confitentur ut hoc modo aptius disponantur ad digne sumendam sanctam communionem *Quartum* vero de celebratione festorum dierum eosdem sancti

regionibus & provincijs Christianorum Principum nunc exigitur , ut leges Ecclesiasticæ, quæ ad externam disciplinam pertinent suum plenum vigorem habere existimentur: nam si leges hujusmodi non censentur obligare ad perfectam illarum observantiam sine eo, ut regio *placet* munitæ existant , istud non est ex defectu legum , quasi sine ista conditione ex se vim obligandi non habeant , vel non sint ab intrinseco leges vere & proprie dictæ , atque a legitima auctoritate emanatæ , sed potius ex expressa vel saltem rationabiliter præsumpta atque tacita conventione Summorum Pontificum , nolentium obligare , nisi adsit illa conditio propter studium pacis inter imperium & inter Ecclesiam (4) .

ficando exercitio bonorum operum et abstinentia ab operibus servilibus et *Quintum* de jejunio certis anni temporibus, et de abstinentia ab esu carnium in certis hebdomadæ & anni diebus quod tamen tam relate ad jejunium , quam relate ad prædictam abstinentiam mitissimam obligationem adnexam habet , siquidem relate ad primum excipit pueros , senes , et impotentes universim , et relate ad abstinentiam non obligat quempiam ante septennium : reliqua autem omnia mandata & praecepta Ecclesiæ non tangunt nisi certos vel status , vel gradus singularis homines , et non obligant nisi illos qui statu vel gradu aliquo hujusmodi sive sua sponte , sive ratione officij in Ecclesia mancipati existunt : prout sunt v. g. Religiosi et viri Ecclesiastici universim .

(4) Quod spectat ad promulgationem legum Ecclesiasticarum notandum hic breviter est, quod universim , quantum spectat ad leges a summo Pontifice emanatas , ut illæ ubique obligare censeantur , satis est , saltem de jure communi , quod Romæ promulgatæ fuerint , ut patet ex plurimi Pontificum decretis ; & ratio est , quia leges Pontificiæ obligant indepeudenter ab acceptatione populorum & quia auctoritas summi Pontificis , utpote immediate a Christo proveniens , est supra populum : si autem quæratur quamdiu leges istæ debeant esse promulgatæ antequam fideles omnes obligent ? quoniam in

Tandem potestas coercitiva Ecclesiæ est verum & proprium jus refractarijs debitas pœnas infligendi, eosque metu istarum exterius cogendi ad legum suarum observantiam.

Hanc porro potestatem denegant imprimis præfracte pertinere ad Pastores. Ecclesiæ præsertim Hugo Grotius & cum eo Calvinistæ omnes qui universim tam Romanum Pontificem, quam reliquos Ecclesiæ Pastores comparant cum medicis, quibus suadendi solum non autem proprie, & cum imperio jubendi potestas est; & contendunt a Christo Domino Ecclesiæ nullatenus collatam fuisse potestatem externam, & talem quæ pænis impositis contumaces & refractarios reducere jure possit ad viam salutis; sed plane inepte: nam primo Petrus certe duos gladios habuit Lucæ cap. 22. v. 38. nimirum corporalem unum quo Malcho abscidit *auriculam dexteram* Joan. cap. 18. v. 10. quem Christus illi non abstulit, sed stringere jussit, & iterum in vaginam recondere: ibidem vers. 11. & spiritualem alterum; quo scilicet propter mendacium defraudati pretij de agro vendito Ananiam & Saphyram uxorem ejus interfecit actor. cap. 5. deinde quod Ecclesia habeat a Christo verum & proprium jus animadvertere in transgressores legum suarum primo quidem pœnis spiritualibus, cujusmodi sunt ex-

hac re auctores dissentiunt inter se, videtur attendendum esse tempus, quod in ipsis legibus determinatum est: si vero in illis nullum fuerit determinatum tempus, tunc generatim sufficit illud in quo leges ipsæ humano modo ad fidelium notitiam pervenire possunt; dictum est autem saltem *de jure communi*, quia fieri potest ut in quibusdam locis leges Pontificum vim non habeant, nisi a Principe vel ejus Consilio acceptatæ fuerint, quando nempe inter Pontificem, et principem, ut dictum est supra, intercessit aliqua vel expressa vel saltem tacita & præsumpta de hac re conventio.

comunicatio, suspensio, degradatio, & interdictum, quæ in scholis Censuræ Ecclesiasticæ nominari consueverunt; patet expresse ex facto Pauli Apostoli, qui, ut ipse narrat in 1. ad Corinth. cap. 5. incestuosum quemdam adjudicavit satanæ, idest removit a communione fidelium, donec a peccato suo resipuisset: deinde certum est, & exploratum, quod primis Ecclesiæ sæculis Episcopi peccatoribus publicis & scandalosis sæpe imposuerint pœnitentias publicas & corporales; sicuti erant abstinentia a convivijs, a balneis, ab equitatione, item prostrationes ante fores Ecclesiæ, attonsio capitis, & diversæ aliæ corporis afflictationes: porro autem facta primitivæ Ecclesiæ ordinarie demonstrant etiam jura: neque enim primitiva Ecclesia temere sibi arrogavit quidquam, quod ab Apostolis, Apostoli autem a Christo non accepissent: igitur sine dubio concludendum est penes Ecclesiam esse etiam jus proprium animadvertere in reos & legum suarum transgressores pœnis quoque externis & corporalibus.

Quamobrem universim etiam ab Innocentio III. qui ad Summi Pontificatus apicem evectus fuit anno 1199. jure proprio, promovente tamen præsertim Sancto Dominico cum suis socijs institutum fuit in Ecclesia tribunal sanctæ Inquisitionis adversus hæreticam pravitatem, non utique ut quis vi exterius sibi illata ad credendum compelleretur saltem primario (5) ut

(5) Dictum est, *Saltem primario*: nam quod aliquo modo hostes fidei nostræ jure etiam poenis compelli possint ad mutandam sententiam, & vi exterius adhibita ad meliorem frugem reduci dummodo id fiat animo corrigendi, non studio vindicandi, ostendit inter alios præclare, ut semper solet, omni argumentorum genere S. P. Augustinus tam in Epist. 185 ad Bonifacium quam in 93 ad Vincentium ubi num. 4. generatim inquit *Non omnis, qui parcit amicus est: nec omnis*,

falso calumniantur hæretici : sed ad puniendum illos, qui vel dicto, vel scripto, vel opere erga religionem scandalose se gerunt : nam si ex consensu omnium politicorum Princeps quisque temporalis potest & debet severe, & exemplariter punire illos, qui novitatibus suis cum scandalo aliorum publicam civium quietem perturbant, non videtur, cur Ecclesiæ auctoritas nequeat, aut non debeat idem præstare erga illos, qui cum scandalo aliorum religionem derisioni, & ludibrio habent.

Quod autem quidam objiciunt tribunal istud sæpe furere ferro & igne in plane innoxios, istud, licet verum esset, ostenderet tantum quorundam Judicum privatam, non autem publicam tribunalis istius injustitiam, & perversitatem : dixi tamen licet verum esset, nam incredibile plane est, quot fabulas, & calumnias hæretici, & otiosi homines adversus tribunal istud semper excogitaverint, & excogitare quotidie non cessant, eo fine ut ipsum, sicut illis incommodum est, & licentiosæ ipsorum vitæ minime aptatum, ita apud omnes, præsertim vero apud Principes sæculares odiosum reddant & execrandum.

Quandoquidem vero hic sermo est de auctoritate & potestate, & quoniam de ea usque modo pertra-

qui verberat inimicus : meliora sunt vulnera amici, quam voluntaria oscula inimici : melius est cum severitate diligere, quam cum lenitate decipere : utilius esurienti panis tollitur, si de cibo securus justitiam negligat, quam esurienti panis frangitur, ut injustitiæ seductus adquiescat : & qui phreneticum ligat, et qui lethargicum excitat, ambobus molestus; ambos amat : & num. 3. subjungit *putas neminem debere cogi ad justitiam, cum legas patrem familias dixisse servis, quoscunque inveneritis, cogite intrare ? cum legas ipsum primo Saulum, postea Paulum ad agnoscendam et tenendam veritatem magna violentia Christi cogentis esse compulsum ?*

ctavimus, quatenus vocibus istis significatur, jus aliquid agendi & instituendi, reliquum esse videtur, atque non plane incongruum nunc quædam subnectere saltem in genere de his vocabulis quatenus ijsdem etiam significari potest jus in aliquid vel in aliquem habere.

Itaque primo non repugnare Spirituale dominium, quod penes Ecclesiam plenissimum esse etiam hæretici fatentur, cum dominio temporali, ita ut Romanus Pontifex, Episcopi, & Clerus universim possideat bona temporalia, & in eadem exerceat realem & temporalem potestatem, sive, quod idem est, habeat in illa verum & reale dominium, non videtur a quopiam salva fide denegari posse: siquidem, ut vidimus in Synopsi historica Conciliorum generalium, res ista solemni Ecclesiæ judicio definita jam fuit in Concilio X. generali sive in Lateranensi II. anno 1139. celebrato contra Arnaldum a Brixia, qui primus potestatem istam Ecclesiæ pertinaciter eripere conatus est.

Deinde docent etiam permulti Romanum Pontificem habere directam potestatem in omnia regna mundi, totumque civile Imperium: sicuti sunt Augustinus Triumphus celebris ex ordine nostro Theologus, qui primus Romani Pontificis jura in tota extensione vindicare aggressus est: item Pelagius, Alvarez, & inter plures alios Panormitanus, qui testante Bellarmino in lib. 5. de Potest. Pontif. temporali cap. 1. asseruit, *Per Christi adventum omne dominium Principum infidelium translatum esse ad Ecclesiam, & residere in Summo Pontifice, ut Vicario summi, & veri Christi regis: & ideo posse Pontificem regna infidelium jure suo donare quibus voluerit fidelium.*

Alij vero cum modo laudato insigni Theologo Bellarmino docent potestatem istam esse indirectam tan-

tum penes Ecclesiam, itaut Summus Pontifex tametsi a Christo immediate, & directe non acceperit nisi solam potestatem spiritualem, idest ***ligandi atque solvendi animas***, ut legitur in Oratione cathedræ S. Petri sub die 22. Februarij in antiquioribus Missalibus & Breviarijs quæ ante annum 1598. typis impressa fuerunt, nihilominus tamen vi hujus potestatis absolutæ & universalis habeat etiam potestatem indirectam in omnia regna mundi hoc sensu scilicet, quatenus etiam ipsa administratio regnorum temporalium,si consideretur prout recte vel nefarie adimpletur, universali ligandi atque solvendi potestati, quæ in Romano Pontifice plenissime residet, subjecta est, atque ad æternam vitam consequendam ordinabilis, ita ut, si reges & Principes in hæresim inciderent, vel alio modo a recta & Christiana regnorum administratione pervicaciter deflecterent, & in specie si Ecclesiam ipsam tyrannico magis, quam justo imperio prosequerentur, possit eos Romanus Pontifex vi suæ potestatis spiritualis jure regni temporalis exuere, & solvere illorum subditos a juramento fidelitatis.

Verum quidquid sit de ista controversia, quam hic ulterius prosequi consulto prætermittimus, tanquam unam ex illis, de quibus inquit Paulus Apostolus in 1. ad Thesalon. cap. 5. v. 20. *omnia probate*, ***quod bonum est tenete***, & sine cujus accuratiore inquisitione salva consistunt theologiæ Christianæ principia, quæ hic prosequimur: constat interim, & tradunt rerum Ecclesiasticarum scriptores, quod diversi Summi Pontifices auctoritate ista non semel usi sint saltem ex parte: sic primo Innocentius I. excomunicavit Arcadium Imperatorem,& ejus uxorem Eudoxiam,quod Joannem Chrysostomum inique ab Episcopatu suo Constantinopolitano dejectum in exilium mandaverint; & Symmachus Anastasium, quod Accacij Constantinopoli-

tani Episcopi, & Romanæ Ecclesiæ inimici pervicacis & irreconciliabilis communionem retineret: sic etiam S. Gregorius VII. exauctoravit Henricum IV. Imperatorem & in ejus locum substituit Rodulphum Sueviæ Ducem, missa ad eum corona imperiali cum hac epigraphe *Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodulpho*: item Gelasius II. exauctoravit Henricum V. & Innocentius III. Othonem IV. Innocentius autem IV. non solum percussit anathemate Fridericum II. sed etiam regno exutum esse statuit: præterea Martinus IV. privavit regno & ditionibus suis Petrum Aragoniæ regem; & Bonifacius VIII., si de facto non tulit, de quo nonnulli dubitant, comminatus est saltem excommunicationem in Philippum pulchrum Galliæ regem; & Clemens VIII. exauctoravit Henricum VIII. Angliæ regem: atque Pius V. declaravit Elisabetham pariter Angliæ reginam regno suo privatam, solvitque illius subditos a juramento fidelitatis: sic tandem etiam nostris temporibus idest anno 1809. Summus Pontifex Pius VII. postquam fere sesqui anno militari gallorum obsidione in suo Quirinali Palatio cinctus innummera propemodum mira animi fortitudine perpessus esset mala, tandem ad definitivam tam Urbis quam status Ecclesiastici direptionem, medio isto, quod sibi reliquum erat, pro munere Apostolicæ potestatis usus in direptores ipsos consiliarios, & fautores omnes tulit excommunicationis sententiam Constitutione quæ incipit: *Quum memoranda illa die* publicata, atque ad externas præcipuarum Basilicarum Urbis Januas affixa die 10. Junij, ea tamen prudentia & paterni Spiritus mansuetudine concepta, ut neminem plane ad iracundiam jure provocare posset: siquidem etiam præcipuum ejusdem direptionis auctorem in ea innominatum esse voluit: sed de his satis.

CAPUT IV.

De Consectarijs Primatus in Romano Pontifice

Theologi diversi præsertim vero gallicani docent nonnihil discriminis esse inter habere Primatum *in universa Ecclesia*, & *in universam Ecclesiam*: & ajunt priori phrasi significari auctoritatem & jurisdictionem in singulas diœceses seu privatas & particulares Ecclesias distributive sumptas, posteriori autem in omnes simul & collective acceptas: & sunt non pauci, qui huic discrimini plus justo innixi, jura Primatus in Romano Pontifice ita limitant atque restringunt, ut eadem ad nihilum fere redigant; alij vero econtra efferunt illa ita enormiter, ut Primatui illius non parvam conflaverint invidiam, non solum apud hæreticos, qui nullam penitus illius rationem habent, ut supra cap. 1. observavimus, sed apud sinceros etiam catholicæ fidei Professores: igitur ad vitandum utrumque hunc scopulum, postquam usque modo generatim de Primatu pertractavimus, & ea quoque prosecuti sumus, quæ ad auctoritatem regiminis seu jurisdictionis Ecclesiæ constituendam pertinent, quantum ad statuenda Theologiæ sacræ generalia principia satis esse videtur; indicabimus nunc breviter quænam sint in specie jura, quæ Romano Pontifici inhærent propter illius Primatum in universam Ecclesiam.

Dictum est autem *in universam Ecclesiam*, qua phrasi continuo jam usi sumus, relicta altera *in universa Ecclesia*: quia persuasum nobis est, & persuasum esse debet cuilibet, qui sine studio partium rem istam attente considerare voluerit, quod Romanus Pontifex Primatum habeat non solum hoc sensu, qua-

tenus auctoritatem habet in Ecclesias distributive sumptas, sive super Episcopos dispersos, sed etiam in Ecclesiam collective acceptam; idest super Episcopos etiam in Concilio generali simul congregatos, eo sensu, quo suo loco Sectione 3. cap. 3. dictum fuit, nam ut ea, quæ supra sparsim dicta sunt, hic conjunctim iterum repetamus, sane Christus Dominus constituit Petrum, ut esset Princeps Apostolorum, idest contulit illi primatum super cæteros Apostolos, quia voluit, ut esset fundamentum Ecclesiæ; Math. cap. 16. quia eidem promisit claves regni cælorum cum amplissima potestate ligandi, & solvendi: ibid. vers. 19. quia curæ ipsius commendavit, & pascendas tradidit præ omnibus alijs agnos & oves suas: Joan. cap. 21. & quia pro Petro specialiter rogavit, ut non deficeret fides ejus, ita ut ipse post suam conversionem etiam fratres confirmare deberet: jam vero hæc tam illustria Christi oracula, & speciales prærogativæ Petro ejusque successoribus concessæ nullatenus verificarentur, neque congruum plane haberent sensum, nisi supponatur, quod Romanus Pontifex auctoritatem & jurisdictionem habeat, non tantum in Ecclesias omnes separatim spectatas, sed etiam in totam simul: nunquid enim Petrus constitutus est fundamentum Ecclesiæ dispersæ, & non etiam Ecclesiæ simul congregatæ? nunquid Ecclesia in unum congregata diversa est ab ea, in quam Christus Dominus Petro, ejusque successoribus supremam potestatem tradidit? num fideles, seu Episcopi, qui fideles suarum Ecclesiarum repræsentant, congregati simul in concilium desinunt esse oves, sicuti sunt donec remanent dispersi, ita ut Pastor supremus a Christo ipso constitutus tunc desinat esse illorum Pastor? & nunquid tandem Christi verba, *& tu aliquando conversus confirma fratres tuos* Lucæ cap. 22. v. 32. admittunt positivam istam exceptio-

nem, nimirum nisi forte fratres fuerint simul in Concilio adunati? vel etiam istam, nisi collective accipiantur?

Deinde, ut a generalibus ad particularia descendamus, jura ista primatus in Romano Pontifice sunt in duplici classe: nempe alia sunt essentialia & intrinseca, alia vero accessoria & extrinseca: (Vid. hic infra Nota 6.) essentialia sunt illa sine quibus finis primatus, idest unitas Ecclesiæ conservari, & integra atque intacta subsistere non potest: accessoria vero & extrinseca, quæ ita ad unitatem Ecclesiæ conservandam & integre constituendam concurrunt, ut etiamsi illis Romanus Pontifex careret, eadem tamen semper salva & intacta persisteret.

Primum inter essentialia jura primatus locum occupat suprema atque universalis potestas judicandi, & definitive pronuntiandi in omnibus fidei & morum controversijs: cum enim unitas Ecclesiæ præcipue consistat in unitate fidei, & doctrinæ, sicuti etiam in unitate charitatis, & regiminis, quemadmodum Sect. 3. cap. 2. propos. 1. demonstratum est, & cum plures sæpe in Ecclesia Dei controversiæ oriantur circa doctrinam fidei & morum, neque semper possibile sit Concilium generale congregari, quo controversiæ istæ finem accipere valeant, profecto, ut unusquisque per seipsum videt, actum jam esset necessario de unitate ipsa Ecclesiæ, nisi penes Romanum Pontificem, quatenus est successor divi Petri, idest quatenus primatum gerit in universam Ecclesiam, esset judicialis ista potestas de rebus dubijs pronuntiandi & definitive loquendi (1).

(1) Quod penes romanum Pontificem sit suprema potestas judicandi et definitive pronuntiaudi de omnibus fidei et morum controversijs consentiunt et admittunt theologi omnes,

Alterum jus essentiale primatus est suprema, & generalis omnium Ecclesiarum cura & sollicitudo, quæ in eo consistit, quod Romanus Pontifex omnibus totius orbis christiani Ecclesijs & Episcopis invigilare debeat, & ea disponere, quæ singulis expediunt, atque conveniunt, salvo semper jure Ecclesiarum, & Episcoporum singulis proprio: certum enim est, & esse debet catholicis omnibus Romano Pontifici in Beato Petro traditam fuisse a Christo Domino plenam Ecclesiæ suæ pascendæ, regendæ & gubernandæ potestatem: neque dubitari potest, quod potestas ista super omnes Ecclesias atque Episcopos sal-

nec sine discrimine in fide absolute & universim a quopiam negari potest: quia tamen nos judicia ista, quando ex cathedra pronunciantur per seipsa infallibilia esse pronuntiavimus, et econtra, qui gallicanas libertates defendunt, & statuunt esse provisoria tantum, ajuntque vere irrefragabilia esse illa solummodo, quæ a Pontifice prodeunt simul cum generali Concilio, cui soli prærogativam istam attribuunt, ut sit per seipsum infallibile, ut omnia quæ huc pertinent, & quae in superioribus sparsim attigimus, sub uno veluti aspectu conjuncta habeantur, juvat hic coronidis loco pauca superaddere, quibus & gallorum theologorum universim magis evertuntur principia, et nostra uberius firmatur sententia: itaque *primo* fatemur etiam nos, imo vero expresse etiam ostendimus sect. 4. cap. 3. quod tam anxie contendunt prædicti theologi, nimirum quod Patres in Concilio generali legitime congregato & legitime celebrato jure attribuere possint & debeant Spiritui Sancto decreta fidei & morum ita ut etiam ipsi non secus ac olim apostoli actor. cap. 15. dicere valeant *Visum est Spiritui Sancto et nobis*: sed negamus concilium aliquod futurum legitimum sine summo Pontifice: & quanquam, ut aliquoties dictum fuit in superioribus summus Pontifex concilio generali legitimo & oecumenico quautum ad vim directivam sit inferior & etiam ipse exequi debeat, quæ in hujusmodi Concilijs de fide & moribus decernuntur, ex eo tamen non redditur subditus Concilio, sed Spiritui Sancto ex cujus assistentia decreta hu-

tem distributive acceptos, ut non refragantur gallicani theologi, se se extendere debeat: alioquin enim quomodo concipi potest quod vera Christi Ecclesia sit una præsertim unitate regiminis, sicuti eam unam esse debere ex Christi institutione suo loco statuimus, nisi unus pariter sit, qui toti Ecclesiæ, & Episcopis omnibus invigilet.

Tertium est suprema sacrorum Canonum custodia: ac proinde ad Romanum Pontificem pertinet exclusive jus vindicandi & exequendi sacros Canones, eorumque vigorem, & observantiam ubique urgere & promovere, nisi unitatis Ecclesiæ conservandæ studium

jusmodi acquirunt infallibilem auctoritatem, cui propterea relate ad ea, quæ ad fidem & charitatem pertinent, etiam summus Pontifex subesse debet: *secundo* concedendum est Theologis istis, quod summus Pontifex in Concilio etiam ipse cum Concilio judicet, & una cum Concilio quod sentiendum est sentiat: inde tamen nulla ratione infringi aut infirmari potest suprema romani Pontificis infallibiliter judicandi res fidei & morum potestas independenter a consensu Ecclesiæ tam distributive quam collective acceptæ, nam dum summus Pontifex judicat & sentit, quod judicandum & sentiendum est una cum Concilio, hoc facit, & fit ab ipso non propter subjectionem & inferioritatem suam ad Concilium, sed propter judicij veritatem in rebus fidei & morum, quæ ab assistente spiritu Sancto proficiscitur, & quæ summo Pontifici propria est non solum in Concilio, sed etiam extra concilium, deest autem Concilio sine Pontifice, quia Concilium sine Pontifice est semper acephalum, idest suo capite destitutum: *Tertio* fatemur quoque cum Theologis omnibus de fide esse, quod Concilium generale legitimum sit infallibile in rebus fidei & morum, non autem quod infallibilis sit summus Pontifex: sed universim loquendo Concilium nunquam est vere infallibile, nisi quando illi præest summus Pontifex, & quando simul cum Pontifice, non autem quando sine Pontifice judicat: nam in hoc casu quando scilicet Concilia judicant sine Pontifice, sunt errori obnoxia etiam Concilia generalia: imo

subinde aliter exposcere videatur: cum enim in sacris Canonibus contineantur imprimis ea, quæ sunt juris divini, scilicet res fidei & morum; & deinceps, etiam illa, quæ sunt juris Ecclesiastici; quorum omnium ipse summus est interpres & Judex, ad illum pertinet illorum observantiam omni studio integram conservare, & rebelles atque refractarios etiam pœnis impositis compellere, ut illos observent: & etiam in illis, qui ad jus Ecclesiasticum pertinent non dispensare sine gravi aliqua causa, & ubi majus Ecclesiæ ipsius bonum non elucet: eo quia sicut omnis alia potestas, quæ ratione sui primatus in universam Ecclesiam Romano Pontifici inhæret, ita etiam ista, quam habet super sacros Canones, fuit eidem a Christo collata in persona Petri, non propter Petrum, sed propter Ecclesiam (2).

vero constat quod nullum unquam Concilium sine summo Pontifice vel sine illius approbatione quidquam de fide & moribus revera definiverit, & quod Concilia omnia quæ sine Pontifice fidei doctrinam explicare & statuere aggressa sunt in manifestos semper prolapsa fuerint errores; sicuti Ephesinum sub Dioscoro, Ariminense sub Liberio, & Basileense sub Eugenio IV. satis testantur: hinc vero consequitur, quod licet non sit de fide quod romanus Pontifex sit infallibilis, sicut est de fide, quod infallibilia sint Concilia generalia legitime celebrata, certum tamen est, quod tam in concilio generali universim, quam relate ad quamlibet fidei definitionem in particulari maxima semper est & præcipua summi Pontificis auctoritas, eo quia Patres sine capite possunt errare, non possunt autem errare dum cum capite conjuncti sunt, et simul cum capite definitive pronuntiant.

(2) Jn celebri declaratione Cleri gallicani facta in comitijs generalibus auctoritate Ludovici XIV. Parisijs congregati, de qua videri potest Nota 2. sect. 4. cap. 3. postquam primo loco romano Pontifici eripitur omnis potestas in temporalia Principum, & secundo superioritas ad concilium generale, ener-

Quartum jus essentiale primatui ab intrinseco inhærens est potestas condendi & ferendi leges pro omnibus Ecclesijs, quibus fideles omnes post legalem

vatur plurimum tertio loco etiam auctoritas illa, quam habet in sacros Canones dum sancitur *Apostolicæ potestatis usum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos* & *totius mundi reverentia consecratos*: utrum vero in hac sanctione jure prae oculis habuerint observantiam antiquorum Canonum, sicut externo verborum sonu profiteri videntur, an potius conservationem suorum, ut praetendunt, privilegiorum, ambiguum plane est: certe quod summus Pontifex jure suo dispensare possit in omni Canonica lege, quae disciplinam Ecclesiae pro objecto habeat, si justa sese offerat causa, & dispensatio in majus Ecclesiae bonum emergere a summo Pontifice credatur, persuasum est omnibus nationibus, ne gallis quidem exceptis, quamvis ad speciem, & fortassis magis ad fucum faciendum incautis, quam ad sincerae veritatis gloriam commendare videantur rigorosam, & omnimodam sacrorum & antiquorum Ecclesiae canonum observantiam: nam ut observat Cardinalis Sfondratus in suo regali Sacerdotio lib. 4. §. 3. *Qui locus aut terra est tam Canonum legumque observans, quæ non multis privilegijs ac libertatibus a Sede Apostolica contra Canonum legumque severitatem muniatur? Sacerdotia Regum arbitrio permissa, multa ac opulenta beneficia in unum collecta: ordo Ecclesiasticus toties non Principum tantum obsequijs, sed Imperij legibus foro subjectus: ejusdem ordinis Ecclesiastici bona ac facultates tributis, collectis, stipendijs exposita: Monasteria in commendas, ut vocant, data: an haec, multaque alia canonibus non utcunque, sed enixissime vetita, ac gravissimis poenis sancita? et tamen*, ut ibidem proseguitur laudatus auctor *in Gallis nullo sacros Canones offendendi metu haec omnia peraguntur, quod privilegijs se tutos arbitrentur, et pro ipsis privilegijs, et pro hac ipsa contra sacros canones vivendi libertate velut pro aris et focis pugnatur: non ergo ut credimus*, ut proseguitur ibi idem doctissimus Cardinalis *haec canonicam severitatem molliendi potestas tam illis invisa est, quam tam laxo sinu admittunt, et admissam tam in amoribus habent, ut nil minus, quam*

& sufficientem promulgationem obedire tenentur; (3) neque enim fieri posse videtur, ut Christi Ecclesia una sit, & esse perseveret in eo sensu, quo unam esse debere ex Christi institutione dictum est supra sect. 3. cap. 2. propos. 1. nisi unus pariter sit in ea supremus legislator; ut per se manifestum est.

Quintum est potestas præsidendi Concilijs generalibus, eadem convocandi, & auctoritate sua confir-

eam vel levissime offendi patiantur: Proeterea Cardinalis Pallavicinus dum in sua historia Concilij Tridentini causas inquirit, cur praefatum Concilium in gallia acceptatum non fuerit lib. 24. cap. 10. num. 15. adducit ex Epistolis Cardinalis Ossatensis sequentem nempe *Tridentinam synodum in Gallia displicere tum pluribus, tum majoribus: ac primo loco cunctis hæreticis, qui ab omni Concilio abhorrebant: prætereа etiam catholicis potentioribus, videlicet, senatibus, Collegjis Ecclesiasticorum, ac proceribus, quibus grave accidebat interdici sibi Sacerdotia natura sua insociabilia, et cum abusibus vetitis a Concilio*. ac proinde concludi hic merito potest, quod Galli non observantiam Canonum antiquorum, sed conservationem privilegiorum suorum amarunt, dum in tertia propositione statuerunt. *Apostolicae potestatis usum moderandum per canones Spiritu Dei conditos, et totius mundi reverentia consecratos*.

(3) Notandum hic est, quod sit multorum opinio gravibus quoque fundamentis innixa, si sermo sit de legibus a summo Pontifice èmanatis in materia disciplinae, hujusmodi leges strictam vim obbligandi non habere ante acceptationem Episcoporum; quod universim exinde probare conantur quia Cap. 2. diss. 4. de legibus inter alias conditiones, ut lex aliqua obligatoria censeri valeat, numerantur praesertim istae, ut lex ipsa sit justa, possibilis, loco & tempori conveniens, item necessaria, & pro communi civium utilitate conscripta: jam vero utrum conditiones istae ubique locorum concurrant, saepe ignorare potest summus Pontifex, scire autem possunt Episcopi unusquisque in sua propria diocesi, ac proinde congruum esse videtur, ut si episcopi, qui etiam ipsi ex divina institutione in partem re-

mandi (4) quemadmodum in superiori sectione IV. diffusius demonstratum fuit.

Sextum est jus excipiendi appellationes in quavis materia Ecclesiastica præsertim in causis majoribus: porro autem causæ majores communiter existimantur: *primo* quælibet novæ de fide & moribus quæstiones, & controversiæ: *secundo* dubia circa generalem di-

giminis Ecclesiae vocati fuerunt, legem aliquam Pontificiam his conditionibus in respectivis illorum dioecesibus destitutam esse perspiciant, aliquomodo jure suo sine effectu relinquere possint, attamen licet haec vera esse plures exissiment; interim tamen omnes consentiunt, & consentire debent quod in tali casu necesse etiam sit, ut Episcopi per se legem Pontificiam non irritent, sed tantum vigorem illius suspendant, & defectum legis respective ad Ecclesiam sibi commissam summo Pontifici denuntient atque exponant, & ab eo petant suae legis modificationem vel plenam abolitionem.

(4) Potestas sive jus confirmandi Concilia generalia, quod ex vi Primatus in unisersam Ecclesiam summo Pontifici essentialiter inhæret non est meta quaedam potestas conseutiendi & adhaerendi simpliciter illis, quae iu hujusmodi Concilijs, vel circa fidem & mores, vel circa disciplinam statuta ac definita fuerunt, sed est facultas jurisdictionalis a potestate judiciaria & legislativa summo Pontifici essentialiter inhaerente promanans qua decreta omnia & statuta proprie confirmat & approbat in ordine, ut vigorem suum habeant in Ecclesia sancta Dei: ac proinde dum sect. 4. cap. 2. dietum est, quod confirmatio seu approbatio Conciliorum generalium nihil aliud sit, quam explicitus summi Pontificis consensus in illa, qae in generali aliquo concilio statuta, atque definita fuerunt ejnsdemque expliciti consensus ad universam Ecclesiam publica & solemnis manifestatio: haec intelligi debent de consensu summi Pontificis auctoritativo, ita ut de illis quae iu hujusmodi Concilijs statuta sunt & definita, authentice etiam judicium faciat, & valeat illa pro auctotitate sua rescindere & irritare, quoties-cunque minus recte statuta & definita fuisse deprehenderit.

sciplinam Ecclesiæ: *tertio* graviora quævis Episcoporum judicia, in quibus nimirum tractatur de illorum depositione, excommunicatione, resignatione translatione &c. ac tandem: *quarto* quælibet negotia quæ statum & pacem universalis Ecclesiæ respiciunt.

Septimum denique jus essentiale primatus est proprie dicta potestas dispensandi in omni jure Ecclesiastico quandocunque necessitas vel publica Ecclesiæ utilitas istud exposcere videatur (5).

(5) Inter illa, quæ pertinent ad jus Ecclesiasticum, in quo dispensandi hic plenam asserimus esse penes summum Pontificem potestatem, numerari quoque debent illa, quæ Apostoli ut primi Ecclesiarum Rectores post Christi in cælum ascensionem constituerunt, prout loci vel temporis, vel personarum aliæque circumstantiæ, vel ipsa Ecclesiæ utilitas tunc exigere videbatur, & quæ præfinito tempore, & maxime cessante legis & institutionis apostolicæ fine, vel sua sponte expirare & cessare debebant vel etiam potestate Ecclesiae relicta fuerunt ut pro opportunitate & justis de causis eadem quovis tempore, vel ex parte per dispensationem, vel ex toto, ubi ita expedire visum fuerit, per abrogationem penitus tollerentur; Vid. Sect. 2. cap. 1. Nota 1. sic praeceptum pure Apostolicum actor. cap. 15. v. 29. de abstinendo a *sanguine et suffocato* quod ab Apostolis constitutum fuit ut Christianis a Judaismo conversis aliquid indulgeretur observando ea, quæ sibi a Moyse levit. cap. 3. & alibi saepe prohibita esse sciebant, & simul etiam conversis a gentilitate praescriberetur modus aliquis facilis, quo a caede & sanguine ad christianam lenitatem paulatim perducerentur: qui expeditissimus visus est Apostolis, si illis prohiberetur usus suffocati & sanguinis, praeceptum inquam istud licet in aliquibus Ecclesijs longiori tempore & fere usque ad XI saeculum observatum fuisset, nihilominus cum post promulgatum jam sufficienter Evangelium Christi non solum Judaei non amplius ita tenaciter adhaererent legalibus sed etiam mores gentilium ad christianam mansuetudinem propius semper accederent, cessante hoc modo fine legis, expiravit etiam jam ubique sua sponte

Quod autem attinet ad jura primatus accessoria, & extrinseca sive illa quæ unitatem Ecclesiæ essentialiter minime afficiunt, & sine quorum exercitio immediato primatus Romani Pontificis in universam Ecclesiam plenarie consistere intelligitur, illa iterum sunt in duplici classe: nimirum aliqua ex illis fuerunt Romano Pontifici per Canones Ecclesiæ jam firmiter adjudicata, ita ut ab illo divelli ulterius non possint sine violentia, & manifesta Canonum læsione; sicuti sunt v. g. Confirmatio Episcoporum, Erectio, Unio, Dismembratio Episcopatuum, Receptio appellationum quorumlibet etiam in causis minoribus, Beatificatio & Canonizatio Sanctorum, approbatio Religiosorum ordinum, & alia his similia, de quibus magis accurate & diffusius pertractare pertinet ad Canonistas: alia vero sunt quæ in scholis in disputationem adducuntur etiam nostris temporibus: sicu-

praeceptum ipsum ita ut ad finem saeculi XI nullibi amplius ullum illius extatet vestigium; hujus generis est etiam aliud de bigamis idest de illis, qui vel duas uxores successive duxerunt, vel unam quidem sed non Virginem & ab alio viro jam compressam, de quibus prohibet Paulus ne ordinentur Episcopi in 1. ad Timoth. cap. 3. v. 2. dicens *Oportet ergo Episcopum irreprehensibilem esse unius uxoris virum*; de quo saepe jam olim dispensatum fuisse constat ex Theodoreto in Epist. ad Domnum & ex Glossa ad Cap. *Lector* dist. 35. ubi refertur quod Lucius III. Papa dispensaverit, ut Bigamus quidam ad Episcopatum Panormitanum in Sicilia promoveretur, non obstante irregularitate quam incurrunt utrique modo memorati bigami ex vi Canonum Ecclesiae atque ita ad suscipiendos sacros ordines inhabiles redduntur. sed de his videri meretur Thomassinus de *veteri & nova disciplina Ecclesiae* part II. lib. I. cap. 83. ubi num. 2. Almahinum revincit, qui falso contendebat praeceptum Pauli esse divinum, nec propterea potuisse Lucium Pontificum desuper dispensare nisi per improvidam dissipationem.

ti est v. g. infallibilitas seu inerrantia ejus, dum ex cathedra loquitur; item Superioritas respectu Conciliorum generalium, & immediata illius in omnes diœceses jurisdictio, atque potestas tam directa quam indirecta in dominia temporalia principum, & si quæ sunt alia hujus generis (6).

Ex his autem consequitur generatim quod Romanus Pontifex ratione sui primatus, quem habet in universam Ecclesiam, sit visibile Ecclesiæ caput, & Vi-

(6) dum jura Primatus in Romano Pontifice statuimus in duplici classe collocanda esse ita ut alia dicantur essentialia & intrinseca, alia vero acces sotia & extrinseca, in eo sequimur, ut saepe etiam alibi factum est in hac nostra Exercitatione, receptum jam fere communiter in scholis morem: de caetero enim proprie loquendo omnia jura non exeeptis illis, de quibus postremo hic loqnimur sunt & dici debent romano Pontifici intrinteca: siquidem ratione sui Primatus habet plenitudinem omnis potestatis intrinsece sibi inhaerentem, ita ut nulla plane potestas vel docendi vel regendi vel gubernandi Ecclesiam, sive denique pertineat ad integre servandam & constituendam unitatem Ecclesiae sive etiam ad hunc finem non essentialiter sed accidentaliter tantum concurrat, ab extrinseco illi adveniat, ita ut proprie accessoria tantum & extrinseca jure ac merito denominari valeat: ac proinde dum hic loquimur de juribus quae romano Pontifici per canones Ecclesiae jam firmiter adudicata fuerunt, & de illis quae usque hodie in scholis in disputationem trahuntur, haec ita demum intelligi debent, quod quaedam jura Primatus romanus Pontifex semper per se & Immediate exercuit, & haec sunt illa quae essentialia & intrinseca vocantur in scholis, sive ut alijs placet *primigenia*: quaedam vero alia quae non semper per seipsum immediate, sed per alios administravit, & quibus non nulla successu temporis ab ipso iterum immediate administranda esse per Canones Ecclesiae statutum fuit: de alijs vero utrum eidem revera competant disputant theologi in utramque partem: nihilominus si ei etiam convariuut, conveniunt illi ab intrinzeco.

carius Christi in terris, qui proinde Vices illius gerit & auctoritatem habet non solum super Ecclesiam dispersam, sed etiam simul & collective acceptam: & in particulari consequitur, quod sit summus doctrinæ fidei & morum Judex, primus sacræ Scripturæ & traditionum depositarius, & primus Spiritus Ecclesiæ Interpres, a cujus supremo judicio appellare nemini liceat, & qui jura omnia Ecclesiasticæ potestatis in se tanquam in centro unitatis Ecclesiæ ipse contineat; qui proinde etiam privilegio inerrantiæ præditus esse debeat, *primo* quidem in assignando vero sacræ Scripturæ sensu: *secundo* in firmanda veræ ac sinceræ fidei professione, sive quod idem est, in condendo symbolo fidei: *tertio* in dirimendis, quoque & dijudicandis fidei ac morum controversijs, non solum illis, quæ juris dicuntur, sed etiam illis, quæ de factis dogmaticis subinde in Ecclesia Christi excitari solent: ac demum etiam in ferendo judicio de doctrina tam scripto, quam viva voce pronuntiata, & consequenter in afficiendis congrua censura libris, & propositionibus, quæ in illis continentur, in decernenda Apotheosi viris Sanctitate conspicuis, & in approbandis quibuslibet ordinum religiosorum regulis & institutis.

Porro autem dignitas ista primatus, & consequenter etiam privilegia omnia eidem inhærentia conveniunt Romano Pontifici in omni casu, & in omni eventu, præterquam in sequentibus; nempe *primo*, si ut privata persona in hæresim incideret, eandemque pertinaciter foveret: nam tunc esset hæreticus: & generatim hæreticus non est amplius in Ecclesia, ac consequenter talis Pontifex desinit ex se esse Caput Ecclesiæ, & jure etiam tunc ab Ecclesia judicari atque deponi potest: *secundo* si esset Pontifex dubius, ut contingit tempore schismatum. *Tertio* si es-

set invalide electus, quod multimode contingere potest nempe *primo* si facta esset electio contra formam Canonicam ab Ecclesia receptam, & *secundo* si defectus aliquis in jure divino aut naturali in electione immisceatur v. g. si electus sit infans, si imbecillis & mentecaptus, si hæreticus, aut etiam si ipse electioni non consentiat, vel tandem si electio non fuisset libera, sed per metum injustum extorta, & ad personam determinatam alligata: in his casibus, quia Pontifex vel cessat de se esse Pontifex, vel etiam est invalide electus, & propterea non gaudet privilegijs quæ ex Christi institutione primatui inhærent: sed pergamus jam ad alia.

SECTIO VI.

DE SANCTIS ECCLESIAE PATRIBUS

CAPUT I.

De Notione Sanctorum Ecclesiæ Patrum & de illorum scriptis in genere.

Nomine Sanctorum Ecclesiæ Patrum intelliguntur communiter viri illi singulares, qui doctrina sacra simul cum sanctitate vitæ post Apostolos in Ecclesia Christi floruerunt, & qui nos scriptis suis Christo Domino ejusque Sponsæ Ecclesiæ spiritualiter quodammodo iterum genuerunt in eo, quod ijs mediantibus in puriori fidei ac morum doctrina ab Apostolis & primis Discipulis Christi accepta edocti, ac veluti enutriti fuimus.

Ut autem quis nomine Sancti Ecclesiæ Patris in Ecclesia catholica merito & jure donari valeat, quatuor prærogativis instructus esse debet: nempe *primo* necesse est ut illi competat conveniens quædam antiquitas: *secundo* ut sanctitate vitæ & morum probitate insigniter commendatus existat: *tertio* ut doctrinæ, non cujuslibet, sed sacræ eminentia præditus fuerit: ac tandem *quarto*, ut dignitate aliqua Ecclesiastica & regulariter loquendo secundum magis probatam scriptorum opinionem Episcopali charactere ornatus extiterit.

Requiritur primo *conveniens antiquitas* quia Patres Ecclesiæ sunt etiam testes illius doctrinæ, quam Apostoli a Christo acceperunt & Ecclesiæ primum custodiendam tradiderunt: & licet absolute loquendo

præcisa antiquitatis determinatio ad obtinendum legitime titulum & nomen Sancti Ecclesiæ Patris sit aliquo modo arbitraria, interim tamen ex jam recepta consuetudine ea extenditur in Ecclesia latina usque ad sæculum XIII. sub cujus initium florere cæperunt in Ecclesia scholastici doctores, ita ut agmen Sanctorum Ecclesiæ Patrum claudere intelligatur Sanctus Bernardus Abbas Claravallensis insignis Ordinis Cisterciensis fundator, qui post ædificata monasteria sui Instituti CLX. migravit in Cælum anno salutis 1153.

Requiritur secundo *Vitæ Sanctitas*: nam Sancti Ecclesiæ Patres proponuntur nobis ab Ecclesia non solum ut testes credendoruu, sed etiam ut normæ & exempla agendorum: & quia doctrina morum maximum acquirit pondus ex praxi, & illibata vitæ conversatione, intelligitur nomine Sancti Ecclesiæ Patris in Ecclesia Christi indignum esse omnem illum, cujus vita a sanctissimis morum regulis aliquo modo discrepare dignoscitur.

Tertio requiritur *doctrinæ sacræ eminentia*, & quidem quod hic addendum est, vel tacito vel expresso judicio Ecclesiæ roborata; primum quia Patres sunt testes, non cujuslibet doctrinæ, sed doctrinæ fidei ab Apostolis acceptæ: porro autem character idonei testis est duplex nempe scientia, ne forte fallatur, & probitas vitæ, ne fallat: ac proinde, ut quis nomine Sancti Patris Ecclesiæ jure potiatur debet in utraque eminere, nempe in doctrina sacra, & in probitate vitæ: alterum vero, quod hic additum fuit, quia nonnisi ex declaratione & approbatione Ecclesiæ tanquam magistræ veritatis, sive expressa sive tacita certo consequitur, ut illorum magisterio tuto nos confidere possimus, quorum doctrinam, sive

theoreticam, sive practicam nobis ipsa proposuerit amplectendam, suoque calculo probaverit.

Quarto tandem requiritur *dignitas aliqua Ecclesiastica, & regulariter loquendo character Episcopalis* nisi enim tali aliqua dignitate effulgeat, jam non recte vocabitur *Pater Ecclesiæ* vel *vir Ecclesiasticus*: & regulariter officium quo populus fidelis in doctrina fidei & morum præceptis enutritur, & nutriendus est, spectat primario, & præcipue ad Episcopos tanquam ad Patres communes fidelium.

Quamobrem omnis quicunque doctrinæ fama clarus cui vel una vel altera ex recensitis prærogativis deest, etiamsi cæteræ adsint, non appellabitur recte & proprie Sanctus Ecclesiæ Pater, sed ad summum Scriptor Ecclesiasticus, dummodo cæteroquin de doctrina fidei, & morum regulis, vel saltem de disciplina Ecclesiæ, de ritibus, vel de alijs rebus ad religionem spectantibus utiliter scripserit: sic uterque Eusebius Cæsariensis nempe, & Nicomediensis, Tertullianus, Papias Hieropolitanus, Origenes, Lactantius, Cassianus, Vincentius Lirinensis, & alij plures veteres scriptores, licet doctrinæ laude plurimum commendati habeantur, & quidam ex illis etiam primis Ecclesiæ sæculis floruerint, quia tamen vel vitæ Sanctitate, vel integritate fidei non præstant, non nummerantur, nisi tantum inter scriptores Ecclesiasticos.

Rursus inter Sanctos Ecclesiæ Patres sunt aliqui, qui etiam Doctores Ecclesiæ nominantur, eo quia inter cæteros doctrinæ sacræ & Ecclesiasticæ eruditionis fama super reliquos valde eminent: atque ut hoc nomine quis jure in Ecclesia vocetur, præter requisita superius, exigitur etiam & quidem præcipue expressa declaratio, & approbatio Ecclesiæ, ex qua constet illum non solum inter Patres, sed etiam inter Doctores suos ab Ecclesia reputari.

Porro autem Doctores, & simul etiam Sancti Patres Ecclesiæ in Ecclesia græca sunt Sanctus Athanasius, Sanctus Joannes Chrysostomus, Sanctus Basilius Magnus, & uterque Gregorius Nazianzenus scilicet, & Nyssenus: atque in Ecclesia latina Sanctus Ambrosius, Sanctus Augustinus, Sanctus Gregorius Magnus, & Sanctus Hieronymus, qui tamen regulariter est tantum Sanctus Ecclesiæ Doctor, non vero etiam Pater ob defectum characteris Episcopalis: quod idem dicendum est de Sancto Thoma Aquinate, qui quintum inter Ecclesiæ latinæ Doctores locum tenet.

Sancti Ecclesiæ Patres distribuuntur communiter in tres classes, quarum prima complectitur tria prima sæcula Ecclesiæ, quæ Concilium Nicænum primum generale antevertunt, & Patres, qui illo tempore floruerunt vocantur propterea etiam Antinicæni, & sæpe quoque Apostolici, eo quia alijs viciniores sunt ad tempora, in quibus Apostoli vixerunt: inter illos præcipui sunt Sanctus Clemens romanus, cui diversa attribuuntur scripta, inter quæ etiam Canones, qui sub nomine canonum Apostolicorum vulgo innotescunt: sunt autem numero LXXXV. tametsi, ut tradunt scriptores, Dyonisius exiguus, qui eosdem circa initium sexti sæculi ex græco in latinum vertit, non habeat, nisi tantum L. deinde est Sanctus Ignatius martyr, qui scripsit septem Episolas pietatis & doctrinæ plenissimas, nempe ad Smyrnenses, ad Sanctum Polycarpum, ad Ephesios ad Magnesianos, ad Philippenses, ad Trallenses & ad Romanos (1) item

(1) Sanctus iste Martyr Ignatius appellatus etiam fuit *Theophorus* idest *deifer*, quia ut aliqui putant, cum adhuc puerulus esset a Christo domino in ulnas suas sublatus fuit, vel etiam ut alijs placet, quia ipse Christum fide & sanctimonia

S. Polycarpus qui simul cum Sancto Ignatio fuit Sancti Joannis Apostoli discipulus, & Smyrnensis Ecclesiæ Episcopus, cujus una extat Epistola ad Philippenses a Sancto Hieronymo summis laudibus celebrata: creditur autem a multis, quod ipse designatus fuerit sub Angelo Smyrnæ in Apocalypsi S. Joannis cap. 2. v. 8. ubi legitur *Angelo Smyrnæ scribe . . . scio tribulationem tuam, & paupertatem tuam, sed dives es, & blasphemaris ab his, qui se dicunt Judæos esse, & non sunt, sed sunt Synagoga Satanæ; nihil horum timeas, quæ passurus es*. (2) Præterea Sanctus Justinus Martyr ex Philosopho Platonico Christianus, natus in Samaria in Civitate *Sichem*, vel ut alij ajunt *Sichar* scripsit Orationem paræneticam ad græcos, & duas Apologias pro Christianis: primam ad Imperatorem Antoninum Pium; & alteram ad Senatum sub Marco Aurelio, & dialogum contra Triphonem Judæum: adscribitur illi etiam aliud opus de Monarchia, quod primo loco ponitur in editione Maurina (3). Ulterius S. Irenæus

vitae in pectore suo ingenti amore gestavit; rexit autem Antiochenam Ecclesiam post Sanctum Evodium, qui primus post B. Petrum in ea sedit, circiter ab anno 68: aerae vulgaris in quo Evodius obijt usque ad annum 107. in quo ut putat Ruinartius in actis sinceris Martyrum sub Trajano Romae leonibus objectus Martyr pro fide Christi occubuit.

(2) Sanctus Polycarpus postquam sexaginta jam annis Smyrnensem rexisset Ecclesiam venit Romam tempore Aniceti summi Pontificis, cum quo egit de celebratione Paschatis, quod ipse cum Asianis celebrare solitus erat luna 14, mensis martij, & cum Romae fortuito obviam habuisset Marcionem haeresiarcham, ab eoque interrogatus fuisset, utrum illum cognosceret? ipse respondit *cognosco primogenitum diaboli*: de eo traditum est, quod ipse primus S. Photinum & Sanctum Irenæum in Gallias miserit ad praedicandum ibi evangelium Christi, & Smyrnae pro fide Christi igne combustus fuit.

(3) De pri ori Apologia Sa-

qui simul cum Photino Sancti Polycarpi discipulus fuit, cujus Apostolicus zelus propagandæ religionis Christianæ maxime enitet ex insigni illius opere quod adversus hœreses conscripsit in quinque libros distributum, siquidem in eo confutat ex solidis principijs omnes hæreses, quæ in Ecclesia ad suam usque ætatem, idest usque ad initium sæculi tertij exortæ sunt, incipiendo scilicet a Simone Mago usque ad

ncti Justini Pattes Mautini in editione Operum illius ajunt *elucet in hoc opere eximia dicendi libertas sine temeritate, summa in Imperatores reverentia sine assentatione. Sic autem communem causam Sanctus Martyr defendit, ut qui veritatem apud antiquos libenter investigant, ij in hoc eximio monumento doctrinam et mores ac instituta veterum christianorum oculis suis objecta spectare et perspicere possint*: continet autem praeclarum istud opus, ut observant laudati Pattes, tres partes: in quarum prima, postquam Sanctus Martyr intrepide se quoque unum ex christianis esse declaravit, ostendit Christianorum innocentiam, et summa cum libertate postulat ab Imperatoribus ut aequitatem servent, neque christianos condemnare studeant propterea solum, quia christiani sunt: in altera autem probat a christianis doceri veritatem triplici præsertim argumento: ptimo quidem quia illis solis non licet, quod alijs omnibus permittitur, idest propriam religionem colere, secundo quia solus amor veritatis eos adducere potuit, ut Dei cultum morte postposita amplecterentur: & tertio quia si quis veritatem religionis christianæ erroribus corrumpat, hunc persecutio non attingit: ac tandem in parte tertia defendit christianos a calumnijs gentilium, qui illos accusabant; quod balneis uterentur illicitis, & carnibus humanis vescerentur: unde ostendit, quomodo christiani se se Deo consecrant in baptismo: quomodo consecratur apud eos Eucharistia, & quid sit, & palam exponit omnem seriem illorum, quæ in conventibus christianorum aguntur, non obstante, quod in illa ætate ordinarie illicitum putaretur propter disciplinam arcani, quæ tunc vigebat, coram Paganis de mysterijs nostræ religionis palam disserere.

Tatianum: scripsit autem opus hoc suum græce, ut notat noster Laurentius Berti in Breviar. histor. Sæculo II. cap. 4. non latine ut putavit Erasmus: huc pertinet etiam Dyonisius Areopagita a Paulo Apostolo ad fidem conversus (4) cui diversa adscribuntur opera, quæ græcolatina simul typis vulgata habentur in duobus Voluminibus Antverpiæ 1634. in quorum primo præter Præfationes S. Maximi & Gregorij Pachimeres continentur primo liber de *Hierarchia cælesti* divisus in 15. capita, & secundo de *Hierarchia Ecclesiastica* capitibus 7. & tertio liber de *Divinis Nominibus* in 13. capita distributus: in altero autem liber de *Mystica Theologia* cap. 5. & Epistolæ X. omittimus hic Clementem Alexandrinum, qui præter alia scripsit *Protrepticum ad Gentes*: item libros tres *Pædagogi* & octo *Stromatum* tam sacræ quam exoticæ eruditionis plenissimos: & Hermam, cujus opus innotescit sub nomine *Pastoris*: & complectitur *Visiones*, *statuta & similitudines*: huc pertinent complures alij illorum temporum scriptores, qui videri possunt in Bibliothecis Patrum de quibus mox infra.

Altera ætas Patrum complectitur tria sæcula, quæ Concilium Nicænum proxime subsecuta sunt, & in quibus reddita per Constantinum Magnum pace Ec-

(4) Convenit nunc fere inter omnes, quod Sanctus iste divi Pauli discipulus etiam a Paulo Episcopus Atheniensium creatus, & Athenis pariter in persecutione Domitiani Martyrio coronatus fuerit: & quod proinde Dyonisius ille, qui cum Rustico & Eleutherio Parisijs Evangelium Christi primus annunciavit, ibique cum prædictis socijs martyrio coronatus est, aliùs sit a prædicto Pauli discipulo: disputant autem acriter critici de libris Dyonisij nomine vulgatis: sed Areopagitae foetum esse ostendunt præter alios Sixtus Senensis lib. 2. Biblioth. sacræ & Natalis Alexander dissert. 22. sæc. I.

clesiæ fides Christi liberius & palam ab omnibus exposita fuit: & Patres præcipui, qui hac ætate Ecclesiam scriptis suis illustrarunt omisso Sancto Cypriano Episcopo Carthaginensi & Martyre celeberrimo, item Dyonisio Alexandrino, nec non scriptoribus Ecclesiasticis præstantissimis Tertulliano & Origene, qui omnes sæculo tertio Ecclesiæ floruerunt, ex sæculo quarto occurrit primus Sanctus Athanasius Arianorum acerrimus insectator, qui Concilio Nicæno anno 325. interfuit, cujus opera præsertim adversus Arianos collegit Montfauconius in tribus voluminibus in folio anno 1698. deinde Cyrillus Jerosolemitanus & Hillarius Pictaviensis, e quibus ille scripsit Catecheses tam ad *Competentes* quam *Mystagogicas*: iste autem præter diversos tractatus in Psalmos, libros XII. de Trinitate: item S. Basilius Magnus, qui scriptis suis hæreticos, præsertim Eunomianos perstrinxit, & Monachos regulis atque Sanctionibus ad Evangelicam perfectionem instituit, & universim etiam sacras litteras egregie interpretatus est: huc pertinent duo Gregorij Nyssenus nempe, & Nazianzenus, ille Basilij Magni frater, & iste eidem stricta amicitia conjunctus: ille refutavit scriptis suis Apollinarem. Eunomium, & Manichæos; iste autem & metro & soluta oratione plurimum valuit: ac tandem Sanctus Ambrosius & Sanctus Joannes Chrysostomus, quorum primus libros de Patribus veteris testamenti, de Sacramentis, & mysterijs testamenti novi, de ministrorum officijs erudite scripsit; item commentaria in Lucam, & plures varij argumenti Epistolas & Orationes elegantissimas composuit: alter autem propter auream eloquentiam Chrysostomus nuncupatus, scripsit homilias ad populum Antiochenum præsertim, & Orationes de Sanctorum laudibus: item libros de Sacerdotio, contra gentiles,

contra vituperatores vitæ monasticæ, atque in Evangelium Mathæi, in Epistolas Pauli, & in vetus testamentum commentarios amplissimos: Ex quinto sæculo offerunt se imprimis Sanctns Heronymus, & Sanctus Augustinus: ille Stridone in Dalmatia natus, in latinis, græcis, & hebraicis litteris, cunctisque disciplinis doctissimus, exornavit novam sacræ Scripturæ versionem, plures edidit commentarios exquisitissimos, & acriter quoque Helvidium, Jovinianum & Vigilantium hæreticos confutavit: Sanctus autem Parens noster Augustinus natus Tagaste in Affrica anno 355. & denatus Hyppone anno 430. qui superiores disciplinas *nullo tradente* didicit: ut ipse testatur, lib. 4. Confes. cap. 16. confutavit imprimis libris complurimis hæreticos omnes sui temporis Donatistas, Manichæos, & præsertim Pelagianos, contra quos nomine Ecclesiæ singulariter decertavit pro divina gratia, ita ut in scholis fere omnibus jure gratiæ & charitatis Magister communiter appellari meruerit: oppugnavit quoque egregie Paganos in aureo opere de *Civitate Dei*: Conciones etiam & Epistolas eruditissimas complurimas vulgavit, quibus argumenta suppeditat ad omnium hæreticorum conatus secure reprimendos, ita ut *malleus perpetuus hæreticorum, & fulgidissimum Ecclesiæ lumen* merito habeatur. His accedunt Sanctus Cyrillus Alexandrinus & Sanctus Leo I. Romanus Pontifex, quos Deus ad defensionem veræ fidei eodem sæculo singulari providentia suscitavit, illum quidem adversus Nestorianos, hunc vero adversus Eutychianos, quorum errores, uterque strenue oppugnavit: demum ex sæculo sexto merito primo loco nominandus est Sanctus Gregorius Magnus, qui amplissima in Divinos libros commentaria edidit, & scripsit dialogorum libros XXXV. Moralium IV. & Epistolarum libros XII.

qui doctrinam, pietatem, & Ecclesiasticæ disciplinæ studium undique spirant: nec prætermittendus Sanctus Fulgentius Affer ex schola & Instituto Sancti Augustini Prædestinationis & gratiæ vindex acerrimus, & Divinæ Incarnationis propugnator clarissimus.

Tertia denique ætas Sanctorum Ecclesiæ Patrum incipit a sæculo Ecclesiæ septimo, & protenditur, ut dictum est supra, ad initium usque sæculi decimitertij: in ea sæculo septimo floruerunt præcipue S. Isidorus Hispalensis, qui scripsit libros Ethymologiarum, & de Ecclesiasticis officijs aliosque a Sancto Leone IV. Papa plurimum commendatos: & Sanctus Idelphonsus qui de perpetua Deiparæ Virginitate, partu, gestisque præcipuis, nec non de scriptoribus Ecclesiasticis, de rebus liturgicis, & Epigrammata varia pie, & docte conscripsit: & ex sæculo octavo magis clari scriptores sunt imprimis Ven. Beda, qui non minus Sanctimonia & pietate, quam omnigena eruditione excelluit; scripsit enim de ratione temporum, de mundi ætatibus; item Homilias & sacros tractatus complures, præter opera astronomica de Cyclis, de Astrolabio, de Planetis, de Sphæra, & alia quæ ad chronologiam, geographiam, & Mathesim pertinent: deinde Paulus Diaconus Aquilejensis, cui præter historiam longobardorum & quatuor libros de Vita S: Gregorij Magni adscribuntur libri XXIV. *historiæ miscellæ*: Scriptor iste lusit etiam Versibus in laudem Sanctæ Scholasticæ, & tribuitur illi etiam sonorus hymnus Sancti Joannis Baptistæ. *Ut queant laxis resonare fibris &c.* Ex sæculo nono occurrit Sanctus Prudentius Trecarum in Gallia Episcopus, & Sanctus Remigius, Episcopus Lugdunensis, qui ambo acerrime pro veritate divinæ Prædestinationis pugnarunt: Ex sæculo decimo, quod vulgo obscurum, & ferreum vocatur, occurrit Sanctus Oddo Abbas Clunia-

censis Sanctorum fastis adscriptus 18. Novembris anno 942., & scripsit sermones Asceticos, & libros XXXV, moralium in Job, præter succinctum chronicon. Sæculo autem Undecimo Sanctus Petrus Damiani cœlibatus Clericorum strenuissimus vindex: scripsit tractatus LII., & vitas Sancti Odilonis Abbatis Cluniacensis, ac S. Romualdi Institutoris Camaldulensium: eodem sæculo S. Bruno edidit præter alia opuscula etiam Commentaria in Psalmos David, & in omnes Epistolas Pauli: item Sanctus Anselmus Archiepiscopus Cantuariensis scripsit tractatus Theologicos, & Asceticos complures, in quibus præsertim Processionem Spiritus Sancti a Patre, & Filio adversus Græcos strenue defendit: tandem sæculo duodecimo occurrit, & agmen Sanctorum Patrum Ecclesiæ claudit, ut dictum est supra Sanctus Bernardus, qui a fluiditate styli, & mira vocabulorum, quibus in scribendo utitur, dulcedine *Doctor mellifluus* nuncupatur: is Petrum Abaelardum, Gilbertum Purretanum, & Petrobusianos strenue impugnavit, & varios conscripsit sermones sacros, Epistolas, & tractatum quoque moralium institutionum in quibus universam ferme religionis Christianæ eruditionem complectitur.

Scripta sive opera Sanctorum Ecclesiæ Patrum, vel habentur separatim sub proprijs illorum nominibus in lucem emissa, sicuti sunt opera illa diversorum Patrum, quos modo memoravimus; vel etiam simul cum delectu in unum aliquod corpus congesta: & hæc postrema sunt illa, quæ nobis innotescunt sub nomine Bibliocthecarum Sanctorum Ecclesiæ Patrum, a quibus discerni debent *Catenæ Patrum*: nam propriæ loquendo *Bibliotheca Patrum*, est studiosa collectio diversarum lucubrationum, quas diversi Patres, & scriptores Ecclesiastici diversi nobis reliquerunt: *Catena* autem est Collectio interpretationum, & sententia-

rum in Scripturam sacram, quas Patres sive data opera, sive occasione aliqua sibi oblata suis lucubrationibus inseruerunt.

Inter Bibliothecas Patrum celebriores habentur; *Primo*. Joannis Heroldi Orthodoxographia Theologiæ sacrosanctae, ac sincerioris fidei Doctorum numero LXXVI., ex officina Henrici Petri Basileæ 1555. *Secundo* Magarini de la Bignè Bibliotheca Sanctorum Patrum supra ducentos &c. distincta in Tom. VIII., & illustrata doctissimorum virorum scholijs observationibus &c. apud Michaelem Sonnium Parisijs 1575. aucta Appendice; item Parisijs 1579., & rursus aucta, & in XXVII. Tamos distributa cum titulo *Bibliotheca maxima Patrum Lugdunensis* apud Joannem Anisson Lugduni 1677. ad quam pertinet opus perutile Nicolai de Noury Apparatus ad Bibliothecam maximam Patrum Lugdunensem Volumina II. apud Joannem Anisson Parisijs 1703. *Tertio* Henrici Canisij Antiquæ lectiones ad sæculorum ordinem digestæ, varijsque opusculis auctæ cum præfationibus historicis, & notis Criticis Jacobi Basnagij Tom. IV. vol. VI. Antuerpiæ 1725. *Quarto*; Francisci Combefisij Bibliothecæ Patrum Græco Latinorum auctarium novum Tom. III. Parisijs 1648., e quibus Tomus tertius continet primam, & secuudam partem auctarij novissimi ejusdem auctoris Typis Caroli Fosset Parisijs 1672. *Quinto*; Edmundi Martene, & Durandi Ursini Veterum Scriptorum, & monumentorum historicorum dogmaticorum moralium amplissima collectio Tom. IX. Parisijs 1724. *Sexto*; Patres Apostolici collecti a Cotelerio cnm notis variorum præcipue Joannis Clerici Editio altera Amstelodami 1724. ac tandem. *Septimo*; Bibliotheca veterum Patrum antiquorumque Scriptorum Ecclesiasticorum postrema Lugdunensi locupletior cura Andreæ Gallandi in qua continentur scriptores CCCLXXX. in editione Vene-

ta 1765. in Tomos XIV. distributa, & in qua ad Bibliothecam maximam Lugdunensem additi inveniuntur scriptores CLXXX., huc accedunt Joannis Baptistæ Cotelerij Ecclesiæ Græcæ monumenta e Manuscriptis producta in lucem Tomi III., & Philippi Labbè nova bibliotheca librorum Manuscriptorum Tomi II.

Ex Catenis Sanctorum Patrum magis notæ, & præcipuæ sunt. *Primo*. Catena aurea Sancti Thomæ Aquinatis in Evangelia: collectore Sebastiano Bravo Compluti 1595. *Secundo*; Bibliotheca Sanctorum Patrum primitivæ Ecclesiæ, sive opera auctorum veterum in Scripturam sacram. Lugduni anno 1680. *Tertio*; Aloysij Lippomani Catena in genesim, ex auctoribus Ecclesiasticis plus minus LX. ijsque partim Græcis partim latinis connexa. Parisijs 1546. item ejusdem in Exodum ibidem 1550., & in Psalmos Romæ 1585. *Quarto*; Catena Græcorum Patrum in Job Collectore Niceta Heracleæ Metropolitæ Londini 1637. *Quinto*; Cordesij Expositio Græcorum Patrum in Psalmos Tomi III. Antuerpiæ 1643. item Catena Patrum LXV. in Lucam Antuerpiæ 1628., & in Joannem ibi 1630., & Petri Possini Catena PP. Græcorum in Marcum Rom. 1673.

CAPUT II.

De Auctoritate Sanctorum Patrum.

Sanctos Ecclesiæ Patres esse testes, & depositarios tam doctrinæ fidei, & morum, quam divinarum traditionum universim, dictum est in superioribus: sunt etiam post Apostolos immediati Magistri fidelium, & sal terræ, quo fideles in Christo regenerati præservantur a putore hæreticæ pravitatis; & præterea etiam lux mundi Catholici, ad quam tam summi Pontifices in eorum ex Cathedra definitionibus, quam Concilia in suis de fide, & moribus decretis semper respiciunt, & respexerunt: ac proinde jure optimo magna semper fuit, & esse etiam nunc debet Sanctorum Patrum in Ecclesia Christi auctoritas.

Nullus tamen illorum in particulari est per seipsum infallibilis: nam prærogativa ista est solis Scriptoribus Canonicis, seu divinitus inspiratis, & Theupneustis, atque post illos Romano Pontifici propria, quando ex Cathedra loquitur: ut superiori sectione cap. 2. ostendimus: imo Patres singuli omnes non sunt æqualis auctoritatis, sed in una, vel altera materia unus continuo prævalet alteri, & ratio est, quia Deus non omnes æque, sed nonnullos tantum pro temporum, & circumstantiarum opportunitate misit atque elegit, ut præ cæteris fidem adversus hæreticos propugnarent: sic Sanctus Athanasius adversus Arianos, S. P. Augustinus adversus Donatistas, Manichæos, & Pelagianos: S. Cyrillus Alexandrinus adversus Nestorianos, & S. Leo Magnus adversus Eutychianos, atque ita alij adversus alios Christianæ fidei temeratores perspicacius ac diligentius Ecclesiæ doctrinam tutati sunt, atque defenderunt: ac propterea etiam Patres isti in prædictis controversijs, si

quandoque hæreses illas repullulare contingeret; majorem præ alijs exigunt atque merentur auctoritatem.

Præterea notum est, quod Sancti Ecclesiæ Patres ut plurimum neglexerunt studium scientiarum naturalium, ut se totos divinæ sapientiæ perscrutandæ consecrarent: & quamvis revera sæpe complures ex illis etiam in scientijs istis non essent plane rudes, & hospites, ut patet præprimis in Sancto Protoparente nostro Augustino, quem etiam profana eruditione plurimum valuisse singula fere ejus opera palam testantur, nihilominus constat etiam, quod idem Sanctus Doctor post suam conversionem non amplius, vel Poetarum fabulis, vel Philosophorum, & Mathematicorum arcanis perscrutandis delectatus est, sed econtra potius imitando communem aliorum Patrum morem deinceps in versandis libris sacris mentem, & animum totum occupavit, ut inde ea, quæ Dei sunt, & quorum cognitio veram sapientiam parit, perfectius edisceret: quamobrem dum hic sermo est de auctoritate Sanctorum Patrum generatim imprimis notari debet, quod si quandoque apud illos sermo incidat de rebus naturalibus, non tam attendenda sit illorum auctoritas, vel nominis celebritas, quam habent in Ecclesia Dei, sed potius gravitas, & pondus rationum, quibus innituntur in veritate aliqua hujus generis deducenda: ut igitur innotescat saltem in genere, & per summa capita, quando, quibus in rebus, & quomodo in quavis materia auctoritati Sanctorum Ecclesiæ Patrum insistendum sit, opportunum visum est, hic sequentes præscribere Canones.

Canon I. Sanctorum Patrum auctoritas in genere attendi debet: *primo*; in exponendis, & interpretandis Scripturis sanctis: *secundo*; in traditione Mysteriorum, idest in explicatione rerum ad Fidem spe-

ctantium, & *tertio*, in tradendis, & statuendis morum, seu vitæ agendæ regulis.

Canon II. Auctoritas Sanctorum Patrum in particulari est semper proportionata antiquitati, doctrinæ & integritati vitæ illorum, ideoque regulariter loquendo in quocunque casu ex tribus modo indicatis antiquiores præferri debent sequioribus, & doctiores minus doctis, atque ubi ex duobus æque doctis unus sequendus est, tunc is, qui vita probus, & fide semper integer extitit præponi debet alteri, qui in fide & sana doctrina non ita tenax fuit, aut non adeo vitæ probitate commendatur, quam alter: quod tamen intelligi debet de probitate vitæ, & fidei præstantia in exitu vitæ illorum de hoc sæculo, in quo Ecclesia verum ipsorum natalem celebrare consuevit: unde quamvis multa doctrina floruerint Tertullianus & Origenes, quia tamen in multis a recta fide desciverunt, nec constat eosdem ab erroribus suis resipuisse ante exitum vitæ hujus, hinc est, quod sine omni injuria imo vero jure æquissimo in materia fidei & morum ijsdem præferantur, & præferri debeant non solum æque, sed etiam minus docti.

Canon III. Unius vel alterius Sancti Patris sententia circa dogma aliquod alijs tacentibus non subministrat per se firmum pro dogmate illo argumentum: non enim concipi potest, quod revelationis depositum ad totam Ecclesiam spectans, & traditio in qua depositum istud potissimum continetur, uni tantum vel alteri innotuerit; non autem etiam alijs: neque nobis in tali casu prohibetur *ut non liceat salva honorificentia, quæ illis debetur hominibus aliquid in eorum scriptis improbare, atque respuere, si forte invenerimus, quod aliter senserint, quam veritas habet divino adjutorio ab alijs intellecta vel a*

nobis, ut præclare observat S. P. Augustinus in Epist. III. ad Fortunatianum.

Canon IV. Aliquando tamen silentium antiquiorum Patrum non officit traditioni ab alijs vel æque antiquis vel etiam posterioribus commemoratæ: nam primo non singuli Sancti Patres exposuerunt in suis lucubrationibus vel totam sacram Scripturam, vel totam fidei morumque regulam: nec materiæ de quibus pertractant subministrarunt illis semper occasionem pertractandi de omni traditione: deinde neminem, qui in rebus theologicis aliquatenus versatus est, latet vel latere potest, quod Patres præsertim Antinicæni studiose sæpe, & ex industria supersederint in publicis illorum lucubrationibus loqui de fidei nostræ mysterijs, præcipue de Trinitate, de Incarnatione, & de Sacramentis: propter disciplinam arcani, quæ tunc vigebat, ne eadem a paganis contaminarentur, atque ne illa illorum derisioni exponerent propter expressum Domini præceptum Math. cap. 7. v. 6. ubi Christus inquit ad discipulos suos *nolite Sanctum dare canibus*, *neque mittatis margaritas vestras ante porcos*: ac proinde silentium istorum Patrum relative ad illa mysteria nostræ religionis non imminuit ex ulla parte posteriorum Patrum & Ecclesiasticorum scriptorum auctoritatem.

Canon V. Plurium Sanctorum Patrum in unum aliquod dogma consensus, cui pauciores adversantur subministrat viro theologo probabile tantum, non autem omnino certum pro dogmate illo argumentum, nam in tali casu, cæteris stantibus, veritas facti de revelatione hujusmodi dogmatis innititur revera proxime, & fulcitur immediate testibus idoneis, ita tamen, ut illis ex adverso testes æque idonei licet pauciores obsistant, & adversentur; ac propterea, dogma hujusmodi habet quidem annexum mo-

tivum validum, quod eidem aliquam non tamen omnem certitudinem conciliare valeat.

Dictum est autem cæteris stantibus, nam si dissentientibus assisteret antiquitas, vel etiam insignior doctrina, & major vitæ sanctitas, vel etiam consensus explicitus præcipuarum Ecclesiarum, quas Apostoli ipsi immediate fundaverunt, tunc auctoritas quoque paucorum præferri deberet auctoritati plurium, quia tunc insignior doctrina & major vitæ sanctitas, qua præditi supponuntur pauciores isti, atque facilior conservandæ traditionis apostolicæ ratio, quæ semper permanet penes Patres antiquiores & penes Ecclesias ab Apostolis Ipsis fundatas, enervaret plurimum majorem numerum testium; juxta tritum juris axioma, *testes ponderari debent, non numerari*.

Canon. VI. Unanimis Sanctorum Patrum in dogma aliquod consensus est certissimum veritatis testimonium, & præbet viro Theologo infallibile pro fide, & moribus argumentum. Etenim cum Patres sint testes traditionis, & doctrinæ in Ecclesia suis temporibus prædicatæ, & confessione fidelium palam confirmatæ, licet fieri possit, ut quandoque aliquis ex illis articulum aliquem doctrinæ Fdei minime cognoverit, sunt enim etiam ipsi homines *quibus aliquid aliter sapere quam res se habet humana tentatio est*, ut inquit S. P. Augustinus lib. 2. contra Donat. cap. 5. nihilominus impossibile est, ut omnes uno ore tanquam Fidei dogma, & doctrinam Ecclesiæ deprædicent, & commendent aliquid, quod ad fidem, & doctrinam Ecclesiæ revera non pertineat (1), unde me-

(1) Nihil magis compertum est, & majori consensu apud catholicos roboratum: quam quod non solum privati fideles sed etiam Ecclesia ipsa docens judicia sua atque definitiones in materia fidei & morum ad unanimem Sanctorum Patrum con-

rito Vincentius Lirinensis in Commonit. cap. 4. ad certo cognoscendum,utrum aliquid ad fidem Ecclesiæ pertineat, vel non? hanc statuit regulam, nimirum: *quidquid non unus aut duo tantum, sed omnes pariter uno eodemque consensu aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum*.

Canon. VII. In discordia Sanctorum Patrum in materia Fidei, & morum regulariter loquendo illi præ alijs sequendi sunt, qui Ecclesiarum quas Apostoli instituerunt, immediati, vel proximi fuerunt Episcopi, qui data opera, & ex professo, ut ajunt materiam illam dogmaticam pertractarunt, & præsertim illi, quorum scripta expresso Ecclesiæ judicio recognita, & approbata fuerunt: nam primo Ecclesiæ illæ, quas Apostoli ipsi instituerunt fuerunt etiam immediate ab Apostolis ipsis in fide instructæ, & ob hanc causam acceperunt fidei depositum non a rivulis, sicut aliæ, sed a fontibus ipsis; ex quo fit, ut apud eas etiam fidei doctrina magis pura, & defæcatior permansisse jure

sensum omni tempore exigere debeat nam *divinitus placuit* ut inquit Vincentius Lirinensis in common. cap. 43. in Concilio Ephesino *nihil aliud posteris ad credendum decernere, nisi quod sacrata sibique in Christo consentiens Sanctorum Patrum tenuisset antiquitas* & post pauca concludens subdit *necesse est igitur omnibus catholicis, qui sese Ecclesiæ matris legitimos filios probare student: ut Sanctæ Sanctorum Patrum fidei inhæreant, adglutinentur immoriantur, profanas profanorum novitates detestentur, horreant, persequantur* ut autem ex unanimi consensu Patrum dogma aliquod ad nos derivare ostendatur, non est necesse ut Patres omnes dogma illud ex iisdem fontibus elicuerint, idest ut singularia sacræ scripturæ testimonia eodem modo intellexerint,sed tantum quod omnes in dogma ipsum consentiant sicuti notatum fuit sect.V. cap. 1. Nota 2.

existimari debeat: deinde pro illis, qui pro dogmate aliquo catholico data opera, & ex professo contra hæreticos scripserunt, viget, & stat justa præsumptio, quod Scripturam sacram, & traditionem diligentius examinaverint, & perscrutati fuerint, quam alij, qui de eodem argumento obiter tantum, & per incidentiam aliquam pertractarunt: ac tandem doctrina illorum Patrum, quorum scripta Ecclesia ipsa approbat, & judicio suo expresso sanam, & orthodoxam esse agnoscit atque deprædicat, fit hoc ipso doctrina Ecclesiæ Catholicæ, a qua discedere semper nefas est atque piaculum.

Canon. VIII. Auctoritas Sanctorum Ecclesiæ Patrum in rebus mere philosophicis, & scientijs naturalibus metiri debet atque expendi ad sola momenta rationum, quibus utuntur in sententia aliqua hujus generis propugnanda: nam generatim loquendo Sancti Ecclesiæ Patres sunt tantum testes, & depositarij veritatum, quæ diviuis traditionibus continentur: & nemo plane est qui ignorat, quod a Sanctis Ecclesiæ Patribus erudiendi tantummodo sint fideles in schola Christi circa illa, quæ ad Deum ejusque religionem pertinent, scilicet circa ea, quæ credenda, & agenda sunt in ordine ad consequendam vitam æternam, non vero circa Philosophorum placita, quæ Deus relinguere voluit disputationibus hominum, quoniam ut inquit S. P. Augustinus in actis contra Felicem Manichæum lib. I. cap. 10. *non misit Deus Spiritum Sanctum qui nos doceat de cursu solis, & lunæ, nam Christianos volebat facere non mathematicos.*

CAPUT III.

De usu & lectione Sanctorum Patrum.

Usus Sanctorum Ecclesiæ Patrum alius est dogmaticus, alius vero historicus: dogmaticus est, quando scriptis illorum utimur ad veritatem aliquam exinde confirmandam, & roborandam: historicus vero quando ijsdem scriptis utimur ad veritatem ipsam rite investigandam, & assequendum exinde verum, & legitimum librorum sensum: de usu dogmatico quantum satis est ad generalia Theologiæ principia statuenda pertractavimus superiori capite: nunc pauca subjungemus de usu historico sub eo respectu, quatenus inservit, ut legendis Sanctorum Patrum scriptis dirigamur ad mentem illorum circa veritatem aliquam debite assequendam: qua de re præscribemus hic breviter, & more nostro per summa capita, quæ in hunc finem deservire possunt.

Itaque primo in lectione Patrum imprimis attendi debet ad opus ipsum, quod præ manibus habetur, utrum scilicet sit authenticum, & genuinum illius, cujus nomine inscribitur, aut vero sit spurium, & supposititium? universim enim sicuti incerti, & obscuri auctoris, vel nulla plane est auctoritas, vel saltem non tanta, quanta foret auctoris certi, & clari nominis; ita etiam ex libro quodam, qui certo cuidam scriptori supponitur, genuinus sensus, & vera mens ejusdem scriptoris nulla ratione assequi, & percipi potest.

Jam vero suppositio librorum fieri potest, vel ex errore, vel ex industria: ex errore fit, dum bona fide liber aliquis tribuitur auctori alicui, a quo vere scriptus non est, vel refertur ad ætatem ad quam non pertinet: ex industria autem quando studiose, vel adscribitur alicui, a quo scriptus non fuit, vel refer-

tur ad ætatem ad quam non pertinet, & istud duplici modo fieri potest, nempe primo malitiose, ut sæpe fecerunt hæretici in primitiva Ecclesia, præsertim Gnostici, qui diversa Evangelia vulgarunt sub nomine Apostolorum, ut sub illorum umbra certam quandam auctoritatem conciliarent erroribus suis apud incautos: & secundo etiam quadam modestiæ causa, & studio declinandæ, vel invidiæ, vel vanæ gloriæ: ut fecit Salvianus, qui diversa sua scripta vulgavit sub ficto nomine Timothaei, & faciunt saepe alij scriptores, qui contempta celebritate proprij nominis lucubrationes suas sub ficto nomine in lucem emittunt.

Ad detegendum autem, utrum liber aliquis genuinus sit, vel suppositiius, diversi diversas assignant regulas, e quibus magis universales sunt, quae sequuntur; nempe primo si in libro adscripto alicui auctori, de cujus aetate, & tempore quo scripsit aliunde jam certo constat, inveniuntur facta, controversiae, haereses &c., data opera, vel impugnatae, vel simpliciter narratae, quae posteriorem aetatem evidenter exquirunt, tunc liber ille continuo habendus est tanquam spurius, & suppositiius, nisi forte aliunde etiam constet, quod sententiae aliquae, vel facta integra in librum illum aliena manu postea inserta fuerint: atque ex hac regula permu'ti abjudicant Symbolum: *Quicunque vult salvus esse* Sancto Athanasio Martyri sub cujus nomine in Ecclesia recitatur, ut dictum est in Prolegomenis, Nota 6. quia nimirum in illo expsesse, & directe impugnari videntur haereses Nestorij, & Eutychetis, quae aetate S. Athanasij posteriores sunt: *secundo*, si in libro aliquo offenduntur dogmata illis opposita, & contraria, quae in alijs libris genuinis, & authenticis ejusdem scriptoris clare, & explicite leguntur, nisi aliunde constet, quod auctor ipse sen-

tentiam mutaverit, sicut fecit S. P. Augustinus, qui cum esset juvenis, & adhuc Presbyter Semipelagianorum errores aliquando sectatus fuerat, postea autem senior factus, & Episcopus eosdem non solum correxit, sed summa cum animi demissione accusator sui ipsius factus etiam palam retractavit, & data opera impugnavit: & tunc quoque judicandum est librum illum non esse genuinum: *Tertio*, supposititius quoque censendus est liber in quo magna elucet styli diversitas in eodem genere scribendi, aut etiam stylus omnino extraneus ab illo, qui communiter obtinebat illo tempore, in quo auctor aliquis, cui liber adscribitur, vixisse certo innotuit.

Secundo in lectione Sanctorum Patrum attendi debet an opus illud, quod præ manibus habetur sit integrum saltem quantum ad substantiam? id est minime corruptum vel substantialiter interpolatum? nam si ita corruptum vel interpolatum esset tunc jam non exhiberet amplius veram & sinceram sui auctoris mentem ac voluntatem: porro autem corruptio ista substantialis, vel etiam interpolatio fieri potest triplici modo, nempe vel additione, vel omissione vel alteratione substantiali verborum.

Tertio ad indagandam ex lectione Sanctorum Patrum veram Ecclesiæ doctrinam, quæ quovis tempore obtinuit, legi & consuli semper debent lucubrationes illorum Patrum, qui non obiter, sed attente & ex professo materiam illam pertractant, quoniam isti, ut superiori capite in Canone VII. jam observatum fuit, in singulis fidei & morum controversijs majorem alijs postulant, & merentur auctoritatem: quamobrem quotiescunque sermo fuerit de aliqua fidei controversia recurrendum erit ad illos Patres præcipue, & ad illos Ecclesiasticos scriptores, qui jam olim dogma illud adversus hæreses data opera de-

fenderunt: in qua re insigne nobis præbuerunt exemplum Clemens VIII. & Paulus V. Summi Pontifices, dum ille propter excitatas acres contentiones in Ecclesia Christi occasione novæ tunc temporis doctrinæ Ludovici Molinæ circa concordiam liberi arbitrij cum gratia Christi congregationem singularem instituit, quæ de auxilijs vocabatur, & simul præscripsit, ut tota ista controversia tractaretur ad mentem S. Patris Augustini, qui pro Dei gratia nomine Ecclesiæ spatio fere viginti quatuor annorum contra Pelagianos illorumque reliquias dimicavit: & Paulus V. dum Congregationem istam labores suos prosequi debere statuit, voluit etiam ut controversiam ipsam ad tramites a Prædecessore suo statutas discuteret, donec tandem controversiæ finem imposuit indicto utrique parti silentio: reservato desuper sibi & Apostolicae sedi ulteriori & finali judicio; Vid. sect. 3. cap. 2. Nota 7.

Quarto si subinde in lectione Sanctorum Patrum occurrat aliquid, quod cum principijs fidei minime congruere videtur non illico damnari debent, quasi errorem docuerint, sed videndum prius quo tempore scripserint: nam diversa fidei dogmata non fuerunt nisi tardius explicite ab Ecclesia ad credendum proposita: proinde si aliquis ex Sanctis Patribus ante definitionem Ecclesiæ inveniatur quidpiam docuisse, quod definitionibus istis contrarium est suspendi debet judicium, nec damnandus est Sanctus Ecclesiæ Pater, vel quisquis alius insignis Ecclesiæ scriptor, nisi constet, quod cum pervicacia in errore suo etiam post definitionem Ecclesiæ permanserit: nam ut probe animadvertit S. Pater Augustinus in lib. 2. de bapt. contr. donat. cap. 5. *aliquid aliter sapere quam se res habet humana tentatio est: nimis autem amando sententiam suam, vel invidendo*

melioribus usque ad præscindendæ communionis, & condendi schismatis, vel hæresis sacrilegium pervenire, diabolica præsumptio est: in nullo autem aliter sapere quam res se habet, angelica perfectio est (1).

Quinto ad recte assequendum sensum genuinum Sanctorum Patrum, & Eccleriasticorum scriptorum attendi quoque debet cujus ætatis fuerit auctor dum librum aliquem vulgavit: nam ætas juvenilis sæpe probat, quod jam matura reprobat: sicuti patentissimum exemplum nobis præbet S. P. Augustinus, qui senior factus, ut supra jam dictum est, non solum Semipelagianorum errores, quos juvenis secutus fuerat, & in scriptis suis etiam docuerat, emendavit atque correxit, sed etiam singula sua scripta iterato ad examen revocavit, & in duobus libris retractationum multa ex illis delevit, quæ juvenis male subinde conscripsit.

Sexto ad assequendum genuinum sensum Sanctorum Patrum & insignium aliorum scriptorum Eccle-

(1) Hinc merito ab errore hæresis excusari debet imprimis S. Cyprianus, qui cum alijs permultis Africanis Episcopis in hæresi baptizatos iterum baptizandos esse docebat, dum ad catholicam redirent unitatem, eo quia controversia ista nonnisi diu post tempora S. Cypriani ab Ecclesia finaliter definita fuit & adcredendum fidelibus omnibus proposita: Similiter excusari quoque debent ab hæteri Millenariorum Sanctus Irenæus & S. Justinus Martyr, qui cum Papia Hieropolitano docuerunt post universalem corporum resurectionem futurum reguum Christi mille annorum a Sanctis ttansigendum in terris, antequam, error iste a Gelasio Papa primum & deinceps a Concilio IV. lateranensi proscriptus esset; licet quod hic notandum est, Patres isti etiam in eo ab hæresi millenatiorum proprie dicta valde discrepant, quia reguum illud futurum putabant non in delicijs carnalibus, ut putabant hæretici, ted in delicijs pure spiritualibus.

siæ consuli debent & expendi opera illorum in illa ipsa lingua in qua aliquis scripsit, non autem in lingua translatitia & aliena: nam quibuslibet linguis inest suus proprius idiotismus, & diversa vis vocabulorum: sic græci v. g. Patrem in divinis appellant causam filj, a quo loquendi modo abstinent latini, qui Patrem ajunt esse principium filij non causam: jam vero opera omnia Sanctorum Patrum, si excipiantur illa Ephrem Syri, qui Syriace scripsit, scripta primum fuerunt a suis auctoribus vel graeca vel latina lingua.

Septimo attendi diligenter debet qua occasione & quibus haeresibus emergentibus opus aliquod vulgatum fuerit: nec damnari illico debent Patres qui ante exortas haereses aut minus castigate, aut minus recte de aliquo dogmate scripserunt, vel qui occasione haeresum nova invexerunt vocabula antiquioribus scriptoribus incognita: *didicimus enim* ut merito affirmat S. P. Augustinus in lib. de dono persever. cap. 20. *singulas quasque hæreses intulisse Ecclesiæ proprias quæstiones, contra quas diligentius defenderetur Scriptura Divina, quam si nulla talis necessitas cogeret*: & universim ante exortas haereses Patres securius loquebantur: ac propterea etiam minus caute, cum nondum essent, qui vocum aequivocationibus, & obscuritatibus nixi fidei dogmata corrumperent (2).

(2) Ex hoc capite mitius & in bonum planc sensum explicari debent præptimis S. Joannes Chrysostomus, & uterque Gregorius Nazianzenus nimirum atque Nyssenus; qui in materia & in quæstione de transfusione peccati originalis in omnes Adæ posteros obscurissime subinde locuti sunt: siquidem Sancti isti Patres scripserunt ante exortam hæresim Pelagianam seu tempore illo, in quo dogma istud Ecclesiæ, licet ab omnibus crederetur nondum tamen in plena luce positum erat.

Octavo in lectione Sanctorum Ecclesiae Patrum & aliorum Scriptorum Ecclesiasticorum attendi semper debet magis sensus & scopus auctorum, quam externa cortex verborum; nam secundum juris effatum lib. 5. decret. *de Verbor. significat.* cap. 15. *non debent attendi sola verba sed voluntas* illorum qui verbis utuntur, *cum non intentio verbis, sed verba intentioni debeant inservire*: quamobrem etiam Pelagius Papa II. in Epist. ad Episcopos Galliae, quae extat Tom. V. Concil. inquit *Sancta Ecclesia suorum fidelium corda benignius quam verba districtius pensat*.

Nono in lectione Sanctorum Patrum & scriptoruu Ecclesiæ summopere cavendum est, ut illa, quae auctores subinde obscurius scripserunt, si in pace Ecclesiæ obiverunt, vel explicentur per loca clariora, quae antecedunt & subsequuntur in illorum scriptis, vel etiam accipiantur absolute in meliorem partem, si istud sine violentia verbis illorum illata vel inferenda fieri potest: nam generatim loquendo non solum a charitate, sed etiam a justitia christiana alienum est, & extraneum aliquem, de cujus doctrina & animi rectitudine aliunde dubitare non possumus, ex proprijs ideis, quae ad lectionem operum proborum scriptorum in mentibus nostris excitantur vel erroris, vel quod pejus est, manifestae haeresis, de qua fortassis auctor ille, ne quidem cogitavit unquam, palam traducere & condemnare.

Dictum est autem si istud sine violentia verbis illata vel inferenda fieri potest: nam si Patres vel insignes alij Ecclesiastici scriptores in meliorem partem alicubi interpretari nequeunt sine eo, ut verbis illorum aperta vis inferri debeat, tunc demum, vel simpliciter recedendum erit ab illorum opinione, semper tamen *salva honorificentia quæ illis debetur* ut

docet S. P. Augustinus superiori Capite Canone III. citatus: vel etiam suspendendum absolute omne judicium, donec magis & aperte innotescat, quo fine & quibus de causis praestantissimi illi viri tali obscure loquendi modo usi sint, ne fortassis erga illos quos Deus ex Apostolo ad Ephes. cap. 4. v. 12. dedit *ad consumationem Sanctorum in opus ministerij in ædificationem corporis Christi* injuria aliqua committatur.

Decimo tandem in lectione Sanctorum Patrum & Ecclesiasticorum scriptorum, ut illa cum fructu fiat, prae oculis semper haberi debet propria illorum terminologia, quae sine magno studio & labore ex contextibus & locis analogis clarioribus facile innotescet: ac propterea sedulo semper expendi debent tam illa, quae antecedunt in scriptis Sanctorum Patrum, quam illa quae subsequentur: cum enim significatio vocum, ut plurimum pendeat ab institutione, & conventione hominum, aequitas ipsa postulat, ut Sanctorum Patrum & graviorum scriptorum verba in illo sensu accipiantur, in quo ipsi locuti sunt atque scripserunt: neque sensus iste certo semper innotescit, vel innotescere potest ex sententijs quibusdam singularibus, & ptæsertim quando a suo proprio loco avulsæ sunt: quamobrem generatim loquendo, si quandoque in Sanctorum Patrum vel graviorum scriptorum Ecclesiasticorum operibus occurrat, & offendatur apparens quædam, vel verborum vel integræ alicujus sententiae contradictio, non illico putandum est cum superciliosis criticis, praesertim nostrorum temporum, qui ubique haereses vident, quod vel aestu disputationis abrepti in errorem oppositum incaute prolapsi sint, vel etiam contradictoria docuerint: nam absolute fieri potest, ut propositio aliqua verissima sit sub uno aliquo

respectu & falsa sub alio, ut patet in propositione ista *libero arbitrio male utens homo, & se perdidit & ipsum*: quæ est S. P. Augustini in Enchirid. ad Laurentium cap. 30. & quae etiam verissima est in tota sua extensione intellecta de libero arbitrio sano & robusto, quale fuit in Adamo ante lapsum: falsa autem iu sensu Manichaeorum & Calvinistarum docentium hominem in statu naturae lapsae ita liberum perdidisse arbitrium, ut jam non sua electione, sed necessitate quadam impellente moveri debeat tam ad bonum quam ad malum perpetrandum: de qua re iterum idem S. Doctor lib. 1. contra duas Epist. Pelagian. cap. 2. num. 6. inquit *quis nostrum dicat quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium, de humano genere? libertas quidem perijt per peccatum, sed illa quæ in Paradiso fuit.*

SECTIO VII.

DE THEOLOGIS

CAPUT I.

De Origine & utilitate Theologiæ Scholasticæ & de Theologorum auctoritate.

Certum est, & a nemine dubitari potest, quod semper & a temporibus usque Apostolorum in Ecclesia Christi dogmata fidei ex principijs revelatis ratiocinando deducta fuerint, ac proinde etiam quod semper in ea obtinuerit, disciplina illa sacra, quam Theologiam dicimus, licet non in illum ordinem redacta sicuti illam nunc habemus: imo vero tam Petrus quam Paulus, ut constat ex actis Apostolorum sæpe ratiocinando Judæos confutarunt; & Patres debuerunt semper adversus hæreticos tum ex Scriptura sacra, tum ex traditione ratiocinando defendere fidei dogmata, & confutare sophismata, quæ adversus illa ab hæreticis opponebantur: sic S. Athanasius, & S. Hilarius concluserunr contra Arianos Filium in divinis esse Patri *Homousion*, idest ejusdem cum Patre naturæ atque substantiæ ex eo, quia Christus de seipso testatur Joan. cap. 10. v. 30. *Ego, & Pater unum sumus*, & ibi cap. 5. v. 17. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*: sic etiam S. Cyrillus Alexandrinus conclusit contra Nestorianos unam tantum in Christo esse personam, & Beatissimam Virginem Mariam genuisse verum Deum atque ideo proprie appellandam esse *Thetocon* seu *deiparam* non vero *Christotocon* ut ipsi volebant seu Christiparam tan-

tum, quia legerat scriptum esse Joan. cap. 1. v. 14. *& Verbum caro factum est & habitavit in nobis* atque ad Rom. cap. 1. v. 3. *qui factus est ei ex semine David secundum carnem* : sic tandem etiam S. P. Augustinus victoriose contra Pelagianos & eorum reliquias deduxit gratuitam esse prædestinationem tam ad gratiam quam ad gloriam, quia noverat tam vetus quam novum testamentum ubique fere conspirare in illam Davidis sententiam *gratiam & gloriam dabit Dominus* Psalm. 83. v. 12.

Veruntamen res ita se habet; nimirum Sancti Ecclesiæ Patres non pertractarunt unquam singuli omnes omnem & integram nostræ fidei materiam, sed tantum modo unam, modo alteram, prout sese ipsis offerebat occasio; exinde autem factum est, ut dogmata theologica neque certo ordine digesta, neque in unum corpus simul collecta haberentur, sed alia apud alios hinc inde dispersa existerent: ac propterea nullum quoque extaret doctrinæ corpus, quod Theologiæ nomine universim & absolute merito donari potuisset.

Primus itaque, qui sacra dogmata omnia in unum corpus coegit, & theologiam integram certo quodam ordine tractare cæpit, ex omnium fere consensu fuit circa annum Christi 730. apud Græcos Sanctus Joannes Damascenus, qui præter diversa scripta, quibus Ecclesiam illustravit, conscripsit etiam quatuor libros *de Fide Orthodoxa* in quibus universam ferme Theologiam scholastica, methodo etiam complexus est.

Inter latinos autem primus circa medium sæculi XII. celebratur Petrus Lombardus Navarræ natus, & deinceps Episcopus Parisiensis factus, qui absolutam Theologiam conscripsit; & qui etiam *Magister sententiarum* vulgo nominatur, eo quia auctor est no-

minatissimi illius operis Theologici quod inscribitur *Sententiarum libri Quatuor*: in eo autem, ut notat Melchior Canus lib. 12. cap. 3. *Multa lectio Sanctorum apparet*: nam integrum fere compositum est ex Scripturæ sacræ & Sanctorum Patrum sententijs præsertim vero ex libris S. P. Augustini decerptis: præterea in eo conficiendo Magister ipse, si fides habenda est Joanni Cornubiensi discipulo ejusdem Magistri, non leviter adjutus fuit, & plurimum profecit ex libris sententiarum Petri Abaelardi.

Cum autem opus istud Petri Lombardi tunc manibus omnium volveretur factum est, ut accedentibus ad illud paulatim etiam aliorum theologorum commentarijs, & admixta eidem deinceps Dialectica atque Metaphysica Aristotelis, Theologia ipsa, quæ usque ad illa tempora non erat, nisi collectio & ordinata quædam theologicarum sententiarum dispositio, plurimum creverit, & in meliorem formam redacta fuerit, ut jure dici possit theologiam scholasticam a Magistro Sententiarum præsertim suam habuisse originem.

Præter librum Sententiarum Petrus Lombardus scripsit etiam diversa alia opuscula, quæ ex Epitaphio ejus sepulchrali, quod Parisijs extat in Ecclesia S. Marcelli ad tumulum illius appositum innotescunt: & quod ita se habet: nempe *hic jacet Petrus Lombardus Episcopus Parisiensis, qui composuit librum Sententiarum; Glossas psalmorum, & Epistolarum*: Porro autem librum istum ipse ita disposuit, ut liber primus contineret Sententias Patrum *de Trinitate & Unitate Dei*: Secundus *de Creatione Mundi* & præcipue Angelorum & hominum, & *de Dei gratia*: Tertius vero *de Incarnatione Verbi* & *de Virtutibus ac vitijs* & Quartus *de Sacramentis* & *de Novissimis*.

Et quamvis Discipuli ejus, seu Doctores scholastici qui illum subsecuti sunt, non omnia, quæ in libris istis continebantur, probaverint, imo non defuerint quoque, qui illum hæresis suspectum ad Alexandrum III. Summum Pontificem denuntiaverint, præsertim quod docuisset *Christum ut hominem non esse aliquid*, quæ sententia etiam in Concilio quodam Parisijs habito jubente eodem Summo Pontifice damnata fuit, ut testatur Mathæus Paris in historia Anglicana in Henrico II. nihilominus ex ijsdem libris & ex Schola Lombardi paulatim postea velut ex equo Trojano prodiverunt variæ scholasticorum sectæ omnes, qui primum in *Sententiarios* & *Quodlibetarios* deinde in *Reales* & *Nominales*; ac demum in *Thomistas*, *Scotistas*, *Aegidianos*, & *Neotericos* divisi fuerunt.

Sententiarij vocabantur illi, qui commentarios in Petri Lombardi libros simpliciter scripserunt: *Quodlibetarij* autem qui dogmata theologica varij argumenti pro libitu ipsorum selecta partractabant: *Reales* qui magis rebus, *Nominales* vero, qui magis nominibus, & vocabulis explicandis operam dare gloriabantur: *Thomistæ* denique qui Divi Thomæ Aquinatis vestigia sequebantur, *Scotistæ* qui sectabantur Joannem Duns Scotum ex Ordine minorum S. Francisci *Aegidiani* vero qui Ægidium Columnam ex Ordine Eremitarum S. Augustini Magistrum & Antisignanum venerabantur: ac tandem *Neoterici* qui Theologiam profitebantur sine ulla ad certum aliquem auctorem & Magistrum servitute: in quo ijsdem præivit Guilelmus Okam, a quo subinde in scholis etiam *Okamistæ* appellabantur.

Ampullosi autem magis fortassis, quam veridici jure esse videntur tituli illi honoris, quos Doctoribus & antisignanis suis diversæ istæ scholasticorum se-

ctæ tribuere consueverunt: nam prætermissis hic divo Thoma Aquinate & Divo Bonaventura, e quibus ille propter vere Angelicos mores *Doctor Angelicus* hic vero propter ardentem in Deum amorem *Doctor Seraphicus* jure appellari meruit: Alexander de Ales ex Ordine minorum S. Francisci Sancti Bonaventuræ Præceptor, vocabatur *Doctor irrefragabilis* & Ægidius Columna ex nobilissima, Columnensium familia Ordinis nostri Prior Generalis & postea Archiepiscopus Bituricensis doctrinæ & Operum Sancti Thomæ Angelici Doctoris strenuissimus defensor *Doctor fundatissimus*: Henricus a Gandavo Archidiaconus Tornacensis, qui scripsit egregium opus. Quodlibetorum *Doctor Solemnis*: Joannes Duns Scotus acutissimo ingenio præditus ex ordine minorum ut dictum supra *Doctor Subtilis*: Durandus a Sancto Portiano, ex Ordine Prædicatorum Episcopus Meldensis *Doctor resolutissimus*: Franciscus Mayron natione Schotus & Scoti discipulus *Doctor illuminatus*: Guilelmus Okam ex Ordine minorum pariter Scoti discipulus *Doctor invincibilis* cujus tamen nomen propter quosdam errores, in quos occasione fervidi sui ingenij, quo præditus erat, prolapsus est, in indice librorum prohibitorum repositum fuit: ac tandem Joannes de Baccone ex Ordine Carmelitarum Theologus atque Philosophus æque doctissimus *Doctor admirabilis*.

Nunc quod ad utilitatem Theologiæ scholasticæ pertinet (1) profecto ea utilissima est, non quidem sin-

(1) Loquimur hic præcise de sola Theologia scholastica: nam quod pertinet ad Theologiam positivam, de ea, quod non solum utilis sed etiam Ecclesiæ absolute necessaria dici debeat, constat evidentissime ex illis quæ ab initio hujus capitis dicta sunt: si enim Patres debuerunt omni tempore adversus hæreticos ex sacra scriptura & traditione defendere dogmata

gulis fidelibus, sed toti Ecclesiæ, si spectetur quatenus illam in Prolegomenis definivimus, nimirum quatenus est disciplina sacra, quæ tanquam principia assumit sacram Scripturam, & traditionem, atque Conciliorum, Summorum Pontificum, & Sanctorum Patrum statuta & decreta, & quæ hæc omnia distincte atque perspicue ita disponit, ut servata methodo dialectica exinde Conclusiones suas circa Deum & res divinas, non ad fucum faciendum, sed ad instructionem fidelium tantum deducat, sicuti illam digesserunt supra laudati Doctores, imo hoc sensu non est inconveniens, ut etiam aliquo modo necessaria dicatur, quamvis non omnino & absolute, siquidem etiam sine scholastica theologia fides in Ecclesia firma & sincera conservata revera fuit integris ferme primis duodecim sæculis, sed tantum sub hoc respectu, quia ope scholasticæ theologiæ facilius & expeditius frangi possunt conatus hæreticorum, qui postremis temporibus dialectica plurimum & potissimum abusi sunt, ut fidei nostræ dogmata convellerent.

Si autem Theologia scholastica accipiatur pro disciplina quorundam scholasticorum, de quibus plurimum & juste conquæritur Melchior Canus lib. 8. cap. 1. qui scilicet gravissimas fidei & morum controversias & quæstiones non dirimunt ex veris & legitimis Theologiæ fontibus, sed ex sola ratione & humana auctoritate, sicuti fecerunt imprimis Probabilistæ sæculi XVI., & qui de multis disputant inutilibus pla-

fidei: profecto jam omni tempore necessaria fuit in Ecclesia disciplina illa quæ ex principijs positivis suas deducit Conclusiones de Deo rebusque divinis: proinde inutile plane est vel de utilitate, vel de necessitate Thologiæ positivæ in particulari verba facere.

ne, ac subinde etiam de plane ridiculis, tunc ipsa non solum non est utilis, aut necessaria, sed neque etiam theologiæ nomen meretur, & jure etiam perniciosa potius dici potest & debet, eo quod vanitati magis, quam instructioni fidelium & Religioni deserviat.

His positis, ut etiam de Theologorum auctoritate generatim jam pauca dicamus: imprimis unanimis & concors theologorum omnium consensus in dogma aliquod fidei vel morum præbet adeo firmum & validum argumentum pro veritate dogmatis illius, ut ipsum sine nota temeritatis & periculo errandi in fide negari non possit: nam fieri haud potest, ut ejusmodi dogma, in quod theologi omnes uno ore conspirant, atque consentiunt, falsum fuerit: siquidem cum inter illos in rebus utcunque etiam non valde intricatis magna ubique semper regnet dissensio, ut perpetua fere experientia comprobatum est, certe non omnes circa dogma aliquod idem plane affirmarent vel negarent, nisi tam valida in illud concurrerent momenta rationum, quibus dissentire nullatenus liceat: ac propterea necesse omnino est, ut verissimum sit omne id, quidquid in materia fidei & morum unanimi consensu ab omnibus affirmatur vel negatur: ex quo intelligitur quod tam Concilia generalia, quam Romani Pontifices in definitionibus dogmaticis jure etiam semper respicere consueverunt ad concordem vel non concordem Theologorum mentem atque sententiam.

Deinde plurium consensus in aliquod dogma, cui tamen alij insignioris notæ, licet forte numero pauciores ex adverso dissentiunt, non est majoris auctoritatis & ponderis, quam sunt momenta rationum quibus innituntur: nam Conclusiones theologicæ universim non habent firmitatem nisi in quantum legi-

time deducuntur ex principijs revelatis: at vero dum plures tantum Theologi in unum aliquod dogma consentiunt, non autem omnes, legitima ista deductio ex principijs revelatis potest æquissimo jure in dubium revocari propter dissensum aliorum, nam licet isti pauciores quoque fuerint, ut ab initio dictum est, præsumi tamen non potest, aut saltem non debet sine istorum injuria, quod isti non æque bene ratiocinantur quam illi, & quod nulla prorsus istorum haberi debeat ratio in deductione, quam isti adversus illos circa idem dogma instituunt.

Præterea veritas fidei non pendet ulla ratione a numero vel ab auctoritate theologorum, sed duntaxat atque unice a conformitate cum principijs revelatis, & absolute fieri potest, ut sententia, quam pauciores tenent, gravitate rationum & pondere argumentorum prævaleat alteri, quæ longe plures defensores habeat, ut exemplo esse potest Probabilismus, sive systema de opinione probabili licite sequenda in concursu probabilioris, quod circa finem sæculi XVI. & initium XVII. maxime invaluit in scholis, & quod plurimos defensores nactum est, quamvis illud ex altera parte Theologi, qui sanam moralem se sequi gloriabantur, firmissime semper oppugnaverint (2) &

(2) Ut autem pateat, quo jure, bonone, an malo, Theologi isti opinionem istam oppugnaverint, congruum videtur ut systema ipsum tam in se quam in suis consequentijs breviter perstringamus; itaque ut a definitione ordiamur *opinio probabilis est assensus intellectus de aliqua re, qui nitatur ratione vel auctoritate alicujus momenti modo pro parte opposita nihil appareat convincens, quamvis adsit nonnulla ejusdem partis opposita formido*: ita Thomas Tamburinus in Explicatione decalogi lib. 1. cap. 3. num. 1. ubi etiam num. 2. subjungit dicens *et quando ejusmodi assensus innititur rationi, dicitur probabilitas intrinseca, extrinseca quando aucto-*

tanquam fontem ex quo omne genus vitiorum, quod mundum postea inundavit, sua sponte effluxerit, ita ut forte non omnino vane celebris quidam scriptor jam circa annum 1658. idest eo tempore in quo systema istud omnium fere theologorum animos invaserat, in sua dissertat. theologica de *Probabilitate* Sect. 3. §. 5. scripserit dicens *nemo illis, quæ jam prodierunt opinionum portentis Ecclesiam defunctam putet: imminent alia longe majora pericula: nec hic consistet ista pernicies: tam late funduntur hujus dogmatis rami, ut in totius religionis aperte grassentur exitium, & in omnium denique religionum*

ritati, ex quibus statim intelligitur quod in systemate probabilistarum assensus intellectus semper praestari possit sine culpa, dummodo adsit vel ratio aliqua alicujus momenti, vel auctoritas aliqua etiam cum *formidine de opposito*, sive quod idem est cum conscientia dubia: & revera nam ita prosequitur ibidem laudatus auctor num. 3. *qui aliquid operatur motus ex opinione probabili, bene operatur, et sine peccato: quia in humanis, ut cum prudentia, quæ est certa regula humanarum actionum, nonnisi probabilitas necessario requiritur: id quod ita certum est, & ita a doctoribus comprobatum, ut nostra discussione non indigeat, etiam opinione probabiliore relicta, etiam omissa tutiore, etiam communi, etiam in articulo mortis: quia dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis limitibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus*; quibus non solum affirmatur, quod operans ex opinione probabili sive intrinseca sive extrinseca bene operatur & sine peccato; sed etiam quod satis sit, ut universim res religionis & conscientiae, & quae proxime pertinent ad maximum atque præcipuum hominis negotium nempe ad obtinendam salutem æternam, aequa lance pensentur cum negotijs vitae temporalis, imo non hoc solum, sed quod magis est, affirmatur aperte, quod satis sit ad recte vivendum sine culpa & sine peccato, si quis operatur cum aliqua probabilitate, etiamsi operetur cum minori sollicitudine

horrendam permixtionem tendant : nec immerito fortassis eodem in loco sermonem convertens auctor ad defensores Probabilismi prosequitur dicens: *Caveant ne præter mentem & propositum suum quandoque dicantur deistarum principes : omnia sunt incerta, inquit Cicero, cum semel a jure discessum est : omnia nutantia, fluxa, mobilia, cum semel fidei ac veritatis retinaculis abruptis omnia erraticæ rationis arbitrio permissa sunt : permittuntur autem omnia hoc semel dogmate suscepto, falsum probabile a peccato excusare, & ad honestandam actionem sufficere.*

& minori prudentia, quam communiter fieri solet in rebus humanis : & revera, quis enim vir vere prudens commissurus est unquam ut negotia sua temporalia ita proseqnatur, ut relicta opinione probabiliore, imo omissa quoque tutiore & communi de prospero & felici rerum suarum eventu, sequatur minus probabilem etiam tenuem, hoc solo contentus, quod in negotijs suis probabilitate aliqua ducatur? Ex his autem breviter indicatis jam facile quisque intelligit quaenam consequentiae in morale hominis systema ex tam lubrico fonte defluere debeant? nempe si verum est, quod non errat, neque peccat, qui agit & operatur quod sibi probabile videtur? *id igitur audiens adolescens insidiabitur pudicitiae uxoris alienae*, utimur hic verbis S. P. Augustini contra Accademicos lib. 3. cap. 16. *libet dejerare per omne divinum nescire me prorsus, quomodo ille peccaverit si quis quis id egerit, quod probabile videtur, non peccat . . . taceo* ut prosequitur ibidem laudatus Doctor *de homicidijs, parricidijs, sacrilegijs, omnibusque omnino, quæ fieri, aut cogitari possunt flagitijs, aut facinoribus, quae paucis verbis, et quod est gravius apud sapientissimos judices defenduntur, quomodo enim non facerent, quod probabile visum est* : neque vero putandum est consecutiones hujusmodi systemati huic ad libitum appingi, sunt enim necessariae: ut unusquisque per te videt : praeterea in systemate Probabilistico non solum licet sine culpa sequi opinionem probabilem relicta probabiliore, sed

Tandem in quæstionibus mere philosophicis, sicuti etiam in illis, quæ scholarum particularium, puta Thomistarum, Scotistarum, Molinistarum, Augustinensium &c. propriæ sunt, licitum est cuilibet, & sine offensionis periculo a quibusvis Theologis discedere: nam in rebus Philosophicis nulla plane est theologorum auctoritas: in quæstionibus autem particularium scholarum proprijs, sive quis uni vel alteri scholæ adhæreat, atque in respectivis illarum controversijs vel affirmativam vel negativam teneat sententiam, nullum sequitur in fide & moribus periculum, donec Ecclesia auctoritate sua non declarave-

etiam varios adire Casuistas, donec occurrat qui ad libitum respondeat, & mutare, primo conceptum jam probabile dictamen rationis quotiescunque occurrit alia probabilitas etiam mere extrinseca: ut luculentissime patet ex casu, quem solvendum sibi assumit celebris Casuista Joannes Caramuel in *Theologia fundamentali* cap. I. fundam. XI. ubi adductis principijs Probabilismi num. 9. inquit. *his principijs insistens proposui casum difficilem in Comm. in Regulam S. Benedicti Disp. 117. num. 1446. quem ex dictis poterit quicunque resolvere. Ille erat: Paulus ingressurus navim majoris commoditatis gratia* (& haec erat tota probabilitatis ratio intrinseca) *contulit secum diurnale subscribens Thomae Sanchez in Summa Tom. I. lib. I. cap. 19. num. 8. affirmanti legentem ea, quae continentur in diurnali officio divino satisfacere: postquam autem solverunt e portu, mutavit dictamen, et secutus sententiam Joannis Sancij in select. disp. 15. num. 2. asserentis in diurnali non contineri integrum Officium divinum, ac proinde carentem breviario, licet diurnale habeat, non teneri legere Officium divinum, illud non legit: sed quomodo respondendum ad hanc difficultatem? in loco citato hæc scripsi; ut exacte respondeam opus est omnes circumstantias expendere: Paulus primo Sanchesii sententiam sequebatur, et bene faciebat* (nempe ex opinione istorum auctorum quaecunque opinio probatur ab insigni aliquo defensore probabilismi, ea probabilis est) *quia est gravis auctor. ac probabilis ejus*

rit quid in particularibus diversarum scholarum placitis sentiendum sit, quidve in illis doctrinæ fidei vel conforme vel difforme esse non definiverit.

Quamvis autem hæc ita sint; nempe quamvis in hujusmodi controversijs unicuique licitum sit in suo proprio sensu abundare, non est tamen licitum, quod theologi diversarum opinionum convicijs atque dicterijs seinvicem proscindant, & quod pejus est, atque tam a charitate quam a justitia christiana maxime alienum, hæresis notam diversa sentientibus objiciant: siquidem neminem fugit, hæreticum dici non debere nisi illum, qui cum pervicacia articulum aliquem ab Ecclesia ad credendum legitime propositum negaverit: deinde meminisse quoque deberent

sententia. Ex vi hujus dictaminis potuit sine culpæ gravis scrupulo relinquere breviarium in terra, et solum conferre diurnale (nempe majoris commoditatis gratia) *Secundo asseritur Paulus mutasse dictamen; et hoc humanum est, et rationale: homo non est suarum opinionum mancipium, cum probabile dictamen mutat utitur sibi caelitus concessa libertate, et bene facit* (quam pulchra probabilitas, quae nescio, an cuiquam etiam incredulorum vere non arrideat) *fidei orthodoxae dogmatibus, demonstrationibus, ac principijs perse notis subest ingenium, probabilibus sententijs superest: ideoque quam libere sententiam Sanchesij approbavit, tam libere potuit illam dimittere: potuit igitur Paulus sine conscientiae scrupulo mutare dictamen, et valedicens uni auctori, sequi alterius opinionem probabilem: tertio dicitur Paulus noluisse uti diurnali, et defectu Breviarij multis diebus, quibus in navi fuit horas non recitasse* (probabiliter majoris commoditatis gratia) *nec tamen peccavit mortaliter; operabatur enim juxta conscientiae dictamen, quod erat probabile et prudens subnixum Sancij auctoritate*, hactenus Caramuel: verum haec satis sunt: nam infinitum fere esse oporteret qui singula paradoxa, quae ex hoc systemate in motum doctrinam derivant, pro dignitate prosequi animum apponeret.

quod Innocentius XI. anno 1679. die 2. Martij omnibus in virtute Sanctæ obedientiæ præceperit *ut tam in libris imprimendis, ac MS. quam in thesibus, disputationibus, ac prædicationibus caveant ab omni censura & nota, nec non a quibuscunque convicijs contra eas propositiones, quæ adhuc inter catholicos hinc inde controvertuntur, donec a Sancta Sede de re cognita super ijsdem propositionibus judicium proferatur*; & specialiter quod Innocentius XII. in decreto emanato die 6. Januarij anno 1694. severe prohibuerit, *ne quis traducatur invidioso nomine Jansenismi nisi prius legitime constiterit aliquam ex quinque propositionibus docuisse & tenuisse.*

CAPUT II.

De diverso genere propositionum quæ in Theologia expendi solent.

Ex Propositionibus, quæ in Theologia expendi solent, aliæ sunt propugnandæ, aliæ vero impugnandæ; propugnanda sunt omnes illæ, quæ vel ad fidem catholicam aliquo modo pertinent (Vid. Sect. 1. cap. 2. Nota 1.) vel etiam quæ salva fide in unam vel alteram partem disputari possunt, atque defendi: impugnandæ vero sunt omnes illæ quæ cum a fide & optimis morum regulis aliquo pacto dissentiunt, & discrepant, fuerunt infallibili Ecclesiæ judicio condemnatæ, & censura aliqua notatæ atque confixæ.

Ut autem innotescat, quænam propositiones in specie ad fidem catholicam pertinent, imprimis notandum est, generatim nihil omnino posse esse de fide simpliciter, quod non fuerit vel formaliter & explicite, vel saltem virtualiter & implicite revelatum, & nihil de fide catholica, quod non fuerit solemni judicio ab Ecclesia fidelibus omnibus ad credendum legitime propositum, sicuti loco supra laudato jam dictum est.

Jam vero propositio formaliter & explicite revelata dicitur omnis illa, quæ vel expresse, & in propria verborum forma in Scriptura sacra habetur, vel etiam ex traditione majorum constanti firmo Ecclesiæ judicio tanquam dogma fidei catholicæ omnibus fidelibus ad credendum proposita fuit: prioris generis sunt istæ *Verbum caro factum est & habitavit in nobis*: Joann. cap. 1. v. 14. *tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt* in Epist. 1. Joan. cap.

5. v. 7. alterius vero istæ: *Filius est Patri Consubstantialis* : *Spiritus Sanctus procedit a Patre & Filio* : *septem sunt novæ legis Sacramenta* & aliæ.

Propositio virtualiter tantum & implicite revelata est omnis illa, quæ ex aliqua formaliter revelata per evidentem discursum deducitur: & omnis hujusmodi propositio considerata sub isto respectu, nempe quatenus ex alia formaliter revelata deducitur, vocatur etiam *Conclusio Theologica*: sic ista *in Christo est natura divina & humana*, quæ ex hac altera formaliter revelata *Christus est verus Deus & verus homo* per evidentem discursum deducitur, est virtualiter revelata, atque si spectetur simpliciter quatenus sic deducta est, vocatur etiam *Conclusio theologica*:

Omnis Conclusio theologica considerari potest etiam ipsa vel *formaliter* vel *virtualiter* cousideratur *formaliter* quando consideratur præcise sub isto respectu quatenus ex præmissis per evidentem discursum legitime deducta fuit, eique propter perceptam hanc cum suis præmissis necessariam connexionem præbetur assensus: consideratur autem *materialiter*, quando consideratur in seipsa & sine relatione ad præmissas ex quibus deducta fuit, eique sic spectatæ præbetur assensus.

Hinc intelligitur quod Conclusio Theologica non pertineat ad fidem simpliciter si consideretur præcise quatenus per evidentem discursum ex suis præmissis legitime deducta est, sed tantum si consideretur materialiter & in seipsa sine relatione ad præmissas ex quibus deducta fuit, nam Conclusio quaelibet etiam Theologica in suo respectu formali, idest considerata quatenus eidem præbetur assensus propter cognitam evidentem connexionem quam habet cum suis præmissis, non nititur puro

fidei motivo seu auctoritate Dei revelantis, sed evidentia rationis, quæ scientiam parit, non fidem.

Quia vero omnis Conclusio theologica revera per evidentem discursum ex suis principijs idest ex præmissis revelatis necessario semper deducitur, consequitur, quod jam in Prolegomenis dictum est, nimirum, quod Thologia ipsa, licet principium illius, scilicet divina revelatio obscura sit, quia tamen connexio Conclusionum ejus cum præmissis, quæ divinam revelationem continent, evidenter cognoscitur, sit etiam vere & proprie dicta scientia.

Intelligitur etiam quomodo Conclusio Theologica universim & in genere spectata, non pertineat ad fidem catholicam, nisi protunc quando eidem accedit judicium Ecclesiæ, quo constet certo & infallibiter, quod fuerit divinitus revelata: nam cum non sit formaliter & explicite revelata sed virtualiter tantum & implicite, ut hic supponitur; si consideretur sub eo respectu, quo ad fidem pertinet, idest materialiter, & in seipsa spectata, sine relatione ad præmissas, ex quibus deducta est, nullam habet connexionem immediatam cum principio fidei, seu cum divina revelatione, adeoque non potest illi præberi assensus propter auctoritatem Dei revelantis, nisi accedat definitio Ecclesiæ, qua certo constet, quod ex præmissis revetatis legitime deducta sit, & in revelatione divina contenta habeatur.

His constitutis propositiones omnes, quae aliquo modo ad fidem catholicam pertinent, possunt cum Joanne a Turre cremata *in summa Ecclesiae* lib. 4. part. 2. eap. 9. reduci ad septem suprema genera, quæ tamen ut notat idem auctor ad finem ejusdem capitis, non sunt omnes ejusdem gradus & dignitatis *quaedam enim* (sunt verba auctoris laudati) *sunt catholicae, quaedam ca-*

tholicam veritatem sapientes, & quaedam probabiles tantum, quaedam pie credibiles.

Ad primum genus, seu ad primum & supremum gradum veritatum catholicarum pertinent sententiae & propositionus omnes, quae in Canone sacrae scripturae, idest in libris tam veteris quam novi testamenti iu propria verborum forma expressae continentur: si cuti sunt v. g. *Deus superbis resistit* in 1. Petri cap. 3. v. 5. & *Deus in nobis manet si diligamus invicem* in I. Joan. cap. 4. v. 12. & est etiam ista pronuntiata a Caipha Joan. cap. II. v. 15. *prophetavit quod Jesus moriturus esset pro gente.*

Ad secundum gradum spectant propositiones illae, quae in sacra scriptura aequivalenter & in formali significatione verborum continentur, sive ut alij ajunt, quae ex formaliter contentis in sacra scriptura per necessariam consequentiam inde deducuntur: sicuti est ista *Christus est deus homo*, quae licet in tota scriptura sic expressa non inveniatur, continetur tamen æquivalenter & in formali verborum significatione in omnibus illis propositionibus, ac sententijs, quæ divinitatem & humanitatem Christi enuntiant & testantur; ex quibus etiam per necessariam consequentiam deducitur.

Ad tertium pertinent illæ, quæ constant Divina & Apostolica traditione, de quibus S. P. Augustinus relatus in Cap. *Ecclesiasticarum* dist. 11. inquit *Ecclesiasticarum Constitutionum quasdam scripturis, quasdam vero Apostolica traditione per successores in ministerio confirmatas suscepimus, quasdam vero consuetudine roboratas approbavit usus, quibus par ritus & idem utriusque pietatis debetur affectus*: sicuti est v. g. propositio ista *libri sacri quibus utitur Ecclesia sunt divinitus revelati*: vel etiam

ista *septem sunt nec plura nec pauciora novæ legis Sacramenta.*

Ad quartum spectant illæ, quæ ab Ecclesia universali in Concilijs Œcumenicis tanquam ad fidem catholicam spectantes solemni judicio definitæ fidelibus omnibus ad credendum propositæ fuerunt: sicuti sunt v. g. *existit Purgatorium in quo animæ detentæ juvantur pijs fidelium in terra viventium operibus*: quæ definita fuit a Concilio Tridentino contra lutheranos & calvinistas Sess. 25. in decr. de *Purgatorio*, & hæc alia *Imagines Christi Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum retinendæ sunt & religiose venerandæ* definita act. VII. in Concilio VII. generali.

Ad quintum gradum pertinent illæ, quæ in materia fidei & morum Apostolicæ Sedis auctoritate & solemni ex cathedra judicio definitæ fuerunt: ut est ista *quinque famosæ propositiones Jansenij continent hæresim in sensu ab auctore intento.*

Ad sextum illæ quæ probantur unanimi Sanctorum Patrum consensu accedente judicio Ecclesiæ sicuti est ista *Beatissima Virgo Maria fuit toto vitæ tempore ab omni actuali peccato immunis.*

Ad septimum gradum propositionum catholicarum pertinent omnes illæ quæ ex quarto quinto & sexto gradu veritatum catholicarum necessaria & formali consequentia inferuntur: dictum est autem necessaria & formali consequentia, quia si inde deduceretur aliquid consequentia probabili tantum, tunc propositio sic deducta non contineret veritatem catholicam & certam sed tantum probabilem: sic propositio ista *Beata Virgo Maria ne leviter quidem unquam mentita est* pertinet ad septimum gradum propositionum & veritatum catholicarum, quia ex illa, qua affirma-

tur immunis ab omni peccato actuali per necessariam consequentiam deducitur.

Ad propositiones usque modo memoratas, quas Theologus propugnare debet, pertinent nonnullæ aliæ diversi generis, quæ & si non sint proprie & absolute catholicæ, nihilominus sapiunt proxime catholicam veritatem: eas autem reponit loco citato Joannes a Turrecremata in octuvo gradu veritatum catholicarum: & sunt omnes illæ, quae licet nullo solemni Ecclesiae judicio ad credendum propositae fuerint, creduntur tamen fere universaliter in tota Ecclesia: sicuti est v. g. immaculata conceptio Beatae Mariae Virginis (1) item ejusdem in cœlum cum corpore Assumptio.

(1) Quaestionem istam de Immaculata Conceptione Beatissimae Mariæ Virginis nondum esse ultimate ab Ecclesia definitam consentiunt omnes: interim tamen circa illam diversa habentur Ecclesiae decreta sic. 1. Concilium Basileense anno 1439. sess. 36. declaravit sententiam, quae affirmat Beatam Virginem sine peccato conceptam *tanquam piam et consonam cultui ecclesiastico, fidei cattholicae, rectae rationi, et scripturae ab omnibus catholicis approbandam, tenendam, et amplectendam*: & quanquam Concilium istud in Sess. 36. non habuerit legitimi Concilij auctoritatem, siquidem tunc auctoritate Eugenij IV. penitus jam dissolutum fuit, nihilominus ex eo constat, quod jam tunc articulus iste de immaculata conceptione crederetur fere universaliter in Ecclesia: deinde anno 1483. Sixtus IV. in Constitutione *Grave nimis* vetat sub poena excomunicationis Romano Pontifici reservatae, ne quis asserere ausit eos, *qui tenent Dei genitricem absque Originalis peccati macula fuisse conceptam: mortaliter peccare, aut esse haereticos*: & simili quoque poenae subjicit illos, qui contrariam opinionem defendentibus haeresis notam inurerent: quam constitutionem confirmat Concilium Tridentinum Sess. 5. ad calcem Can. 5. *tertio* Pius V. Constitutione *Super Speculam* ann. 1570. sic habet *Cum Sancta romana Ecclesia omnium Ecclesiarum magistra de ea re huc usque non*

Huc accedunt propositiones quae salva fide in unam vel alteram partem defendi possunt, & quae pariter ut dictum est pertinent ad propositiones, quae a Theologo propugnandae sunt, & sunt omnes illae quibus placita diversarum scholarum exponuntur, & declarantur, quae licet in se non sint catholicae seu universales hoc sensu, quia non in universa Ecclesia, sed tantum in privatis scholis propugnantur, pertinent tamen etiam ipsae aliquo modo ad fidem catholicam hoc sensu, quia in materia fidei ex principijs revelatis ab auctoribus suis, si non certo, saltem probabili judicio deducuntur.

Nunc ut transeamus ad propositiones, quae ab Ecclesia censura aliqua notatae & damnatae fuerunt, & quas Theologus impugnare debet; imprimis censurarum nomine hic intelligimus notas quasdam sive qualificationes, quas theologi judicio probabili, Ecclesia autem, idest Concilia generalia & Romani Pontifices ex cathedra pronuntiantes, judicio certo, & irreformabili affingunt certis propositionibus a veritate fidei, & sanctitate morum aliquo modo alienis: sunt autem ex observata hactenus praxi Ecclesiae viginti tres magis communes quibus propositio aliqua declaratur *falsa*, *erronea*, *hæretica*, *hæresi proxi-*

definierit, nemo absque temeritate alterius partis sententiam damnare potest. ac tandem IV, Alexander VII. summus Pontifex prohibet severe Constitutione sua anno 1661. ne quis contrariam opinionem, haeresis, aut peccati mortalis, aut impietatis insimulet, ex quibus colligitur piam utique esse, nec improbandam opinionem, quae affirmat Beatam Virginem sine peccato conceptam fuisse, non tamen pertinere ad fidem catholicam: siquidem quaestio ista revera nondum est ab Ecclesia ultimate definita &, præfatæ Constitutiones summorum Pontificum vetant, ne hoeresis aut peccati mortalis accusentur, qui contrariam opinionem defendunt.

ma, hæresim sapiens, hæresis suspectā, schismatica, blasphema, impia, scandalosa, piarum autium offensiva, seditiosa, injuriosa, male sonans, simplicium seductiva, temeraria, periculosa, captiosa, improbabilis, Verbo Dei contraria, Judaica, Pagana, Athea.

Falsa propositio theologice dicitur omnis illa quae eventum aliquem, vel universim falsum aliquid enuntiat, quod fidei vel bonis moribus aliquo modo nocere potest: dixi *theologice*: nam propositiones illae, quae falsum enuntiant, nec tamen fidei vel bonis moribus praejudicant, censura theologica perstringi nec possunt, nec debent: sic theologica facultas Parisiensis die 1. Augusti anno 1641. censuit jure falsam esse, & viam aperire ad excusandas excusationes in peccatis propositionem, in qua asseritur *nunquam peccari*, nisi *prævia animus peccati cognitione illustretur, ejusque vitandi desiderio extimuletur*: & a facultate theologica Lovaniensi tanquam falsa & castis auribus horribilis notata fuit anno 1657. propositio ista *defessus ex quocunque labore licito vel illicito* v. g. *cum fœminis commixtione liberatur a lege jejunij*.

Erronea est omnis illa quæ opponitur alicui veritati, quae proxime ad veritatem Catholicam accedit: sive quae negat veritatem, quam communis sensus fidelium judicat virtualiter revelatam; idest tanquam veritatem, quae ex formaliter revelatis legitime deducta est, licet non sit ab Ecclesia ad credendum explicite fidelibus proposita, sic propositio ista *summus Pontifex ex cathedra loquens errare potest in fide* est propositio erronea: sic pariter erronea erat jam ante definitionem Ecclesiae propositio Sancti Cypriani, qua docebat *in haeresi baptizatos & ad Ecclesiam redeuntes debere iterum baptizari*.

Haeretica est omnis illa, quae negat aliquam ex veritatibus sex prioribus gradibus propositionum catholicarum comprehensis, sive quæ enuntiat aliquid, quod doctrinae fidei a Deo revelatae & ab Ecclesia fidelibus ad credendum propositae contrarium est & oppositum, sicuti sunt istae *Christus non est verus Deus & verus homo: in Christo una tantum est voluntas & una operatio*.

Ubi tamen breviter observandum est, quod non illico haereticus vocari debeat, quisquis propositionem aliquam hujus generis enuntiaverit: nam ut semel jam dictum est sect I. cap. 2. ad finem haeresis proprie dicta *est error in fide cum pertinacia*: in qua definitione duo attendi debent, nempe primum quod sit *error in fide*, alterum autem *cum pertinacia*: e quibus primum pertinet ad haereticae propositionis indolem & naturam, nec per se afficit proferentem: alterum autem, est illud quod proprie pertinet ad proferentis perfidiam, & quod propterea haereticum formaliter constituit.

Haeresi proxima est illa propositio, quae opponitur septimo gradui veritatum catholicarum; idest quae repugnat couclusioni ex praemissis revelatis per necessariam conclusionem legitime deductae: hinc omnis propositio *erronea* est hoc ipso etiam haeresi proxima: sic Decreto sacrae universalis romanae Inquisitionis Sancti Officij die 20. febr. anno 1661, damnata fuit tanquam erronea & haeresi proxima propositio ista *Probabilismus Christo domino maxime familiaris fuit*.

Haeresim sapiens est illa, quae licet absolute fidei catholicae non sit contraria, & nulli ex veritatibus catholicis directe opposita, attamen propter particulares respectus haeresi magis quam rectae fidei conformis esse videtur: sic propositio ista *ridiculum*

est & inconceniens circumgestare Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum cum externo apparatu per vicos & plateas Civitatum, quæ blasphema est & impia, atque in omnibus suis partibus theologice falsa, sapit etiam heresim lutheranorum, qui negant in Eucharistia realem Christi præsentiam.

Hæresis suspecta est illa, quæ cum sensum catholicum suscipere possit, prolata tamen ab hæretico, vel in certis loci & temporis circumstantijs, inducit suspicionem hæresis ex parte proferentis: sic ista Propositio *Pater in divinis est major filio* est Sanctissima: nam eandem adhibuit Christus ipse Joan. cap. 14. v. 28. dicens *Pater major me est* verum quia Arius docuit filium esse minorem Patre, eumque factum fuisse sicut cæteras creaturas ex nihilo, sive ut ajebant Ariani *ex non extantibus*: igitur dum legitur in libris Arianorum suspecta semper est de hæresi, quia nihil plane repugnat, quod per eam auctor hæresim sibi propriam docere & confirmare se velle intenderit.

Schismatica est quæ scissionibus Ecclesiæ viam aperit: idest quæ inducit fideles subditos ad denegandam obedientiam debitam legitimis Pastoribus, præsertim vero Romano Pontifici: sicuti est ista: *Quilibet Episcopus est in sua diœcesi Papa*, & universim sunt propositiones omnes, quæ docent aliquid agendum vel omittendum contra expressam Prælatorum Ecclesiæ mentem & voluntatem.

Blasphema est, quæ vel in Deum, vel in Deiparam vel in Sanctos cum Christo regnantes convicium vel contumeliam enuntiat; quod duobus modis fieri potest, nimirum vel tribuendo illis, quod illos dedecet, vel negando quod illis debetur.

Impia est, quæ aliquid enuntiat aptum ad Dei cultum vel tollendum, vel minuendum: quales sunt

omnes illæ, quæ fideles avertunt a pietate, a devotione, a sequendis consilijs evangelicis, ab operibus supererogatorijs, & universim a quovis laudabili religionis exercitio: sicuti sunt istæ: *inutiles sunt ordines regularium in Ecclesia Christi: Piæ fundationes & eleemosynæ pro celebratione missarum sunt inventiones Monachorum ad lucrum faciendum excogitatæ: Visitationes ad terram Sanctam, vel ad limina Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli sunt occupationes hominum otio servientium.*

Scandalosa dicitur propositio, quæ dissolutioni morum viam aperit, & per se apta est parere proximo ruinam Spiritualem; quales sunt v.g. *Ex auriculari confessione gravissima sequuntur incommoda; per confessionem & communionem sacrilegam satisfit præcepto Ecclesiæ*: & hæc alia *licitum est procurare abortum fœtus inanimati, ne puella gravida deprehensa infametur vel occidatur.*

Piarum aurium offensiva dicitur quæ in materia Religionis aliquid auditu asperum, & pijs animis horridum enuntiat: tales sunt illæ ab Innocentio XI. damnatæ *licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis: quia nimirum illi obventura est pinguis hæreditas*: & altera *licitum est filio gaudere de parricidio parentis a se in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias & hæreditates consecutas*: tales sunt etiam propositiones omnes, quæ vel ex modo & circumstantijs proferentium, vel ex vi & significatione vocabulorum obscænum aliquid, & indecorum in animo audientium excitare possunt; & universim propositiones scandalosæ impiæ, & blasphemæ omnes.

Seditiosa dicitur propositio, quæ capax est ex-

citare fidelium animos contra legitimos suos Pastores, & motus in Ecclesia, talis est ista *fideles non peccant etiamsi absque ulla causa legibus Summi Pontificis non obtemperent: aut mandatis Episcopi vel Parochi palam resistant*.

Injuriosa dicitur illa quæ detrahit alicui vel personæ vel statui: sicuti sunt propopositiones omnes, quæ lædunt honorem aut famam Summi Pontificis, Cardinalium, Episcoporum, Clericorum, & regularium ordinum.

Male sonans dicitur, qua cum possit habere duplicem sensum unum fidei & bonis moribus congruum, alterum autem incongruum, facile accipi potest in sensu incongruo, sicuti est ista *Deus non vult salvare illos, qui impie vivunt*.

Simplicium seductiva dicitur illa, quæ sub specie pietatis aut veritatis errorem tegens, rudiorum animos pervertere potest: sicuti sunt multæ propositiones Michaelis Molinos & Quietistarum, quorum ille autor est: & sunt etiam sequentes nempe *frequens confessio & communio, etiam in illis qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis* & altera *Probabile est non peccare mortaliter illum, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam & honorem defendat: & si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in theologia*: quæ ambæ damnatæ fuerunt ab Innocentio XI. die 2. Martij anno 1679.

Temeraria est quæ in re alioquin gravi enuntiat aliquid contra communem vel populi fidelis vel gravium theologorum persuasionem sine ulla vel sacræ Scripturæ vel traditionis auctoritate: talis est propositio quæ asserit *Beatam Virginem Mariam non fuisse in Cœlum cum corpore assumptam* et aliæ hujus generis, de quibus licet Apostolica Sedes nondum defi-

nitivam pronuntiaverit sententiam, vetat tamen ne disceptetur: quippe tunc talis disceptatio temeraria est tales sunt etiam propositiones sequentes ab Alexandro VII. damnatæ nempe *omnes officiales, qui in republica corporaliter laborant sunt excusati ab obligatione jejunij, nec debent se certificare, an labor ipsorum sit compatibilis cum jejunio* & hæc altera *licitum est mutuanti aliquid extra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus*.

Periculosa est quæ propter affinitatem cum alijs malæ notæ propositionibus videtur præseferre aliquid periculi in animis audientium: sicuti est ista lutheranorum *Clerus Ecclesiæ Romanæ studet magis propriæ utilitati quam Ecclesiæ bono*.

Captiosa est quæ sub specie veritatis vel pietatis tendit ad decipiendos, & in errorem inducendos incautos: sic propositio ista *edocti ab Apostolo spectamus mortem, non jam ut naturalem conditionem hominis, sed revera, ut justam poenam culpæ originalis*: damnata fuit a Pio VI. in Bulla *Auctorem fidei* sub num. XVII. ut captiosa, quatenus insinuat mortem, quæ in præsenti statu inflicta est ut justa pœna peccati per justam subtractionem immortalitatis, non fuisse naturalem conditionem hominis, quasi immortalitas non fuisset gratuitum beneficium, sed naturalis quædam hominis conditio.

Improbabilis est omnis illa, quæ enuntiat aliquid tam intrinseca quam extrinseca probabilitate destitutum: idest quod non solum omni theologico fundamento, sed etiam auctoritate sufficienti theologorum destitutum est: sic improbabilis maxime est propositio Udalrici Veleni quam Sect. V. cap. 1. Propos. 3. in Resp. ad oppos. argum. refutavimus, nempe *quod*

Petrus & Paulus non Romæ sed Jerosolymis martyrium subiverint.

Verbo Dei contraria propositio dicitur illa quæ in materia ab Ecclesia non definita enuntiat aliquid, quod scripturæ sacræ in sensu obvio contrarium & oppositum est, sicuti est ista recentiorum Philosophorum *Terra circa solem movetur*: de qua Ecclesia utique nihil definivit: interim tamen videtur contraria pluribus sacræ scripturæ locis, sicuti sunt *terra autem in æternum stat* in Ecclesiaste cap. l. v. 4. *qui fundasti terram super stabilitatem suam* psal. 103. v. 5. *sol egressus est super terram* Genes. cap. 19. v. 23. ubi non terræ sed solis motus indicari videtur, quod confirmatur etiam ex Josue cap. 10. v. 12. ubi Dux iste Jsraelis jubet dicens *Sol contra Gabaon ne movearis.*

Judaica denique *Pagana* & Athea proposito est omnis illa enuntiatio quæ vel Judaismum, vel paganismum vel Atheismum spirat: sic ista *affluentia bonorum temporalium est signum divinæ prædilectionis*: est Judaica: Pagana autem ista *Dij immortales* ac denique athea *nulla Deo est cura de rebus mortalium.*

Præter modo descriptas notas sive censuras, quas communiores esse diximus, sunt etiam aliæ magis speciales quibus propositio aliqua qualificatur 1. *tanquam alias jam damnata.* 2. In Ecclesiam, in Romanos Pontifices &c. *injuriosa*; *contumeliosa &c.* 3. Praxis, auctoritatis Jurisdictionis Ecclesiæ, & Romani Pontificis *læsiva, perturbativa, derogans, subversiva &c.* 4. errorem, hæresim, schisma, *sapiens, fovens &c.* quæ omnes, sicuti etiam illæ superius descriptæ, possunt uni eidemque propositioni non tantum separatim, sed etiam simul plures convenire, ut notat Joannes a Turrecremata loco superius

citato cap. 11. & patet manifeste de omni propositione hæretica, quæ necessario semper etiam falsa & erronea esse convincitur.

Constat autem ex praxi Ecclesiæ duplicem esse modum, quo censuræ prædictæ certis quibusdam propositionibus a fide & bonis moribus alienis atque ab omnimoda veritate aliquo pacto aberrantibus affingi consueverunt: nempe unus, quo cuilibet particulari propositioni sua etiam conveniens particularis censura immediate subjicitur; una scilicet vel plures simul, pront una vel plures eidem conveniunt: sicuti factum est ab Innocentio X. Constitutione edita 31. Maji 1653 in qua damnavit quinque famosas Jansenji propositiones Sect. 3. cap. 3. Nota 5. relatas: & Pius VI. in Bulla *Auctorem fidei* die 28. Augusti 1794. in qua damnat complures Propositiones excerptas ex Synodo Pistoriensi anni 1786. alter autem modus damnandi hujusmodi propositiones in Ecclesia Dei consuetus est, quando damnantur *in globo* ut ajunt; idest quando non singulis, sed omnibus collective sumptis atque recensitis subjiciuntur notæ & censuræ omnes, quæ illis conveniunt: sicuti factum est primo in Concilio Constantiensi Sess. VIII. & XV. in quarum prima hoc pacto, idest in *globo* damnati fuerunt articuli XLV. Joannis Wicleffi, & in altera XXX. Joannis Hus, & postea etiam in celeberrima Constitutione *Unigenitus* Clementis XI. die 8. Sept. 1713. in qua damnantur CI. Quesnellij Propositiones.

Quod autem legitima sint, & vere dogmatica Ecclesiæ decreta, quibus plures propositiones hoc postremo modo damnantur, quidquid obstrepunt Constitutionis *Unigenitus* inimici, patet evidentissime: nam illud profecto legitimum est, & ab omnibus probandum, quod usu suo constanti probat, & sem-

per probavit Ecclesia, ut enim inquit S. P. Augustinus Epist. 54. alias 118. ad Inquisitiones Januarij *disputare an faciendum sit, quod tota per orbem frequentat Ecclesia insolentissimæ insaniæ est*: jam vero usum hunc damnandi propositiones nulla cuilibet propositioni distributive acceptæ affixa censuræ nota, probavit semper Ecclesia: nam præter Concilium Constantiense de quo modo dictum est, etiam Concilium V. generale damnavit libros Origenis, & tria famosa capitula modo quodam generali, & in globo, sine ulla in particulari determinata censura propositionum: idem præstitit etiam Joannes XXII. in damnatione V. articulorum Joannis de Poliaco; & Leo X. contra Lutherum atque Pius V. Gregorius XIII. & Urbanus VIII. in proscriptione articulorum Baji, nec non Innocentius XI. contra Molinosum, & Innocentius XII. contra librum cui titulus *Maximes des Saints*.

Ubi tamen generatim notandum superest, quod dum plures propositiones hoc modo, idest *in globo* damnantur, semper ad cumulum censurarum apponi consuevit particula adverbialis *respective*, qua significatur *primo*, quod nulla sit inter propositiones ita damnatas, cui aliquæ vel aliqua ex appositis in fine censuris non conveniat: & *secundo*, quod licet aliquæ vel aliqua ex illis propositionibus sic damnatis in se inspecta, & in rigore verborum sustineri, atque defendi posset, inspecta tamen connexione, quam propositiones illæ, vel propositio illa quæcunque, habet cum doctrina aliarum, omnes omnino merito rejici, & impugnari debeant: nec quidquam refert, quod non innotescat, quænam in particulari censura cuilibet ex recensitis propositionibus in tali casu speciatim revera conveniat: nam ut singulæ etiam seorsim spectatæ impugnari debeant, satis esse de-

bet, quod nulla ex illis jure ac merito tanquam sana, & undique catholicæ fidei, & morum doctrinam continens defendi atque propugnari valeat.

Quia vero dictum est supra theologos quoque judicio probabili censuras hujusmodi affingere propositionibus a veritate omnimoda alienis: hinc ut iterum repetamus, quæ ad finem primi capitis diximus, optandum quoque hic est, ut non mediocriter theologi, sed summe temperantes sint, & in materijs non definitis, & quæ libere in scholis inter catholicos disputantur, omnino abstineant a quibuslibet censuris, præ oculis habentes prohibitionem Sanctissimi Papæ Innocentij XI. in loco citato jam superius appositam.

SECTIO VIII.

DE RATIONE NATURALI, DE PHILOSOPHIA, ET DE HISTORIA.

CAPUT I.

De Usu & auctoritate rationis in Theologia.

Sicut divina gratia non tollit neque evertit naturam hominis ad imaginem Dei cum libertate arbitrij a Deo conditi, sed perficit, ita etiam revelatio divina non minuit, neque destruit, sed auget magis atque acuit, & extendit rationem: proinde licet revelatio divina sive principium fundamentale sacræ theologiæ toto cœlo superius sit ratione naturali, non tamen propterea negligi vel contemni debet in theologia usus rationis: nam generatim nonnisi ratione percipimus, judicamus, & ratiocinamur, non solum circa objecta propria rationis, sive naturæ, sed etiam circa illa quæ supra naturam posita sunt: & universim sola ratione de multis edocemur, sine quorum cognitione theologia ipsa perfecte consistere nequit: nempe docemur quomodo ex principijs revelatis deduci debent legitimæ conclusiones; quomodo fides nostra, & revelata religio demonstrari possit evidenter credibilis adversus atheos, & incredulos: ac tandem quomodo solvenda sunt sophismata, quæ non solum ab hæreticis, sed etiam, & quidem maxime ab incredulis adversus religionem ipsam in medium proferri solent: igitur etiam in Theologia sicut in omnibus alijs scientijs ratione sempes utendum est.

Ut autem innotescat quomodo & quando usus iste in theologia fieri debeat, non solum quatenus ratio est principium cognoscendi, sicuti eam usque modo contemplati sumus, sed præcise quatenus est medium, quo ad cujuslibet veritatis cognitionem pervenitur, notandum hic est imprimis, quod quæstiones theologicæ generatim sunt in duplici classe, nempe aliæ sunt, quarum solutio unice pendet a principio theologico, id est a divina revelatione, sicuti est quæstio v. g. de misterio Trinitatis, Incarnationis &c. aliæ vero, quarum solutio pendet partim a revelatione, & partim a ratione; sicuti est v. g. quæstio utrum in Christo fuerit voluntas divina & humana? cujus solutio pendet partim ex principio revelato quod Christus sit verus Deus & verus homo, partim vero ex principio naturali, quod veri Dei & veri hominis debeat esse vere & proprie divina & humana voluntas: quæstiones primi generis dicuntur mere theologicæ: aliæ vero vocantur mixtæ, seu mediæ, quia partim ad cognitionem naturalem, & partim ad supernaturalem pertinent.

Quæstiones mere theologicæ, quæ tantum cognoscuntur per revelationem supernaturalem non possunt probari, neque dissolvi ex principio rationis, seu medio pure naturali, quia ratio unionis prædicati cum subjecto dependet præcise a medio seu principio supernaturali: generatim enim si quæstiones hujusmodi probari & solvi possent medio aliquo ex ratione naturali petito, jam sequeretur necessario, vel quod in illis ratio unionis prædicati cum subjecto penderet etiam a medio ex naturali ratione desumpto, vel quod quæstio aliqua possit probari, & solvi medio aliquo, a quo unio extremorum non dependet: primum est aperte falsum, quia in quæstionibus mere theologicis inter ideas rationis nulla affulget, quæ

vel objecti vel prædicati notionem clare repræsentet quid sint & quomodo sint! sicut sæpe dictum est Sect. 1. cap. 1. alterum vero est etiam contradictorium, ut per se patet.

Deinde quæstiones, quæ non sunt meræ theologicæ possunt solvi & probari tam ex principio rationis, quam medio supernaturali sive divina revelatione: ubi tamen iterum observandum est, quod quando propouitur quæstio aliqua fidei, quæ etiam ex parte naturali lumine rationis, cognosci potest, incipiendum semper est a probatione per medium supernaturale, tunc enim semper primario quæritur an veritas aliqua sit supernaturaliter a Deo revelata: sic in quæstione utrum in Christo fuerit duplex voluntas & duplex operatio, humana scilicet & divina? confugiendum est primum ad revelationem, qua constat, quod Christus sit verus Deus, & verus homo, & probata hac conclusione tanquam præmissa, ex qua superior necessario dependet in ratione fidei, qua credimus Christum esse verum Deum & verum hominem, tunc demum poterit quæstio dissolvi & confirmari per principia rationis, atque ita tam ex medio supernaturali, quam ex media ratione concludi adversus Monothelitas quod in Christo fuerit duplex voluntas & duplex operatio.

Ex his autem sequitur universim, quod in theologia neque sola ratio naturalis, neque principium aliquod ex solo rationis lumine derivatum assumi debeat tanquam principium, ut exinde res fidei absolute & simpliciter vel explicentur vel deducantur.

Loquimur autem hic de rebus fidei, quatenus sunt vere res fidei tantum, seu quatenus per revelationem primario innotescunt: nam si loquamur de illis objectis fidei, quæ nonnisi secundario revelata dicuntur, sicuti sunt existentia unius Dei, ejus simplicitas &

immutabilitas &c. hæc omnia sicut per rationem proxime & immediate innotescunt, ita possunt etiam primario & absolute solo rationis lumine explicari atque deduci.

Nunc ut constet quam auctoritatem obtineat ratio naturalis, & inde deducta conclusio theologica, præmittendum est imprimis generatim, argumentationem, ut docent logici, aliam esse certam, aliam vero incertam: certa quæ etiam demonstrativa vocatur & *apodictica* est, in qua ex certis & exploratis principijs aliquid per evidentem Conclusionem deducitur: incerta autem, quæ etiam probabilis nominatur, est illa, cujus conclusio procedit ex incertis & probabilibus tantum principijs.

Deinde argumentatio certa & demonstrativa præbet etiam Theologo certum argumentum, probabilis autem probabile tantum atque infirmum: sic firmissimum est argumentum, quo utitur Psalmista psal. 93. v. 9. ad demonstrandam Dei scientiam dum inquit *qui plantavit aurem non audiet? aut qui finxit oculum non considerat?* probabile autem econtra, quo usus est Petrus actor. cap. 2. v. 15. ad ostendendam sobrietatem discipulorum Christi dicens *non enim hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia.*

His positis Conclusiones omnes theologicæ, quæ vel ex duabus præmissis de fide seu revelatis, vel una de fide & altera naturaliter evidenti, vel deniquæ ex duabus naturaliter evidentibus deducuntur, sunt semper & omnino certæ: econtra autem probabiles tantum, quando vel una vel altera præmissarum omnimodam certitudinem non habeat, etiamsi una ex illis revelata esset & certa.

Porro inter Conclusiones primi generis, nempe inter illas, quæ deducuntur ex duabus revelatis, & eas quæ deducuntur ex duabus evidentibus, quæ nempe

omnes certæ sunt, ut modo dictum est, intercedit istud essentiale discrimen, quod illæ quæ sequuntur ex præmissis revelatis constituunt per se conclusionem mere theologicam, & continent semper propositionem virtualiter revelatam, atque si illis accesserit judicium Ecclesiæ pertinent semper ad fidem catholicam: e contra autem illæ, quæ deducuntur ex præmissis naturaliter cognitis & evidentibus constituunt per se conclusionem mere scientificam, neque continent proprie propositionem revelatam, nisi per accidens tantum & improprie, nimirum hoc sensu, quod subinde etiam illæ, quamvis naturaliter cognitæ sint, revelatæ fuerunt: ut patet de conclusione, quæ deducitur ex principijs pure naturalibus, nempe *unus tantum est & existit verus Deus* quæ propterea etiam secundario tantum revelata dicitur:

Quod dictum est de Conclusionibus, quæ deducuntur ex duabus præmissis revelatis, verificatur etiam de illis, quæ deducuntur ex præmissis, quarum una est revelata & altera evidenter cognita, nimirum etiam istæ constituunt conclusionem Theologicam, & cætetis stantibus, id est accedente ad eas judicio Ecclesiæ pertinent ad catholicam fidem.

Quod autem non sequatur nisi conclusio probabilis, quando una ex præmissis certitudinem omnimodam non habet, licet altera sit revelata. patet, nam primo conclusio sequitur semper debiliorem partem, ut docent logici: deinde assensus Conclusionis est semper talis, qualis est connexio medij cum extremis; sed in discursu, in quo una aliqua præmissarum est tantum probabilis, medius terminus non connectiturcum extremis necessario, sed probabiliter tantum: ergo in tali casu non sequitur nisi tantum conclusio probabilis.

Deinde in comperto est apud omnes, quod non so·

lum Revelatio, sed etiam ratio Deum ipsum immediatum auctorem habeat: igitur universim fieri non potest, ut vel fides directe adversetur, & contraria atque opposita sit rectæ & exploratæ rationi, vel etiam recta & explorata ratio directe adversetur & contraria sit atque opposita fidei: nam fieri non potest, ut Deus falsum doceat vel per revelationem vel per rectam & exploratam evidentem rationem: jure propterea S. P: Augustinus in lib. I. de genes. ad litter. cap. 21. admonet *ut quidquid homines de natura rerum veracibus documentis demonstrare potuerint, ostendamus nostris literis non esse contrarium*.

Hinc autem sequitur, quod ubicunque vel revelatio divina videatur opponi rectæ rationi, vel contra recta ratio divinæ revelationi, necesse sit alterutram ementitam esse & falsam: ac proinde generatim si veritas aliqua fuerit ab Ecclesia fidelibus explicite ad credendum proposita tanquam divinitus revelata, si ei ex altera parte opponi videatur recta ratio, tametsi hæc fortassis evidens videatur, erit necessario, & absolute falsa: cum enim Deus multa revelare possit, quæ ratio nostra non comprehendit, sed nec comprehendere potest, eo quod inter Deum & mentem nostram infinita sit distantia, statim ac constat de expressa revelatione, necesse est, ut ementita sit & apparens tantum evidentia rationis: *non enim* ut inquit S. P. Augustinus in lib. de octo Dulcitij quæstionibus quæst. 1. num. 14. *ulla ratione veritas dicenda est, vel putanda, quæ apertissimis sacris literis resistit*, & cum Deus nos quoque fallere non possit per exploratam evidentiam rationis, quotiescunque constat eandem non esse apparentem, sed veram atque realem, necesse est, ut ementita sit revelatio, quæ illi opposita esse videtur: quæ omnia breviter complexus est modo laudatus Sanctus Parens noster in

Epist. 143. ad Marcellinum ubi ait *si ratio contra divinarum scripturarum veritatem redditur, quamlibet acuta sit, fallit veri similitudine: nam vera esse non potest: rursus si manifestissimæ certæque rationi scripturarum sanctarum objicitur auctoritas non intelligit, qui hoc facit: non scripturarum illarum sensum, ad quem penetrare non potuit, sed suum potius objicit veritati: nec quod in eis, sed quod in seipso velut pro eis invenit, opponit.*

CAPUT II.

De recto Philorophiæ usu in sacra Theologia.

Quamvis Theologia toto fere cælo distet a Philosophia, hæc enim immediate & tota descendit ex usu rationis, illa autem ex divina revelatione, quæ in nullo casu falsa esse potest, aut errori obnoxia, secus ac ista, quæ absolute falli & fallere potest: siquidem ratio nostra etiam in se inspecta est errori obnoxia: hoc tamen non obstante binæ istæ scientiæ non sunt ita disjunctæ, ut altera priori subinde nequeat ferre subsidium: nam multa profecto sunt a Philosophis prudenter & graviter discussa, multa etiam breviter & commode dicta, egregie exposita, & invicte demonstrata, quæ in suum censum & usum pro temporum & rerum opportunitate sæpe vindicare potest theologus, modo illis in propria materia idest in rebus fidei & morum sobrie & caute utatur.

Et primo quidem universim Theologus uti potest ac debet Philosophia ad edocendam religionem Philosophos: nam simile efformatur & constituitur aptius a simili: unde etiam Apostolus testatur se omnibus omnia factum Judæum scilicet cum Judæis, gentilem cum gentilibus ut omnes Christo lucri faceret in I. ad Corinth. cap. 9. v. 19. & Angelicus Doctor S. Thomas Aquinas cum ipsi agendum maxime esset contra gentiles Philosophos sui temporis, apud quos plurimam, imo fere unice obtinebat auctoritatem Aristotiles *optime gnarus* ut scribit Cardinalis Pallavicinus iu hisl. Concil. Trident, lib. 7. cap. 14. *in quacunque regione dominari eam religionem, quæ a viris sapientia supra cæteros conspicuis traditur, nullam-*

que inter humanas doctrinas nactùs, seu majori habitam in honore, seu dignam, ut haberetur, quam Aristotelica, in eam impensissimo studio operam dedit, atque illius Philosophi libros longe luculentius explicavit, quam quicunque Arabum, aut Græcorum. Quapropter magna illius Philosophiæ notitia, nec minori existimatione sibi comparata vividi ingenij vi, atque acumine ex ijsdem Aristotelis princi,pijs solutionem deduxit argumentorum quæ non ab alijs modo, sed ab ipso Aristotile excusa fuerunt rectæ fidei dogmatis reluctantia.

Deinde ut loco modo citato observat laudatus Cardinalis *Philosophiæ lumen triplici de causa maxime Theologiæ servit. Primo quia aliarum sectarum errores impugnat, qui per ipsum revincuntur: deinde quia sophismata diluit Christianæ fidei objecta quasi absurda mysteria complectentis: tertio quia aliarum cognitionum opulentiam comparat, quæ tanquam consecutiones deducuntur, & ex fidei dogmatis, & ex naturæ notionibus simul conjunctis.*

Ut autem in praxi rectus fiat usus Philosophiæ in sacra theologia, necesse est, ut Theologus Philosophiam quantumlibet fundatam, & experimentis etiam atque perpetuis observationibus roboratam studeat submittere in obsequium fidei: *nam in rebus ad salutarem doctrinam pertinentibus fides debet præcedere rationem* ut præclare monet S. P. Augustinus in Epist. 222. & consequenter Scriptura sacra Concilia, & Patres, seu generatim fundamenta Religionis non debent exponi, & interpretari secundum pura principia Philosophiæ, sed econtra ista potius accommodari debent ad illorum sensum planum & obvium, ubi sermo est in rebus fidei & morum: nam fides innititur in revelatione, non in natura, neque *in persuasibilibus humanæ sapientiæ ver-*

bis ut testatur Paulus in 1. ad Corinth. cap. 2. v. 4. & quidquid revelationi exploratæ contrarium esse invenitur, non potest ulla ratione esse verum.

Deinde in rebus credendis & agendis non tam inquirendum est quid Plato v. g. quid Aristotiles, quid Carthesius, quid Newtonus, quid Lavoisier vel alius quicunque docuerit aut præscripserit Philosophorum, sed exclusive quid Christus, quid Petrus, quid Paulus alijque Apostoli? atque ad istorum & ad Ecclesiæ, idest Conciliorum, Summorum Pontificum decreta, atque ad mentem Sanctorum Ecclesiæ Patrum in rebus illis accommodari & conformari debent opiniones & judicia nostra: *A Deo discendum est*, ut optime observat S. Hillarius in lib. 6. de Trinitate, *quid de Deo intelligendum sit, quia nonnisi se auctore cognoscitur.*

Præterea in Theologiam nullatenus introduci debent quæstiones, & speculationes plane philosophicæ, quæ vel ad explicandum, vel ad confirmandum fidei nostræ & morum dogmata nullo usui esse possunt; Theologia enim de Deo, rebusque divinis, non vero de naturalibus, quatenus mere naturales sunt & sine ullo ad Deum respectu in Philosophia expendi solent, agere debet ex proposito, & Philosophia duntaxat uti, tanquam adminiculo quodam ad veritates divinas clarius & facilius explicandas; prout res ipsa per se satis eloquitur: quid enim ad theologiam pertinet v. g. *utrum cælum sicut sphæra undique concludat terram in medio mundi mole libratam*, sunt verba S. P. Augustini in lib. 2. de Genes. ad litter. cap. 9. *an eam ex una parte desuper velut discus operiat? sed quia de fide agitur scripturarum propter illam causam*, ut prosequitur ibidem S. Doctor *quam non semel commemoravi, ne quisquam eloquia divina non intelligens, cum de his*

rebus tale aliquid vel invenerit in libris nostris; vel ex illis audiverit, quod perceptis a se rationibus adversari videatur, nullo modo eis cætera utilia monentibus vel narrantibus, vel pronuntiantibus credat: breviter dicendum est, de figura cæli hoc scisse auctores nostros, quod veritas habet; sed Spiritum Dei, qui per ipsos loquebatur, noluisse ista docere homines nulli ad salutem profutura.

Tandem quoniam in rebus hominum nihil fere adeo veritate nixum est, nihilque adeo evidens, quod per sophismata apud indoctos infirmari nequeat, & nihil etiam fere tam perspicue falsum, quod fallaci ratiocinatione apud imperitum vulgus vindicare sibi nequeat speciem aliquam veri, ideo cavere summopere debet theologus ne Philosophia abutatur vel ad errorem per argumenta sophistica tegendum, vel ad veritatem enervandam, nisi id fiat exercitij causa tantum, quemadmodum fieri contingit, & solet in circulis, ut veritas ipsa in majori lumine reponatur, suumque studium omne in istud intendere *ut fallacia tegmina, & deceptoriæ dealbationes auferantur a rebus, ut sincero inspiciantur examine*: quemadmodum graviter, licet alia in materia monet S. P. Augustinus in lib. 3. de Civit. Dei cap. 14. circa medium, sed de his satis.

CAPUT III.

De usu & Auctoritate Historiæ in sacra Theologia.

Historia universim est relatio fide digna eventuum præteritorum memorabilium: & est duplex sacra nimirum & profana: sacra continet res sacras & ad Religionem spectantes, profana autem profanas & eas, quæ pertinent ad rem civilem & politicam regnorum civitatum &c. tam privatam quam publicam.

Quia vero res sacræ & ad religionem spectantes aliæ sunt quarum eventus relati habentur ab auctoribus divinitus inspiratis ad scribendum: aliæ vero narratæ extant ex industria pure humana, sicuti sunt eventus omnes, qui contigerunt in Ecclesia Christi post tempora Apostolorum; hinc est quod historia sacra generatim dividi possit ratione auctorum in divinam & humanam: divina est, quæ in libris sacris tam veteris quam novi testamenti comprehenditur, & eventus omnes, qui ex illis nobis innotescunt, pertinent ad fidem catholicam: humana vero, quam exhibent scriptores, qui referunt eventus rerum, qui in Ecclesia Christi contigerunt, & quæ propterea etiam simpliciter historia Ecclesiastica nuncupatur (1).

(1) Coutemplamur hic historiam sub generali tantum notione, quatenus est relatio præteritorum eventuum; & ratione materiae, quam continet, idest sub eo tantum respectu, sub quo in sacra theologia usum & auctoritatem obtinet & obtinere potest: de cætero si nomeu historiae accipiatur in ampliori quadam significatione verborum, idest tam pro relatione eventuum, quam pro descriptione rerum, prout ab artium & liberalium scientiarum scriptoribus sæpius usurpatur,

Præterea quia Chisti Ecclesia quatenus ad rem ipsam & substantiam pertinet initium habuit cum primis hominibus, ad eamque pertinent Sancti omnes, qui vel tempore legis naturæ, vel tempore legis scriptæ Deo servierunt, sicuti dictum fuit sect. 5. cap. 1. patet quod proprie loquendo ad historiam Ecclesiasticam referri possunt generatim eventus omnes memorabiles, & facta quælibet illustria istorum virorum non solum illa, quæ post Christum natum in Ecclesia contigerunt, sed etiam illa, quæ ab origine mundi usque ad adventum Christi cum vera religione relationem aliquam habent.

Utriusque autem historiæ, idest tam sacræ, quam profanæ notitiam viro Theologo utilem esse, & aliquo pacto etiam necessariam, nulla ratione inficiari

tunc multiplex plane distinqui potest historiæ genus: & primo quidem potest generatim dividi in historiam naturæ & in historiam actionum, historia naturae sive historia naturalis est descriptio rerum naturae atque vicissitudinum quibus subjiciuntur in illarum origine progressu & fine, idest corporum naturalium sive terrestrium sicuti sunt animantia cuncta, quadrupedia, reptilia, natatilia, & volatilia: item vegetabilia, fossilia &c: sive etiam caelestium sicuti sunt stellae, Planetae, Cometae: atque ad hoc genus historiae pertinet historia naturalis Aristotilis de animantibus, Theophrastis de plantis: item historia quadrupedium Gesneri historia caelestis Flamstaedij, & aliae aliorum quamplurimae: deinde historia actionum est relatio & descriptio rerum gestarum in continuata serie aliqua temporum a certis populis, nationibus & personis: sicuti est historia Graeciae Thucididis de *Bello Peleponensi* idest inter Athenienses & Spartanos: huc accedunt historiae omnes particulares artium & liberalium disciplinarum Theologiae, Philosophiae, Matheseos &c. item historiae de re Civili & militari; atque historiae personarum singularium, sicuti sunt Vitae Philosophorum Laertij Caesarum Suetonij: & generatim Vitae Poetarum Pictorum &c.

potest: nam primo quod spectat ad profanam ostendit istud & affirmat expresse S. P. Augustinus in lib. 2. de doctr. Christiana cap. 28. ubi docet eandem plurimum conferre præprimis ad intelligentiam sacrorum librorum dicens: *quidquid igitur de ordine temporum transactorum indicat ea quæ appellatur historia, plurimum nos adjuvat ad sanctos libros intelligendos, etiamsi præter Ecclesiam puerili eruditione discatur.*

Deinde quod spectat ad historiam sacram, si de divina loquamur, quæ in libris sacris comprehenditur, & ab auctoribus divinitus inspiratis conscripta fuit, sane indecorum valde est eandem penitus ignorare vel singularem quemlibet de vulgo christianum, ac propterea magis indecorum est, si illam ignoret theologus, neque ullatenus dubitari potest eundem, si in ista historia plane hospes & ignarus fuerit, ne latum quidem unguem sive in cognitione Dei, sive operum illius ad extra, circa quæ theologia secundario occupata est, aliquando proficere posse, ut per se patet.

Præterea neque minus necessaria est viro theologo cognitio historiæ Ecclesiasticæ: principio enim manifestum est, quod ad theologum præcipue pertineat scire quisnam sit verus & genuinus sacræ Scripturæ, idest primæ nostræ fidei regulæ sensus & intelligentia, & promptam quoque habere divinarum atque Apostolicarum traditionum, a quibus certo quodammodo fere omnia nostæ fidei dogmata dependent, notitiam: porro autem omnis ista notitia, & rerum istarum sufficiens & adæquata cognitio acquiri nullo modo potest, nisi investigando de sæculo in sæculum, quænam in Ecclesia continuata successione circa omnia ista fuerit scriptorum mens & intelligentia, idest quo sensu hunc vel illum sacræ Scripturæ vel librum vel

locum Sancti Ecclesiæ Patres & Ecclesia ipsa intellexerit, & interpretata fuerit: neque unquam theologus, ut par est disserere vel disputare poterit v. g. de æterna Verbi generatione, & perfecta æqualitate cum Patre, de unica in Christo persona, de duabus naturis, de duplici ejus voluntate & operatione, alijsque hujus generis quæstionibus & controversijs, si in Arij, Nestory, Eutychetis, Monothelitarum, & aliarum hæresum, quæ Ecclesiam divexarunt, historia hospes omnino fuerit, & peregrinus.

Ulterius in confesso est apud omnes, & res ipsa per se testatur, quod ad theologum spectat scire e quibus fontibus haurire debeat argumenta pro veritate religionis; quinam libri sint Apocryphi, qui dubij, qui genuini? quænam fuerit Origo divisionum & schismatum in Ecclesia? quis illorum progressus, incrementum, & finis? qui præcipuus error de sæculo in sæculum dominatus sit? qui christianorum mores, & consuetudines? quæ causa corruptelæ inter eos? quando & qua occasione, & a quo convocata Concilia, præsertim generalia, & œcumenica? quid in illis actum, quid definitum sit? quæ rituum Ecclesiasticorum origo, significatio & mutatio? quæ disciplinæ ecclesiasticæ observantia, institutio, & vicissutudo? & innummera propemodum alia, quæ sine cognitione & studio historiæ Ecclesiasticæ sciri nullatenus possunt: quæ omnia satis ostendunt, quam utilis, imo vero quam necessaria sit viro theologo historiæ sacræ tam Divinæ, quam Ecclesiasticæ, si non perfecta & adæquata, saltem non parva cognitio.

Quia tamen solius *Dei perfecta sunt opera* Deuteron. cap. 32. v. 4. animadvertendum hic est generatim, quod non omnes historiæ humanæ, & relationes eventuum præteritorum, quæ cum hactenus dictis relationem aliquam habent: vel habere possunt admitti

& sine delectu recipi debeant tanquam indubitatæ & certæ fidei, sed illæ tantum, quæ idoneis & fide dignis testibus, atque monumentis indubijs firmatæ inveniuntur.

Ut autem scriptor aliquis historicus merito reputari possit testis idoneus eorum quæ narrat, & fide dignus historicus haberi, tria requiruntur: nempe *primo* sufficiens illorum quæ ab ipso narrantur cognitio atque scientia: *secundo* non æquivoca sed certa vitæ probitas & integritas: ac tandem *tertio* certa quædam judicij perspicacitas & in discernendis rebus severitas: primum quidem ne forte scriptor ipse, qui factum aliquod refert ignoranter in errorem lapsus, & primus incaute deceptus sit, alterum vero ad amovendam a mentibus nostris omnem suspicionem & omne rationabile dubium tollendum, an fortassis in narratione eventuum præteritorum satis ingenuus sit, neque lectores suos studiose & ex industria decipere atque in errorem inducere voluerit: tertium autem, ut constet, quod non leviter & muliercularum more, quæ communiter, quod misere volunt, & cupiunt, facile etiam credunt, sed gravi potius, atque prudenti severitate judicij rerum gestarum, quas ipse narrat, veritatem indagatus fuerit.

Jam vero ratio, qua cognosci potest, quod scriptor historicus aliquis sufficienti scientia præditus fuerit, ut proinde prudenter etiam credi possit ipsum non fuisse deceptum, consistit potissimmum in eo, si adiuncta loci, officij, temporis, & personarum sint ejusmodi, quæ ostendunt illum omnia, quæ narrat, aut saltem pene omnia, & præcipua a quibus cætera dependent, certo & indubie scire & cognoscere potuisse; quod inde innotescere poterit *primo* si eventus enarrat, qui non sunt supra illius captum positi: *secundo* si testis contemporaneus fuit & oculatus,

vel ab illis, qui viderunt, & oculati testes fuerunt immediate accepit, vel saltem clare & evidenter ostendat viam certam & modum, quibus constet illumde rebus, quas narrat, certam habuisse notitiam.

Deinde probitas & integritas vitæ, alicujus scriptoris, ex qua nobis persuasum fiat, quod neminem ipse decipere, & in errorem inducere voluerit, sufficienter detegi poterit vel ex palam nota ipsius vita, vel ex fama, aliorumque proborum hominum testimonio, vel denique ex proprijs illius scriptis: nam si in istis offendantur mendacia, vel comperiatur, quod studio partium, idest vel amore vel odio agitare se permittat; quod facile iterum innotescet ex eo, si malitiose supprimat vel taceat in suis narrationibus documenta quæ illius doctrinæ adversantur, & laudet atque studiose amplificet illa quæ, in suum, vel in suorum honorem, commodum, & utilitatem vergunt; tunc merito dubitari jam poterit, an non historiam scripserit amore sui & suorum potius, quam ad puræ & sinceræ veritatis regulam.

Tandem perspicacitas judicij historicorum, ex qua innotescit, quod non fuerint faciles & nimiæ credulitatis in adoptandis aliorum, & proponendis suis proprijs narrationibus, quo vitio enervatur semper & plurimum fides historica, perspicacitas inquam ista elucet exinde, quod tam in seligendis illis, quæ scribunt, quam in judicando prudenter & circumspecte continuo se gesserint, nec fidem præbuerint, nisi monumentis probe & diligenter discussis vel a seipsis vel ab alijs æque grevibus probis, & doctis viris; & quod in rebus non solum obvijs, sed etiam intricatis, aut nunquam, aut certe nonnisi rarissime decepti fuerint.

His ita constitutis, ut pateat quæ nam sit, & esse debeat in sacra Theologia historiæ saltem generatim

spectatæ auctoritas, imprimis notari hic debent aliqua quæ historicos ipsos proxime respiciunt: & primo quidem notandum est, quod præter auctores sacros, seu Canonicos & divinitus inspiratos nullus historicus etiam probatissimus, & cui nulla plane deest qualitas ex illis de quibus usque modo locuti sumus, sit tantæ auctoritatis, ut certam & infallibilem fidem faciat: nam quilibet privatus scriptor, ut ut scientia, probitate vitæ, & judicij perspicacitate præditus esse supponatur, potest absolute falli, & etiam alios fallere.

Secundo notandum est, quod historici probati & fide dignis nimirum qui characteribus prædictis, prœditi sunt, suppeditant semper viro theologo probabile argumentum de veritate factorum, quæ ab ipsis narrantur, dummodo aliunde vitio aliquo non laborent ex illis, de quibus mox loquemur; nam de viris hujusmodi nulla plane occurrit ratio, ob quam prudenter, vel supponi, vel præsumi possit illos, vel deceptos fuisse, vel alios voluisse decipere, & proinde valde probabile est, quod vera sint, quæ ipsi enarrant: quæ probabilitas eo magis semper angetur, quo plures hujusmodi historici in factum aliquod singulare consentiunt: nisi fortassis ex adverso talia etiam recurrant momenta rationum, quæ factum ipsum singulare a pluribus historicis probatæ fidei assertnm incredibile esse evincerent.

Tertio tandem notandum est, quod historici omnes aut fere omnes in factum aliquod consentientes præbent semper viro Theologo certum argumentum de veritate factorum, quæ tali consensu firmata inveniuntur: maxime vero si fuerint historici diversarum nationum, aut religionum: quippe suspicari uulla ratione potest, quod historici natione & religione diversi communi consilio conspirare voluerint ad sta-

biliendum mendacium: ac propterea si de factis hujusmodi aliquo pacto dubitari merito liceret, actum jam esset de omni historica veritate, nihilque credendum, quod proprijs oculis non vidimus, & manibus nostris non contrectavimus, quod absurdissimum esse, nemo est, qui non videat.

Præterea ut de factis quoque ipsis historicis, quæ in severiori theologia vel amplectenda sunt tanquam vera, vel etiam rejicienda tanquam falsa, rectum formari possit judicium; attenta & explorata jam auctoritate historicorum, qui facta illa enarrant, examinari quoque debent diligenter circumstantiæ illæ, quæ factum aliquod singulare antecedunt, comitantur, & consequuntur, & videri, an aliqua ex illis sit forte impossibilis; an omnes simul pugnent inter se &c. tum autem si in istis neque impossibilitas neque oppositio aliqua elucet, tunc facta ipsa, in quæ historici omnes aut fere omnes consentiunt haberi debent ab omnibus tanquam certissima.

Dictum autem est *facta in quæ historici omnes aut fere omnes consentiunt*: nam universim non sunt revocanda in dubium facta, quæ descriptis usque modo characteribus prædita esse noscuntur, propter hanc solam rationem, quia aliquis vel aliqui ex historicis etiam contemporaneis & oculatis factum aliquod singulare silentio prætereunt, in quod alij firmo judicio expresse & perseveranter conveniunt; sicuti contingit v. g. in factis de sudore Christi sanguineo de quo fit sermo apud Lucam cap. 22. & de muliere adultera, de qua loquitur Joannes cap. 8. quæque tacentur ab alijs Evangelistis: nam ad constituendum consensum unanimem scriptorum circa factum aliquod, non est necesse, ut de ipso singuli seorsim expressam mentionem faciant, sed tantum, ut ipsum revera nullus ex contemporaneis & oculatis scriptoribus

vel in dubium revocet, vel expresse inficiatur, aut deneget.

Ex his autem, ut omnia quæ huc pertinere videntur aliquo modo breviter attingamus concludi debent quæ sequuntur: nempe primo facta historica quæ sine certo auctoris nomine proferuntur ordinarie & regulariter loquendo non sunt admittenda tanquam sincera & genuina, imo vero habenda quoque tanquam suspecta & dubia: quod idem dicendum est de illis, quæ auctorem præseferunt obscuri nominis & incertum.

Dictum est tamen *ordinarie & regulariter loquendo* nam absolute subinde fieri potest, ut certa auctorum nomina interciderint, & interim facta ipsa quæ sine certis auctoribus narrantur, sincera sint & genuina, sicut contingit in actis Martyrum primitivæ Ecclesiæ, ex quibus, ut omnes norunt, multa perierunt, & multa etiam ad nos pervenerunt sine certo auctore: & licet viri docti etiam diversa ex istis inter fabulas numerent, sicuti est illud imprimis, quod sine certo auctore narratur in Breviarijs Ecclesiasticis de Marcellino Summo Pontifice sub die 26. Aprilis, quod scilicet, in persecutione Diocletiani terrore perterritus Deorum simulacris thus adoleverit: non proinde tamen omnia quæ hoc modo vel in Breviarijs, vel in alijs Ecclesiæ monumentis laudantur jure inficiari debent, & tanquam falsa atque conficta haberi: *esto enim*, ut in hanc rem docet Melchior Canus lib. 11. cap. 5. *quædam in publicis Ecclesiæ precibus habeantur ambigua, quædam etiam falsa: num idcirco historijs omnibus Ecclesiæ fidem abrogare perges, quod nonnullæ earum sint vulgo putatæ, & creditæ, in quibus præsertim quoties de miraculis incidit sermo, ficta reperies fortasse plura, quæ jure ac merito reprobantur: mihi pro-*

fecto istud Gelasij consilium placet, ut cum hujus generis historias catholici legerint, beati Pauli sententia præcedat, omnia probate, quod bonum est tenete.

Secundo: Facta historica quæ referuntur a viris levibus & necessaria judicij perspicacitate destitutis, licet isti etiam oculati fuerint, parvam, imo sæpe plane nullam merentur fidem, præsertim vero quando viri graves eadem ex adverso licet subinde pauciores rejiciunt & inficias eunt: sic generatim loquendo parvam sæpe fidem merentur plerique scriptores qui magis ad vulgi opinionem atque ad affectum proprij animi, quam ad strictissimæ veritatis regulam conficiunt & accomodant gesta & vitas Sanctorum: de quare jam suo tempore conquæstus est modo laudatus elegantissimus & egregius scriptor Melchior Canus lib. 11. cap. 6. dicens *dolenter enim potius, quam contumeliose fatendum est conscriptas multo severius a Laertio vitas Philosophorum, quam a Christianis vitas Sanctorum: longe que incorruptius & integrius Suetonium res Cæsarum exposuisse, quam exposuerint Catholici, non res dico Imperatorum, sed Martyrum, Virginum: & Confessorum*: eodem modo etiam Mabillonius de studijs Monasticis part. 2. cap. 8. inquit *sæpe sinceriori calamo a scriptoribus ethnicis exaratæ fuerunt res gestæ suorum Heroum quam a Christianis vitæ martyrum & Confessorum*,

Tertio de factis historicis, quæ narrantur contigisse secreto & conscio uno tantum vel altero teste ordinarie non debet, neque potest jure haberi major certitudo, quam habetur de viro illo uno vel altero, coram quo contigisse narrantur, & qui primus illa vulgavit, quod nec ipse deceptus sit, nec decipere voluerit: hine patet quam fluxum sit & arenosum totius Mahometanæ religionis fundamentum: etenim

Mahometes ipse primum ductor Camelorum prædivitis Viduæ, quam postea conjugio sibi junxit, ex patria sua Mecha ejectus anno 622. a quo incipit *Hegira* idest epocha computandi annos apud Turcas & Mahometanos omnes recepta, & sic dicta a Mahometis fuga, quæ anno illo contigit, narrat in Alkorano eandem sibi soli & secreto revelatam fuisse ab Angelo.

Quarto facta historica, quæ auctorem a quo narrantur ita afficiunt, ut exinde vel ipse, vel ejus necessarij peculiarem acquirant vel nominis celebritatem, vel gloriam, vel aliud commodum, nisi de illorum veritate testimonium reddant alij scriptores oculati, & fide digni, ipsa per se nullam prorsus merentur fidem: ac propterea utriusque Eusebij Cæsariensis nimirum & Nicomediensis narrationes, quæ in laudationes Arianorum directæ sunt, nullam merentur fidem, quia uterque Arianorum errore tinctus fuit.

Quinto Facta historica, quœ a fide dignis testibus oculatis scilicet, coevis, & probis narrantur contigisse non clanculum & coram paucis, sed palam, in aperto, & coram universa multitudine hominum sicuti sunt v. g. transitus per mare rubrum siccis vestigijs immensæ fere multitudinis filiorum Israel unius noctis spatio Exodi cap. 14. pluvia coturnicum & mannæ, ut iidem saturarentur in Deserto ibidem cap. 16. item saturatio quinquies mille hominum cum quinque panibus & duobus piscibus Joannis cap. 6. atque resuscitatio plurium *Sanctorum qui exeuntes de monumentis post resurrectionem* (Christi) *venerunt in Sanctam civitatem, et apparuerunt multis* Math. cap. 27. v. 53. hæc inquam facta, & innumera propemodum alia hujus generis, quæ ab Auctoribus sacris referuntur in libris tam veteris quam novi testamenti omnimodam merentur fidem, & præbent viro

theologo ineluctabile argumentum, etiam spectata ex illa parte tantummodo secundum quam ad meram historiam pertinent, siquidem repugnat usque adeo etiam sensui communi omnium hominum, quod testes hujusmodi in talibus rerum circumstantijs vel decipi potuerint, vel voluerint decipere, vel etiam posito quod voluerint, revera decipere quemquam potuerint.

Hæc autem sunt omnia illa & singula principia theologica sive claves quibus, si quis recte usus fuerit, aditus ad penitiorem theologiam sine offendiculo, ut ego quidem fidenter existimo, cuivis reserabitur: ac proinde *Videor mihi* ut Exercitationem istam qualiscunque, & cujuscunque demum pretii aut meriti illa sit, verbis Sanctissimi Præceptoris & Patris mei Augustini, quæ extant ad calcem librorum ejus de Civitate dei, etiam concludam, *Videor in quam mihi debitum hujus operis adjuvante domino reddidise: quibus parum, vel quibus nimium est, mihi ignoscant! quibus autem satis est; non mihi, sed Deo mecum gratias congratulantes agant. Gloria & honor Patri & Filio & Spiritui Sancto Omnipotenti Deo in excelsis in sæcula sæculorum Amen.*

FINIS.

INDEX

Sectionum, Capitum, & Propositionum.

MONITUM.

Errata, quæ vel inadvertentia Correctoris, vel errore Typographi irrepserunt, Lector ipse per se deprehendere facile poterit: siquidem excepta voce *nithi* Volum. 1. pag. 116. lin. 9. posita loco *mihi*, & altera ibi pag. 223. lin. 40. in Nota, scilicet *ia* posita loco *in*, quæ ambæ nihil plane significant: item adjectivo *æternam*, posito loco *externam*. Volum. 2. pag. 84. lin. 7. & verbo *convariunt* ibi pag. 380. lin. ultima in Nota posito loco *conveniunt*, in quibus utrobique aliquo pacto sensus mutatur, reliqua omnia reducuntur primo ad omissionem alicujus literæ vel syllabæ, & quidem vel ab initio dictionis: ut factum est Volum. 1. pag. 42. lin. 18. ubi habetur *inabitat* loco *inhabitat*: & ibi pag. 108. lin. 27. *istitutam* loco *institutam*: vel in medio: sicut in voce *Theupneutis* loco *Theupneustis*: Volum. 1. pag. 11. lin. 2. & in voce *Abrhæ* loco *Abrahæ* ibi pag. 40. lin. 16. in Nota: item Volum. 2. pag. 153. lin. 13. ad 14. in voce *aucto-tas* loco *auctori-tas* & ibi pag. 273. lin. 14. in voce *circumcione* loco *circumcisione* atque ibi pag. 292. lin. 13. ubi loco *Jerosolemitani* habetur *Jerosimitani*: vel denique in fine dictionis; ut contigit Volum. 1. pag. 217. lin. 29. in Nota in voce *Vespera* loco *Vesperam*: & Volum. 2. pag. 77. lin. 4. in voce *nullatenu* loco *oullatenus* & ibi pag. 318. lin. 33. ubi positum est *divini* pro *divinum*: Secundo ad substitutionem unius literæ pro alia pariter vel ab initio, ut factum est Volum. 1. pag. 280. lin. 10. in voce *fegis* pro *legis*: & ibi lin. 12. *lundamentum* pro *fundamentum*: & volum. 2. pag. 47. lin. 32. *etat* pro *erat*: vel in medio, ut Volum. 1. pag. 19. lin. 55. in Nota *exisrere* pro *existere*, & Volum. 2. pag. 26. lin. 6. *pro-*

pierea pro *propterea* & pag. 274. lin. 6. *Evancelistas* pro *Evangelistas*: vel tandem in fine: ut factum est Volum. 1. pag. 81. lin. 35. in Nota ubi loco *orbem* habetur *orbom*: & ibi pag. 143. lin. 32. *aliquem* loco *aliquam*: & Volum. 2. pag. 271. lin. 5. *obligationibos* loco *obligationibus*, & ibi lin. 23. *veterun* loco *veterum*: tertio ad transpositionem literarum: ut Volum. 1. pag. 67. lin. 9. pro *recentiores* positum fuit *recenitores* & ibi pag. 78. lin. 29. *obcsura* pro *obscura* & Volum. 2. pag. 20. lin. 6. *certa* pro *recta* Quarto ad redundantiam cujusdam literæ vel in medio, ut Volum. 1. pag. 260. lin. 12. *Mathaæus* loco *Mathæus*, vel etiam in fine dictionis ut ibi pag. 44. lin. 1. *insigniorese* loco *insigniores*: ac postremo ad errata orthographica: sicuti sunt v. g. positio literæ parvæ pro majuscula, ut factum est Volum. 1. pag. 2. lin. 5. in voce *deum* loco *Deum* & ibi pag. 11. lin. 26. *lessius* loco *Lessius*: & vicissim majusculæ loco parvæ Volum. 2. pag. 2. lin. 12. ubi habetur *A Deo* loco *a Deo* & ibi pag. 19. lin. 7. *Rectus* loco *rectus*: item Diphtongi *oe* pro *æ*. Volum. 2. pag. 341. lin. 18. *Paschoe* pro *Paschæ*: & e converso *æ* pro *oe* ibi pag. 7. lin. 6. & 8. *cætum* & *cætus* pro *coetum* & *coetus* aliaque hujus generis, quæ propterea, cum sæpe irrepserint, & ab unoquoque, ut dictum est, facile deprehendi possunt, corrigenda & emendanda ad benignum lectorem remittuntur.